*MASTER*
*NEGATIVE*
*NO. 92-81147-2*

MICROFILMED 1993

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

# COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States - Title 17, United States Code - concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material.

Under certain conditions specified in the law, libraries and archives are authorized to furnish a photocopy or other reproduction. One of these specified conditions is that the photocopy or other reproduction is not to be "used for any purpose other than private study, scholarship, or research." If a user makes a request for, or later uses, a photocopy or reproduction for purposes in excess of "fair use," that user may be liable for copyright infringement.

This institution reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

*AUTHOR:*

GARCKE, HEINRICH HERMANN

*TITLE:*

Q. HORATII FLACCI CARMINUM LIBRUM...

*PLACE:*

HALIS

*DATE:*

1860

Master Negative #

92-81147-2

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

## BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record



87HN
IE60

Garcke, Heinrich Hermann, 1815-

Q. Horatii Flacci Carminum librum primum collatione scriptorum Graecorum illustravit Henricus Hermannus Garcke... Adiecti sunt excursus de coronis convivalibus et conspectus scriptorum Graecorum cum Horatio collatorum. Quaestionum de Graecismo Horatiano pars prior. Halis, sumptibus Orphanotrophei, 1860.

xxx, 239 p. 22½ cm.

30668

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 3/3/93 INITIALS BAP
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT


AIIM
Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202
Centimeter
Inches
MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.



Class 87 HN Book IE60

Columbia College Library

Madison Av. and 49th St. New York.

BOUGHT, MAY 6, 1887, FROM THE LIBRARY OF

CHARLES SHORT, M.A., LL.D.

Professor of Latin in Columbia College

1868 to his death, 1886.

Q. HORATII FLACCI

# CARMINUM LIBRUM PRIMUM

COLLATIONE SCRIPTORUM GRAECORUM

ILLUSTRAVIT

**HENRICUS HERMANNUS GARCKE,**

PHIL. DOCTOR ET GYMNASII ALTENBURGENSIS PROFESSOR.

---

ADIECTI SUNT EXCURSUS DE CORONIS CONVIVALIBUS ET CONSPECTUS SCRIPTORUM GRAECORUM CUM HORATIO COLLATORUM.

---

## QUAESTIONUM DE GRAECISMO HORATIANO

PARS PRIOR.

**HALIS,**

SUMPTIBUS ORPHANOTROPHEI.

MDCCCLX.

ALTERUM VOLUMEN EXCURSUS DE GRAECISMO
HORATIANO CONTINEBIT.

PATRI OPTIMO

**HENRICO ADAMO GARCKE,**

VERBI DIVINI APUD DEERSHEMIENSES MINISTRO,

ET

**PATERNI IN SE ANIMI**

**VIRO SPECTATISSIMO SUMMEQUE VENERANDO**

**HENRICO EDUARDO FOSS,**

PHILOSOPHIAE DOCTORI, DUCI SAXONUM ALTENBURGENSIUM A CONSILIIS
REI SCHOLASTICAE, ILL. GYMNASII FRIDERICIANI RECTORI,

HOC QUALECUNQUE OPUS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

**HERMANNUS GARCKE.**

79620

# Prooemium.

*De Horatio Graecorum imitatore.*

---

Si quid ego in Graecismo Horatiano, cultissimi poëtae horrido sane et inculto agello, tractando quod non male mihi cesserit profeci: summi viri Bernhardyi est, quem grato animo confiteor mihi auctorem humanissimum et ad ingrediendam et ad suscipiendam rationem horum studiorum exstitisse. Huius enim censurae recensionis Peerlkampii [1]) et editionis Orellianae [2]) ut Germaniae decori sunt, ita Interpretibus Horatii pleni commentarii instar et veluti lucida quaedam sidera esse debent, utpote per tenebras micantia et rectas ac salutares vias longe lateque collustrantia: ad quae ego certe inceptum iam aliquot abhinc annis, sed intermissum interdum aut plane aberrantem hunc cursum direxi. Is igitur, quae vera vis et ratio poësis Augustanae esset, melius ac planius quam Interpretes edocuit, et postquam supra omnem dubitationis aleam constituit eam omnino arte factam et ex bona magnaque parte rhetoricam habendam esse, quae inde profecta sunt iuxta incommoda atque virtutes contra Peerlkampium aequissima lance et certissimo iudicio ponderavit et exaequavit.[3]) Itaque cum vel in omnibus scriptoribus classicis et prudentibus plenam ac propriam interpretationem iustissime postulemus, tum in his ipsis aevi Augustani poëtis summa lex interpretandi nos iubet ea semper inquirere et sequi, quae vim quandam afferant sermoni, ut eos quo quisque doctius ac prope dixerim artificio-

---

1) Berl. Jahrb. f. wiss. Kritik. 1835 mensis Maii Nr. XCI. sqq.

2) Allgem Literaturztg. 1837. Nov. Vol. III. Nr. 202 sq.

3) In censura Peerlkampii l. c. p. 750 sq. Cfr. eiusd. Hist. litt. Rom. ed. alt. p 237 sq., et qui eius fere vestigia subsecutus est, Eichstadii Paradoxa Hor. (Jena 1836) VI. extr.

sius interpretetur, eo plerumque rectius intellecturus sit. Nec potest exspectari ab Horatio praesertim, qui nulla re magis eiusdem aetatis poetas praecurrit quam iudicio[4]), ut omnia ad unam eandemque regulam exegerit. Atqui is et poetae supparres, quum aut per audaciam nova quaedam protulerint[5]), aut Graecorum exemplaria amplexi eorum et res et eloquendi artem transtulerint, longe maximam sane novellae huius praestantiae atque elegantiae partem Graecos imitandi studio sive Graecismo suo debent. In Graecismi ratione autem referendum est quidquid vel rerum e Graecia assumtum vel verbis ita enunciatum est, ut non plene ex sola natura atque consuetudine Latini sermonis pateat, sed veram suam vim et lucem ex comparatione demum analogiae Graecae accipiat[6]). Huius igitur Graecismi, nisi fallor, in his artificiosae illius sectae poëtis Latinis praecipua quoque ratio habenda est. Qui ut horum omnium et superiorum nonnullorum communis est, ita in singulis admodum varius atque adeo diversus apparet. Nam quum apud superiores poëtas, Varronem Atacinum, Lucretium, Catullum, ipsumque Virgilium, qui primi talia suis viribus tentarunt, simplex omnino et apertus sit, et plerumque sibi constet, ut quasi in puro et placido amni undique et commode conspici possit: apud Horatium iam multo exquisitior et reconditior est, ut deverticula eius et recessus indagare et excutere ipsumque, sicubi nactus fueris, velut alterum quendam Proteum multum versare atque adeo premere debeas, si quidem verum extorquere velis. Neque enim quisquam aequalium poetarum, ne Propertius quidem, „spiritu Graiae tenui Camenae“ omnique doctrina transmarina atque adventicia tam plene et tam penitus imbutus fuit, quam Horatius. Plenae sunt Satirae et Epodi, plena sunt Carmina, plenae sunt Epistolae: sed ea nec prima

4) Bernh. in cens. Peerlk.: Horaz verdient, wie Lessing von sich selber gesteht, das Beste seiner Poesie einzig und allein der Kritik, deren Wirkung sich nicht obenhin auf die knappe fast symbolische Behandlung seines Stoffes erstreckt.

5) Quintil. X, 1, 96: Horatius — plenus est iucunditatis et gratiae et varius figuris et verbis felicissime audax. Cfr. ipsum Hor. Epist. II, 1, 166.

6) Tam latis finibus Graecismi regionem ipse Horatius A. P. 46 sqq. nobis circumscripsit.



ubique fronte intuentibus conspiciuntur, nec eadem usquequaque apud eundem inveniuntur.

Jam Sapphus exemplum proponam et cum Catulli et Lucretii et cum ipsius Horatii imitatione eiusdem odarii dulcissimi conferam, Sapph. fr. 2. Schneidew.:

*Φαίνεταί*[7]) *μοι κῆνος ἴσος θεοῖσιν*
*ἔμμεν ὤνηρ, ὅστις ἐναντίος τοι*
*ἰζάνει καὶ πλησίον ἀδὺ φωνεύ-*
*σας ὑπακούει*
*καὶ γελαίσας ἰμερόεν, τό μοι μὰν*
*καρδίαν ἐν στήθεσιν ἐπτόασεν·*
*ὡς ἴδω γάρ σε βροχέ', ὥς με φωνᾶς*
*οὐδὲν ἔτ' ἴκει·*
*ἀλλὰ κὰμ μὲν γλῶσσα Γέαγε, λεπτὸν δ'*
*αὐτίκα χρῶ πῦρ ὐπαδεδρόμακεν,*
*ὀππάτεσσι δ'οὐδὲν ὄρημ', ἐπιῤῥόμ-*
*βεῦσι δ'ἀκουαί,*
*Κάδ δὲ Ἴδρως κακχέεται, τρόμος δὲ*
*πᾶσαν ἀγρεῖ, χλωροτέρα δὲ ποίας*
*ἐμμὶ, τεθνάκην δ'ὀλίγω 'πιδεύην*
*φαίνομαι ἄλλα.*

7) Longinus de Sublim. c. 10. hoc ipsum poema prolatum ita enarrat, Stollio Anth. II. p. 13. interprete: „Ist es nicht bewunderungswürdig, wie die Dichterin Seele, Leib, Ohr, Zunge, Auge und Farbe, alles, so verschieden es auch ist, zusammenfasst, und das Entgegengesetzte vereinigend, erkaltet und glüht, die Sinne verliert und wieder zur Besinnung kommt; sie zittert und ist dem Tode nahe, so dass nicht eine einzelne Leidenschaft, sondern ein Conflict von Leidenschaften (*σύνοδος παθῶν*) zur Erscheinung kommt.“ Alloquitur autem poetria vel potius mente videre sibi videtur puellam amatam. — vs. 2. *ὤνηρ* = *ὁ ἀνήρ*. — vs. 5. *γελαίσας* aeol. pro *γελώσης* (Ind. *γέλαμι*, P. *γέλαις*), ut per zeugma ex v. *ὑπακούει* eliciendum sit *αἰσθάνεται*, cf. Catull. — vs. 7. Ita Herm. ad normam illorum *ὡς ἴδον, ὡς ἐμάνην*, ut vidi, ut perii. Bergk. *ὥς σε γὰρ Ἴδω, βροχέως* = *βραχέως* i. e. *ἐν βραχεῖ, αὐτίκα*. — vs. 10. *ὑπαδεδρόμακεν* = *ὑποδεδράμηκεν* (*ὑποτρέχειν*). — vs. 11. *ὄππα* = *ὄμμα* (*ὄπτειν*). — vs. 13. Ita Schn. in Add. cll. Hom. Od. *ψ*, 709. et *λ*, 599: *κατὰ δ'ἴδρὼς ἔῤῥεεν ἐκ μελέων*. Bergk. *ἀ δέ μ'ἴδρως κτλ.* — v. 14. *ἄγρει* = *αἱρεῖ*. — v. 15. *τεθνάκην* i. e. *τεθνακέμεναι* = *τεθνηκέναι*. — *ὀλίγω 'πιδεύην*, ut *ὀλίγου δεῖν*. — vs. 16. *ἄλλα* = *ἄλλη* i. q. *ἠλεή*.

Catull. 51.:

Ille mi par esse deo videtur,
ille, si fas est, superare deos,
qui sedens adversus identidem te
spectat et audit
dulce ridentem, misero quod omnis
eripit sensus mihi; nam simul te,
Lesbia adspexi, nihil est super mi
— —
Lingua sed torpet, tenuis sub artus
flamma demanat, sonitu suopte
tintinant aures, gemina teguntur
lumina nocte.

Lucret. III, 155, Sapph. vs. 9. sqq. ita imitatur:

Sudoresque ita palloremque existere toto
corpore, et infringi linguam vocemque aboriri,
caligare oculos, sonere auris, succidere artus.

Hinc igitur Horatius transtulit non solum dulce ridentem Lalagen, dulce loquentem, sed etiam C. I, 13, 5. sqq.:

Tum nec mens mihi nec color
Certa sede manet, humor et in genas
Furtim labitur arguens
Quam lentis penitus macerer ignibus:

in quibus vix verborum similitudinem deprehendas.

Similem comparationem praebent Palinurus Virgilianus et Archytas Horatii, eodem, quod utriusque ingenii proprium est, discrimine, vid. ad C. I, 28. Et permulta alia et certissima plenae atque integrae imitationis Graecae exempla apud ceteros sane quos dixi poetas Latinos leguntur: apud Horatium vero nunc talia non exstant, et ne tum quidem, credo, exstarent, si omnia hodie quoque Graecorum lyricorum exemplaria restarent. Qua in re superiores Interpretes, Ianius[8]) inprimis et Mitscherlichius, saepe ab vero aberrarunt, et ipse etiam Estreius falsus est, qui in Horatiana Prosopographeia p. 524 censuerit, „inprimis multa Horatii carmina ex Graecis carminibus expressa fuisse, cuius rei exemplum Catullus reliquisset.“ Nam qui paulo accuratius in ea re versatus fuit, facile invenerit, non esse consuetudinis Horatianae integra Graecorum carmina imitatione exprimere et eadem sententiarum serie, nedum iisdem verbis, Latine reddere. Exordia carminum, unde initium dicendi et propositum sumat, et principales sententias, in conspicua plerumque sede, vel in principio vel in media parte vel in clausula collocatas, quibus carmina sua distinguat et doctos amicos moveat vel oblectet, a Graecis auctoribus repetere solet, et vero etiam multiplicem illum ac varium orationis ornatum, in quo vix dici potest quantopere e Graecis suis exemplaribus pendeat[9]). Ut haec sibi iusta ac necessaria esse putavit, ita his fere finibus se continuit, vid. infra de Archilocho et Euripide et cfr. de Lyricis ad C. I, 1, 3 et I, 18, 1. Unde simul apparet, quam liberale ei in imitandis Graecorum poetarum carminibus fuerit studium, quantoque iudicio et arte illud aggressus sit, adeo ut non tam rerum ac verborum novitatem ac suavitatem ab aliis mutuatus esse, quam satis sibi ipse fisus et liberis vestigiis, ut vere gloriatur Epist. I, 19, 21, eos subsecutus ingenium suum, suas vires in iisdem argumentis tractandis experiri omninoque de palma cum illis ipsorum artibus certare voluisse videri debeat. At vero quum ipse ingenue professus esset C. IV, 2, 27. se „apis more modoque ad carmina fingenda“ res omnemque apparatum undecunque conferre „per plurimum laborem,“ recte his moniti iam pridem Interpretes eos locos investigare studuerunt, unde vates Venusinus „poetica sua mella“ conquisivisset; nec ea res omnino iis frustra fuit: sat multa in sua horrea condiderunt. Sed

8) „De poesi lyrica Horatii“, tom. I, p. 108: „In plurimis Horatii operibus apparet, eum Graecum poetam habuisse ante oculos, maxime in descriptione et inventione, quem imitando consequeretur, vel traduceret adeo; fragmenta lyricorum Graecorum habemus fere CC, quorum amplius C in Horatio reperiuntur expressa. Si omnes lyrici Graeci adhuc exstarent, forte non multa manerent Horatio propria.“ Huius auctoritas fefellit etiam Mitscherlichium saepissime, v. ad C. I, 18. vs. 1 et 11.

9) Huc spectat Wenschii commentatio „de Horatii Graecos imitandi studio ac ratione brevis expositio“ (Viteberg. 1829), cuius haec fere summa est: „Horatium et in metrorum ratione, ubi tamen severioribus usus est legibus, et in verborum structura, et in sententiarum adornatione saepe omnia debere Graecis, saepe vero iis discedere inferiorem.“

quum multa alia opinionum ludibria, tum haec maxime eos ab vera via inenunda averterunt et in transversum egerunt: quod et in Carminibus sententias imaginesque fere omnes ex melicis poetis translatas esse crediderunt, certissima quaeque Graecae imitationis vestigia una cum deperditis Graecorum exemplaribus intercidisse opinati, et quod in Satiris et Epistolis certas quasdam philosophiae formulas explicatas esse statuerunt. Quorum illud idcirco minus recte putasse mihi videntur, quia proprium lyricae Horatianae habitum, sententiarum ornatum dico, nimium neglexerant, in hoc autem non satis attenderant, quid ipse Horatius de optimis philosophiae fontibus palam professus esset. Quod enim in epistola ad Lollium de Homero scripsit:

*Qui quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non,*
*Planius ac melius Chrysippo et Crantore dicit,*

vel ex eo satis conficere possumus, illum non id egisse, ut philosophorum placitis abstrusioribus adumbratam, sed ut summis poetarum ingeniis expressam virtutis imaginem consequeretur et eorum praeceptis se sapientiae doctorem et humanitatis conformaret.

Haec ita universe et summatim exposita nos ad ipsa eius „exemplaria Graeca“ perducunt, quae Pisones iubet *Nocturna versare manu, versare diurna.*

Ac ne ipsum quidem Horatium nisi iis auctoribus, quos imitandos sibi proposuisset, accuratissime lectis et cognitis, se ad scribendi studium contulisse, eo facilius nobis persuadere poterimus, si quo ordine poematum eius genera composita sint, consideraverimus. Nam quamquam in temporibus, quibus singula carmina Venusina nata sint, accuratius definiendis ii qui fastos Horatianos condiderunt dissententiunt adhuc inter se, nec desunt quae etiam contra novissimas Caroli Frankii rationes[10]) disputari possint: de generibus tamen hoc nunc constat, quod in hac quidem disquisitione plane sufficiat, Horatium primo conscripsisse Satiras et Epodos, post ad carmina melica aggressum tres priores libros edidisse, his Epistolas

10) C. Franke Fasti Horatiani, Berol. 1839, de quibus vide C. Passovii (Berl. Jahrb. 1840. Nr. 87. sqq.) et Teuffelii (Zeitschr. f. Alt. 1842. p. 1103. sqq.) recensiones et passim Estreium.



libri prioris, quas eodem fere tempore composuisset, subiunxisse, postremo, interiecto quo Epistolam ad Pisones scripsit et longo post cetera intervallo, quarti libri Carmina et duo reliquos Epistolarum fasciculos addidisse. Quae quum constent, perspicuum debet esse, ut tria omnino poematum et tempora et genera, sic tres Graecae imitationis gradus et aetates commode discerni posse, quarum prima, ut ita dicam Archilochia s. satirica poetam iuvenem satiricae Musae armis instruxerit, altera s. melica corroboratum et senescentem paulatim virum feliciore semper profectu „laurea donaverit Apollinari“, tertia denique sive philosophiae aetas totius vitae parnassiae quasi fructus et praemia collegerit[11]).

Sunt igitur primum imitationis spatium decurrenti, in Satiris et Epodis, quum ii qui ab ipso nominantur Sat. II, 3, 11:

Quorsum pertinuit stipare Platona Menandro,
Eupolin, Archilochum, comites educere tantos? —

antiquae et novae comoediae scriptores[12]) et „Socraticarum

11) De Horatii studiis Graecis consulendi sunt Grotefendus in Vita Hor. (Hall. Encyklopädie 1833. p. 463 sqq.), Passovius in commentatione de Horatii vita et aetate conscripta et Epistolarum editioni (Lips. 1833) praemissa not. 181. 187. 195. 197. cet., Rotterus „de Horatii studiis Graecis“ (Progr. Gleiwitz 1836), Th. Arnoldius in Diss. „de Horat. Graecorum imitatore“, (qui iuvenis priusquam ampliorem de eodem argumento librum absolvit, nuper praematura morte literis ereptus est) Estreius in „Horatiana Prosopographeia“ p. 9 seqq. p. 122 sqq. alib.

12) Quanti Horatius inprimis „comoediae priscae viros“ fecerit, colliges praeter I. l. ex Sat. 1, 4, 1 sq., 1. 10. 18. sq., Epist. 1. 19. 1. Ad eorum potissimum imitationem sermones suos „in dialogo“ (Cic. ad Fam. 1. 9. 67.) conscripsit et metri quoque libertate atque incuria quadam sermonis quotidiani consuetudinem et sonum felicissima arte expressit. Vid. Rotter p. 14. Atque in Sat. 1. 2. principio memor fuit Aristophanis (*ἀγύρται, φαρμακοί, φαρμακοπῶλαι, βωμολόχοι*, Nub. 749. 766. al.) eiusdemque Pac. 1140 — 1143 in Sat. II, 2. vss. 118 sqq. et 124 sqq. (vid. Bentlej.), Sat. I, 3. 25 seq. autem ad Menandri, ap. Mein. p. 302: *Τί τἀλλότριον, ἄνθρωπε βασκανώτατε, Κακὸν ὀξυδερκεῖς, τὸ δ' ἴδιον παραβλέπεις*; et Sat. I, 1. 73 — 75 ad eiusdem exemplum p. 103. Mein. (vid. Orell.) videtur composuisse. Gratino quidem debuit Epist. I, 19. init., cl. eius fr. in *Πυτίνῃ* —

chartarum“ auctores inprimisque summus dialogi et εἰρωνείας magister Plato[13]) et iamborum inventor Archilochus[14]) et

qua ille fabula palmam eripuerat Aristophanis Nubibus — ap. Runkel. p. 81: *Οἶνος ποιητῇ γέγονεν ὡς ἵππος ταχύς· Ὕδωρ δὲ πίνων οὐδὲν ἄν τέκοι σοφόν*, et sententiam Carm. III, 29. cll. ap. Suidam: *Ἄνδρας σοφοὺς ἐχρῆν τὸ παρὸν πρᾶγμ' εἰς δύναμιν θέσθαι καλῶς*. Alia nonnulla imitationis vestigia collegit Passov. not. 181.

13) Eundem commemorat S. II, 4. 3 cum magistro Socrate et cum Pythagora, philosophis praestantissimis, vocatque doctum Platona. Erant qui (ut Dacerius et Passovius not. 66) intelligere mallent Platonem Comicum. Ita vero epitheton doctum minus appositum foret; nec mirum est in academiae discipulo quod Platonem, in poeta quod solutae orationis scriptorem maxime poeticum legerit, quod idem Pisonum maiori ipse suadet A. P. 310:

Scribendi recte sapere est et principium et fons:
Rem tibi Socraticae poterunt ostendere chartae.

Atque Socraticum Platonem imitari videtur Lambino in Sat. I, 3, 38 sq., cl. celeberrimo de *ὑποκορίσμασιν* amatorum loco e Rep. IV. 29. p. 474. D., Bentlejo in Sat. II. 2. 77 sq. cl. Phaedon. pg. 83. D., Wyttenbachio in C. I. 34. 8. cl. Phaedr. pg. 246. E: *Ζεὺς ἐλαύνων πτηνὸν ἅρμα*. Cfr. Valcken. in Theocr. Adoniaz. p. 326.

14) A. P. 79 et Epist. I, 19, 23: — Parios ego primus iambos
Ostendi Latio, numeros animosque secutus
Archilochi, non res et agentia verba Lycamben.

Libera hac Archilochi imitatione quam ipse sibi fisus esset, ante dixerat vs. 21: Libera per vacuum posui vestigia princeps, Non aliena meo pressi pede. Qui sibi fidit, Dux regit examen. Ceterum plus quam notum erat *πικρόχολον* Archilochi *στόμα*, Br. Anthol. II. 167: — *ὅς ποτε πικρὴν*
*Μοῦσαν ἐχιδναίῳ πρῶτος ἔβαψε χόλῳ*. Cfr. v. c. fr. 28 sq. et 74 seq. Schneidew. Huius igitur „animorum“ vehementiam, sed temperatam illam, et „carminis artem“ eamque immutatam assumpsit Horatius, singulis rebus et verbis spretis ipsique relictis. Quare ne Mitscherlichii quidem diligentiae contigit, ut ulla certa aut probabilia Archilochiae imitationis vestigia ex eius fragm. colligeret (veluti ad Epod. VI. extr. e fragm. 31. Schneid., et ad Epod. XVI. 34. e fr. 66. 7. sq.), nec vero ex Hipponacte, altero illo iamborum auctore (Epod. VI. 14.), quidquam repertum est. In rebus metricis autem et musicis omnino plurimum Parii poetae ingenium valuit et auctoritas, cui Hor. quoque nec invitus obsequutus est. Vid. Exc. metr.



alii nonnulli[15]), tum longe gravissimi ei et omnis Graecitatis et sententiarum auctores Homerus et Euripides, nec in Satiris solum aut Epodis, sed iidem illi etiam in Carminibus sive in altero imitationis gradu. Ut igitur Homeridae ab Iove incipiendum putarunt, sic nos rite ab Homero coepturi videmur in eodemque desinemus, totius antiquitatis consensu sedes summas occupanti. Neque enim Horatius ab hoc iudicio dissensit: Homerus est illi magnus (Sat. I, 10, 52), insignis (A. P. 401), qui nil molitur inepte (ib. 140) et principatum tenet inter omnes (C. IV, 9, 5.). Sed praecipue eum hoc nomine laudat A. P. 73:

*Res gestae regumque ducumque et tristia bella,*
*Quo scribi possent numero, monstravit Homerus.*

Itaque ab illo fonte ingeniorum non tantum poeticae descriptionis modum legitimum et ornatum, sed vitae etiam praecepta repetiit (Epist. I, 2, 3. vid supra), quum non improbaret illam Stoicorum sententiam, doctrinam egregiam latere sub Homeri fabulis. Dispositionem inprimis carminum Homeri laudibus extulit (A. P. 148 seqq.) eiusque exemplum secutus hanc ipsam politam et concinnam *διασκευὴν* suis versibus adhibuit. Homeri

15) Ut Xenarchus comicus (ap. Athen. XIII. p. 596 B.) in Sat. I, 2, 83 — 85, 94 — 103, Isocrates orator (p. 37. lin. 52. ed. Wolf. ap. Muret. V. L. l. 5) in Sat. I, 3, 103 sqq., Xenophon Socraticus (Oec. I. 10) in Sat. II, 2, 104 — 107, Philodemus Epicureus (vid. Orell. ad Sat. I, 2, 92 et 120 sq.); e Tragicis Sophocles (cf. Sat. I, 9, 59 cum Electr. 945 Dind., Sat. II, 3, 187 sq. 104, 197 sqq. cum Aiac. 1047 sq. 1050. 1273 sqq., Sat. II, 5, 68 cum Phil. 283 sq., S. II, 6, 49. cum Oed. R. 1090 sq. aliaque cum aliis); ex Lyricis Anacreontis fr. 42. Schn. iam memor fuit in toto Epod. IV., et fr. 6. in Epod. XIII. init., Simonidis Cei fr. 34, 2 sqq. in Sat. II, 6, 95 sq., Pindari Nem. X. 61. B. in Sat. I, 2, 90, Bacchylidis fr. 10, 9 sq. in Epod. II. 4. sq. (cf. Tibull. I. 10, 49); ex Alexandrinis denique Callimachum (Epigr. 33. Ern. p. 302) in Sat. I, 2, 105 — 108 agnoscimus, et multis locis Theocritum, cuius Pharmaceutriam, archetypon illud scenarum magicarum, sicut Virgilius Ecl. VIII. et Tibullus Eleg. II. 5, sic Horatius et saepius et manifestius secutus est: cf. vs. 14. et 28 sqq. cum Sat. I, 8, 30 sqq., vs. 15 sq. cum Epod. V. 61 sq., vs. 88 sqq. cum Epod. XVII, 21 sq., vs. 30 sq. cum Ep. XVII, 7; praeterea vs. 127 seq. c. C. III. 26, 6 — 8. ap. Bentl. et vs. 55 sq. c. A. P. extr.

igitur imitationis vestigia apud Hor. quum per omnia carminum genera dispersa et propagata sint, nec ipse usquam eam rem occultaverit, sed frequenter et dedita opera prae se tulerit, tum priora carmina melica ex ea potissimum pendent: C. I, 6. I, 15. I, 28. alia.[16])

Praeter Homerum autem neminem libentius ac studiosius imitatus est quam Euripidem, sapientissimum illum et aureum[17]) poetam, philosophum de scena, sed nimis neglectum ab Interpretibus Horatii: qui eius testimonia ore rotundo dicta, quo ipse limatior atque perfectior exstitit, eo magis et apertius sectatus est, ut haud sciam, an ille, quod quidem ad res attineat, primo omnium loco ponendus sit. Eum Horatius quamquam nunquam appellat nomine, re tamen frequentissime expressit, ut fecerat iam Cicero[18]). Nam ex huius potissimum fabulis personas scenicas[19]) et exempla petit ad praecepta sua firmanda[20]), et primarias Carminum sententias ab eodem mutuatur. Nec mirum hoc, quum et utriusque humanitas ac prudentia amice conspiraret[21]), nec locupletior illo sententiarum auctor exstaret: quum praesertim illae vel ex proverbiis Graecorum natae, vel ex clarissimorum virorum dictis haustae essent, vel

16) Homericae imitationis exempla tam innumera sunt, ut vel modica ex iis electio, si modo iusta esset, huius libelli angustias longe excederet. Sat vero bona copia eorum vel in Consp. locorum C. lib. I. collecta est.

17) Frg. Diphili: *Εὖ γ' ὁ χατάχρυσος εἶπε τοῦτ' Εὐριπίδης χτλ.*

18) Ipse quoque Cicero Euripidem, cuius sententiis eius scripta referta sunt, raro nominat, nec tam citat „vera eius praecepta“ (ad Div. 13, 15) vel „testimonia“ (ibid 16, 8) quam gnaris amicis in memoriam redigit, ut saepe nil nisi initium proferat: Tusc. Q. III, 14, 29. (cll. Horat. C. II, 10, 13 seq. et Eurip. fr. Thes. 5.), ad Att. XV, 4 (Eur. Med. 411: *ἄνω ποταμῶν*, cll. Hor. C. I, 29, 10), de Fin II, 32. ad Att. II, 25. al.

19) Sat. II, 3, 130—140: Orest. v. 264 sqq. D.; vs. 303: Bacch. 1214 seqq.; C. IV, 7, 25 sqq.: Hippl. 1437; vs. 27 sq.: fr. Pirith. 4.; Epist. I, 18, 43 sqq., ubi v. Orell. cet. Cfr. Estreium p. 37 sq., qui omnia eius rei vestigia persecutus est.

20) A. P. 95—98. 185—187.

21) Si philosophiam dicere malis, recentiorum vocabulo satis recte realismum appellaveris. Vid. Hassii com. de Euripidis philosophia, Magd. 1843.



ipsae mature in proverbiorum vim ac potestatem abiissent, vel omnibus certe mediocriter doctis plus quam notae essent. Itaque Horatius quod ad Grosphum scripsit C. II, 16, 29: Nihil est ab omni parte beatum, non sua sententia, quod putidum foret, doctum amicum monere voluit, sed Euripidis verbis optime ipsi quoque cognitis et acceptissimis. „Nosti enim, ait, o Grosphe, quam vere ac sapienter dictum sit illud quod familiaris nobis poeta Euripides toties inculcat: *οὔ τις ἀνδρῶν εἰς ἅπαντ' εὐδαιμονεῖ*[22]).“ Licet autem hoc loco de magna illa ac prope dixerim prodiga coena, ad quam quasi Euripides Horatii amicos invitat, nunc paucula quaedam fercula apponere: quibus qui non saturati fuerint, vel ipsum dominum convivii salutent, vel Antonii Goebelii[23]) scriptiunculam adeant, qui et copiam et ordinem eius coenae scientissime monstravit. Quamquam quum ipse quoque compluribus iam abhinc annis, tum sane Goebelio non inspecto, sat multas Graeci poetae sententias collectas cum Horatio contulissem, nunc mirum consensum cum illo deprehendi. Quare hoc tanto certius mihi persuasi, eam rem non aleam, sed rationem aliquam necessariam sequi. Sed ut iam nonnulla degustemus ex Euripide, quae collecta a me et Goebelio huic rationi et explicationi fidem addere possint: fluxit ex Euripide universa Carm. I, 34. sententia, v. Bacch. 393 seqq. (cf. Heracl. 901 seqq.); itemque C. II, 19, celeberrimus in Bacchum hymnus, ex eadem fabula, sive spectata paulo ante sive relecta, totus compositus est, vid. vs. 874. 281. 723. sqq. 142. sq. 558. 605. 625. 569. 698 et 103. 378. 419., et in Epist. I, 16, 73 seqq. integra ex iisdem Bacchis 492 sqq. scena fere ad verbum Latine reddita legitur. Deinde in Carm. IV, 7. ad Torquatum scripto complures et sententiae et personae Euripideae coniunctae continentur: cfr. vs. 7 sq. cum Eurip. Alc. 799 et fr. inc. 45, vs. 13 sqq. cum Meleagr. 20, vs. 17 cum Alc. 784 sq., vs. 21 sqq.

22) Frg. Alex. 3, Aug. fr. 9., Sthen. 1., et paulum variatum Med. 1228 et Iph. A. 161. Cfr. Philippides comicus ap. Mein. et Aristoph. Ran. 1217, qui ipsum Euripidem eadem dicentem faciunt.

23) ap. Mützell. „Zeitschrift f. Gymnasialwesen“, 1851 p. 298 sqq.

cum Alc. 985[24]); similisque ratio est Carm. II, 10. ad Licinium, et C. II, 16. ad Grosphum, et C. III, 29. ad Maecenatem, et Epist. I, 16. ad Quinctium scriptae. Tum exordia Carminum I, 34: Insanientis dum sapientiae, et II, 3: Aequam memento rebus in arduis Servare mentem cet., ut clausulae Carmm. III, 2: Raro antecedentem scelestum Deseruit pede Poena claudo, et III, 23: immunis aram cet., et Epistolar. I, 16: mors ultima linea rerum est, multaeque aliae ab Euripide ductae sunt: Bacch. 393 sq., fr. inc. 170., fr. inc. 2., Dan. fr. 12, El. 956[25]). Denique quae

---

24) Hor. l. c. vs. 7: Immortalia ne speres, monet annus et almum
Quae rapit hora diem.

Eurip. Alc. 799: *Ὄντας δὲ θνητοὺς θνητὰ καὶ φρονεῖν χρεών.*

— fr. inc. 45: *Θνητὸς γὰρ ὢν καὶ θνητὰ πείσεσθαι δόκει·*
*Θεοῦ βίον ζῆν ἀξιοῖς ἄνθρωπος ὤν;*

Hor. l. c. vs. 13: Nos ubi decidimus — —
Pulvis et umbra sumus.

Eurip. Mel.: *Κατθανὼν δὲ πᾶς ἀνὴρ*
*Γῆ καὶ σκιά· τὸ μηδὲν εἰς οὐδὲν ῥέπει.*

Hor. l, c. vs. 17.: Quis scit an adiiciant hodiernae crastina summae
Tempora Di superi?

Eurip. Alc. 784: *Οὐκ ἔστι θνητῶν ὅστις ἐξεπίσταται*
*Τὴν αὔριον μέλλουσαν εἰ βιώσεται.*

Hor. l. c. vs. 21: Quum semel occideris, — —
Non, Torquate, genus, non te facundia, non te
Restituet pietas.

Eurip. Alc. 985: *οὐ γὰρ ἀνάξεις ποτ' ἔνερθεν*
*Κλαίων τοὺς φθιμένους ἄνω.* (Cfr. Alc. 1076 et Herc. f. 297.).

Sub finem autem carminis poetae auctorem suum ipse indicavit, quum tres personas scenicas Hippolytum, Theseum, Pirithoum ex eius fabulis citavit, vid. supra not. 19.

25) Eurip. ll. cc.:
*Τὸ σοφὸν δ' οὐ σοφία,*
*Τό τε μὴ θνητὰ φρονεῖν.*

*Μηδ' εὐτύχημα μηδὲν ὦδ' ἔστω μέγα,*
*Ὅ σ' ἐξεπαίρῃ μεῖζον ἢ χρεὼν φρονεῖν,*



de sera numinis vindicta et de Poena pede claudo accedente: Hor. C. III, 2, 26 — 30. cll. Eurip. El. 1350. Suppl. 224, Hor. ib. 32 cll. Eur. fr. inc. 2 et Phrix. fr. 8 — et quae de divitiis tantummodo commodatis nullique propriis: Hor. S. II, 2, 129 — 135. cll. Eur. Ph. 557 sqq. fr. Aeol. 4. Alex. fr. 16 (*ἴδιον οὐδὲν ἔχομεν κτλ.*) — et quae de pauperici opprobrio et de pecunia genus virtutem sapientiam omnia donante et de improbis divitiis: Hor. C. III. 24, 41. cll. Eur. Dan. 15, 8 (*κακὸς δ' ὁ μὴ 'χων, οἱ δ' ἔχοντες ὄλβιοι*), Hor. Epist. I, 6, 38 sq. et Sat. II, 3, 94 sqq. cll. Eur. Arch. fr. 17 et 18 et Dan. fr. 12, Hor. C. III, 24, 62 cll. Eur. Alex. fr. 14 (*ἄδικον δ' ὁ πλοῦτος*) — et quae de virtute non tam natura donata quam doctrina paranda: Hor. Sat. I, 3, 113. cll. Eur. Aeol. fr. 2.; Hor. C. IV, 4, 29 sq. cll. Eurip. Alcm. 8 sq. (*ἐσθλῶν ἀπ' ἀνδρῶν ἐσθλὰ γίγνεσθαι τέκνα κτλ.*); Hor. ib. 33 sq. cll. Eurip. Iph. A. 562 (*τροφαὶ θ' αἱ παιδευόμεναι Μέγα φέρουσιν εἰς ἀρετήν*), Hec. 599 sqq. Suppl. 911 seqq. — et quae de summa et arbitraria deorum potestate: Hor. C. I, 34, 12 sqq. cll. Eur. Tel. fr. 25; Hor. C. III, 29, 50. Sat. II, 8, 62 cll. Eur. Heracl. 611 sqq. — et quae de incerta vitae humanae conditione: Hor. C. IV, 7, 17 sq. cll. Eur. Alc. 784 sq. — et quae de fruendi arte (Epist. I, 4, 7; v. ad C. I, 31, 17), quae ipsa quoque Horatio nova et adventicia est, quum potius „et facere et pati fortia

---

*Μηδ' ἄν τι συμβῇ δυσχερὲς, δουλοῦ πάλιν,*
*Ἀλλ' αὐτὸς ἀεὶ μίμνε, τὴν σαυτοῦ φύσιν*
*Σώζων βεβαίως, ὥστε χρυσὸς ἐν πυρί.*

*— ἡ Δίκη — — σῖγα καὶ βραδεῖ ποδὶ*
*Στείχουσα μάρψει τοὺς κακοὺς, ὅταν τύχῃ.*

*— ἐγὼ δὲ πολλάκις σοφωτέρους*
*Πένητας ἄνδρας εἰσορῶ τῶν πλουσίων,*
*Καὶ θεοῖσι μικρὰ χειρὶ θύοντας τέλη*
*Τῶν βουθυτούντων ὄντας εὐσεβεστέρους.*

*— — πρὶν ἂν πέλας*
*Γραμμῆς ἵκηται καὶ τέλος κάμψῃ βίου.*

Eademque mors Euripidi fr. 108, 4 est *ὅρος κείμενος*, unde finis illa destinata apud Horat. C. II, 18, 30, quae ratio fugit Orellium, ut perperam interpretaretur.

Romanum sit“ (Liv. II, 12): Hor. C. I, 9, 13 sqq. (et Sat. II, 6, 93., v. infra) cll. Eurip. Alc. 788—791; Hor. C. III, 8, 27. II, 16, 25. Epist. I, 11, 22 sq. C. III, 29, 42 sq. cll. Eur. Hip. 1115. Herc. f. 503 Suppl. 953 sq. Bacch. 910 sq. (τὸ δὲ καθ' ἥμαρ ὅτῳ βίοτος Εὐδαίμων μακαρίζω) — quaeque permulta alia plane singulari ac propria ratione ab Euripide praecepta apud Nostrum leguntur, illi gravissimo sententiarum auctori debentur. Quid quod Sat. II, 6, 93—97 mus urbanus haud irridiculo modo Euripideam sapientiam propinat agresti, ex Alcestide 780 — 790 petitam? Quid quod saepe ea ipsa, quae VV. DD. in Carminibus notanda et obelo damnanda putarunt, tanquam Horatio indigna, manifesto consilio expressa sunt ex Euripide, velut C. III, 4, 65—68 ex Temenid. fr. 11 et Hel. 903? [26]) — Quibus omnibus quum nihil explicatius, nihil apertius esse possit, plerasque sententias Horatianas ex Euripide repetendas esse recte persuasisse mihi videor, idque tum praesertim, ubi cum continentibus laxiore vinculo cohaereant, aut ab ipso poeta per particulam explicativam enim introducantur, cuius haec vis est: „Nosti enim Graecum volgarem in hanc sententiam versum, cuius te hic meminisse velim [27]).“

His proxime accedunt in Carminibus Lyrici, quorum ab Horatio commemorantur sex: Alcaeus, Sappho, Stesichorus, Anacreon, Simonides Ceus, Pindarus, et praeter hos nonnulli etiam, qui ab ipso non nominantur: Alcman, Ibycus, Bacchylides; eorum autem omnium princeps est Alcaeus. Hunc cum Sapphone, cive eius et aequali, saepius coniungit, eorum lyricum genus significans, quoties Lesboum barbiton (C. I, 1, 34; 32, 4), Lesbium plectrum (C. I, 26, 11), Lesbium pedem (C. IV, 6, 35), Aeolium carmen (C. IV, 3, 12) memorat. Iisdemque acceptum refert, quod de se ipso gloriatur C. IV, 3, 22:

*Quod monstror digito praetereuntium*
*Romanae fidicen lyrae*

26) *Ῥώμη δέ γ' ἀμαθὴς πολλάκις τίκτει βλάβην. — Μισεῖ γὰρ ὁ θεὸς τὴν βίαν.*

27) Sic enim fere Cicero de eodem Euripide: de Div. II, 5, 12. de Fin. II, 30. alibi.



et C. III, 30, 13: *Dicar — — — — —*
*Princeps Aeolium carmen ad Italos*
*Deduxisse modos,*

siquidem primus, pauca quum tentasset Catullus, melicam poesin ad Romanos transtulit et novam dictionem in ea excoluit. Sed Alcaeo omnino principem in suo genere locum defert Epist. II, 2, 99, et propter ipsius praestantiam, et quia Sapphus carmina imitatus iam fuerat Catullus [28]). Haud „latent minaces Alcaei Camenae“ (C. IV, 9, 6), ut idem vel apud inferos „pugnas et exactos tyrannos aureo plectro dicere“ fingatur „plenius sonans“ quam Aeolia puella (C. II, 13, 26 sqq.) propter acres atque altos illos spiritus, quibus eius *μέλη πολιτικὰ καὶ πολεμικὰ* plena sunt, et redundant etiam eius *ᾄσματα συμποσιακὰ καὶ ἐρωτικά*. [29]) Hunc igitur, qui inter bella et negotia et labores tamen amorem cecinerit et vinum, imitari se dicit C. I, 32, 5 seqq., hunc magnum suum exemplum esse palam profitetur Epist. I, 19, 33:

*Hunc ego non alio dictum prius ore Latinus*
*Volgavi fidicen,*

huic „modos et carminis artem“ debet in Carminibus, ut Archilocho in Epodis, ab hoc saepius ac libentius quam ab aliis lyricis initia carminum sumit, quae dilatando explicet, vid. ad C. I, 18, 1, et confer praeter cetera Hor. C. I, 9, 1 sqq. cum Alc. fr. 27., C. I, 14, 1 sqq. cum fr. 10., C. I, 18, 1. cum fr. 36., C. I, 37, 1 sq. cum fr. 12., C. III, 12, 1. cum fr. 50., C. III, 29, 18. sqq. cum fr. 31, 1. sqq. apud Schneidew. Sapphus autem „amor spirat adhuc“ quodammodo in C. I, 12, 46. I, 13, 5. I, 32, 3. (cll. III, 11, 3.) III, 12, 4. [30]) alibi. Alcaei minacibus

28) Praeter locum iam supra allatum cfr. Sapph. fr. 13, 30. 39. 44, 4 sqq. et vs. 7 sq. 45. cum Catull. CXVIII, 134. III, 6. XXV, init. LXII, 39 sqq. LXI, 91. LXII, init.

29) Dionysius Hal. V, 421. Rsk.: *Ἀλκαίου σκόπει τὸ μεγαλοφυὲς καὶ βραχὺ καὶ ἡδὺ μετὰ δεινότητος — καὶ πρὸ ἁπάντων τὸ τῶν πολιτικῶν πραγμάτων ἦθος.* Adde Quintil. Inst. X, 1, 63. et cfr. cum eo spiritu v. c. Hor. C. I, 14. et I, 37.

30) Cfr. Sapphus fragm. 3. 2, 7 sqq. 63. 18. Carminis III, 12. quidem initium quum ab Alcaeo repetierit, vs. 4. et sqq. sunt Sapphus: Hor. l. c.: Miserarum est neque amori dare ludum neque dulci cet.
Alc. fr. 50 Schn.: *Ἐμὲ δειλὰν, ἐμὲ πασᾶν κακοτάτων πεδίχοισαν.*

graves easque Doricas adiunxit Stesichori Himerensis Camenas (C. IV, 9, 8.), qui et argumentorum et compositionis gravitate lyricum carmen ad epici fere maiestatem evexerat (Quintil. X, 1, 62). Verum in summa fragmentorum paucitate vix unum alterumve imitationis exemplum apud Horatium deprehendas. Meminit eius celeberrimae Palinodiae in Helenam Epod. XVII, 42., eodemque tanquam in exemplar respexisse videtur C. I, 16. Praeterea initium Carm. III, 4. congruit cum eius Fr. 18. ap. Schneidew., et quae in Epistola ad Fuscum (I, 10, 34) de equo legitur fabula, eidem tribuitur. Nam eam civibus suis narrasse Stesichorum, quum Phalaridem copiis suis praeficere vellent, tradit Aristoteles Rhet. II, 20.

Anacreontis autem amatoriam poesin delicatissimam quin magni fecerit Horatius ipseque imitatione saepe expresserit, non est quod dubitemus. C. IV, 9, 9:

*Nec si quid olim lusit Anacreon*
*Delevit aetas.*

Eiusque fides Teia (C. I, 17, 18) resonat etiam v. c. in C. I, 23, 1 sqq. cll. fr. 31., in C. I, 27, 1 sqq. cll. fr. 40, 7 sqq., in C. II, 5, 1 et III, 11, 9 sqq. cll. fr. 47. Schneidew.[31])

---

Horat. l. c.: Tibi qualum Cythereae puer ales, tibi telas
Operosaeque Minervae studium aufert, Neobule,
Liparaei nitor Hebri.

Sapph. fr. 18. Sch.: *Γλυκεῖα μᾶτερ, οὔτοι δύναμαι κρέκην τὸν ἰστόν,*
*Πόθῳ δαμεῖσα παιδὸς βραδινὰν δι' Ἀφροδίταν,*

ut utriusque imitationem coniunxerit. Unde simul apparet non totum carmen ex Alcaeo expressum esse.

31) Ex Anacreonte praeter ceteros locos qui infra cum Horatio conferendi erunt, hoc loco haec iuvat velut gustanda apponere:
Hor. C. II, 1, 7.: — — — incedis per ignes
Suppositos cineri doloso.
Anacr. fr. 80. Sch.: *Ἀσήμων ὑπὲρ ἑρμάτων φορεῦμαι.*

---

Hor. C. III, 11, 7.: Dic modos, Lyde, quibus obstinatas
Applicet aures,
Quae velut latis equa trima campis
Ludit exsultim metuitque tangi,
Nuptiarum expers et adhuc protervo
Cruda marito. (cfr. C. II, 5, init.)



Simonidis vero Cei, cuius Ceae Camenae (C. IV, 9, 7) laudantur quique non in uno poesis genere multa cum laude versatus esse perhibetur, sententias splendidas quum alibi tum studiosissime in tertio libro sectatus est[32]).

Neque vero „Pindarici fontis expalluit haustus", ut ait Epist. I, 3, 10., quamquam eo quidem loco aliter de se professus esse videtur, quum miretur, quod ipse ausus non sit, ut illum aemularetur, id Titium tentare. Quod decepit Interpretes, ut largum illum fontem minus studiose adirent, quam antiquiores poetas melicos Graecorum. Verum interest aliquid, ut opinor, inter aemulationem et imitationem, et ipsum illud Carm. IV, 2., quo omnia Pindaricae poesis genera

---

Anacr. fr. 47. Sch.:
*Πῶλε Θρῃκίη, τί δή με λοξὸν ὄμμασιν βλέπουσα*
*Νηλεῶς φεύγεις, δοκέεις δέ μ' οὐδὲν εἰδέναι σοφόν;*
*Ἴσθι τοι, καλῶς μὲν ἄν τοι χαλινὸν ἐμβάλοιμι,*
*Ἡνίας δ' ἔχων στρέφοιμ' ἂν ἀμφὶ τέρματα δρόμου.*
*Νῦν δὲ λειμῶνάς τε βόσκεαι κοῦφά τε σκιρτῶσα*
*παίζεις·*
*Ἀεξιὸν γὰρ ἱπποπείρην οὐκ ἔχεις ἐπεμβάτην.*

Ex Anacreonteis autem carminibus illis, quae variis et auctoribus et temporibus deberi constat, nonnulla saltem cum Horatio non sine magna similitudinis specie comparari possunt, velut primum cum C. I, 6., XVI cum C. II, 12,, XXV cum C. III, 21. aliaque cum aliis.

32) Hor. C. III, 2, 14: Mors et fugacem persequitur virum.
Sim. fr. 51 Sch.: *Ὅ δ' αὖ θάνατος κίχε καὶ τὸν φυγόμαχον.*

---

— 2, 21 sq.: Virtus recludens immeritis mori
Caelum negata tentat iter via.
— 83, 3: *Οὐδὲ τεθνᾶσι θανόντες, ἐπεὶ σφ' ἀρετὴ καθύπερθε*
*Κυδαίνουσ' ἀνάγει δώματος ἐξ Ἀΐδεω.*

---

— 2, 25: Est et fideli tuta silentio Merces.
— 52: *Ἔστι καὶ σιγᾶς ἀκίνδυνον γέρας.*

---

— 29, 47 sq.: (Juppiter non) Diffinget infectumque reddet
Quod fugiens semel hora vexit.
— 55: *Τὸ γὰρ γεγενημένον οὐκέτ' ἄρεκτον ἔσται.*

De Simon. fr. 52. cll. Hor. l. c. et aliis accuratius exposuit Lobeck. Agl. p. 67.

laudibus magnificis efferuntur, Pindarica prope sublimitate compositum est, ut C. I, 1. I, 12. I, 31. I, 35. alia. Vid. omnino ad C. I, 1, 3.

Ex iis autem Lyricis, quos ipse non nominavit, non ignoravit tamen Alcmanem, Doricae sive choricae poesis cultorem et antistitem, nec oblitus est Regini Ibyci, „omnium flagrantissimi amore“, nec denique, si Scholiastis fides habenda, Bacchylidis, Simonidis Cei ex sorore filii, ut lyricum grammaticorum Alexandrinorum canonem totum complexus esse videatur[33]).

Hi igitur quos dixi in Carminibus gravissimi sunt Horatio Graecitatis auctores, Homerus, Euripides, Lyrici: quibus iam e reliquis omnibus nonnulli addendi videntur in transitu. Ac primus quidem ex Epicis dignus est qui nominetur Hesiodus[34]), cuius „Ascraeum carmen“ non minus suspexit, quam Virgilius (G. II, 176).

Ex Elegiacis, a quibus, ut ipse quidem statuit A. P. 75:

Versibus impariter iunctis querimonia primum,
Post etiam inclusa est voti sententia compos,

Mimnermum omnesque antiquiores poetas, Ionicos dico, Callimacho et ceteris Alexandrinis praefert Horatius Epist. II, 2, 100 sq., in quo ipse sibi constat, qui ita iudicet Epist. II, 1, 28: — Graecorum sunt antiquissima quaeque Scripta vel optima. Quis tamen θρηνητικὴν illam elegiam primus condiderit et „emiserit auctor“, ipse decernere dubitat, „quum adhuc sub iudice lis sit“, sed perfectorem eius agnoscit Simonidem Ceum, varium illum et multiplicem et copiosum poetam, cuius Ceas naenias laudat C. II, 1, 38. Amatoriae autem elegiae auctor et exemplar ei est Mimnermus, ex quo principalem et propriam eius generis sententiam in medium pro-

33) De Alcmane vid. ad C. I, 19, 1, ubi eius frgm. 17. Schn., et ad C. I, 30, 1, ubi eiusd. fr. 19. cum Hor. collatum est; Ibycum autem probabiter imitatus est in C. I, 25, 11: Thracio bacchante magis vento Quum tibi flagrans amor et libido Saeviet circa iecur, ubi cetera Ibyciae imitationis vestigia collecta sunt; de Bacchylide dictum est ad C. I, 15, init.

34) Vid. Servium ad Virg. Ecl. VI, 42, et cfr. Hor. C. I, 3, 29 sqq. cum Hes. Opp. 100 sqq., C. I, 34, 12 sq. cum Opp. 5 sq.



fert Epist. I, 6, 65. [35]) Callini ac Tyrtaei προτρεπτικὴν illam, et διδακτικὴν Solonis ac Theognidis non memorat: sed Tyrtaeo quidem laudatissimam Carm. III, 2, 13. sententiam debuisse videtur[36]), et Solonis mutuatus est Epist. I, 12, 5.[37]). Cum Theognidea autem sententiarum farragine multa sane Horatii dicta satis conveniunt, nec tamen potest non vehementer dubium esse, quin nullo loco illum imitatus sit, quum eadem fere omnia ab antiquioribus aut locupletioribus auctoribus repetenda videantur[38]).

Poetae Tragici componuntur Thespis, Aeschylus, Sophocles Epist. II, 1, 162., vetus conditor ille tragoediae (A. P. 275) cum duobus perfectoribus. Quorum Sophoclem, quem alibi saepe et manifeste expressit[39]), mirum est quam raris et

35) Hor. l. l.: Si, Mimnermus uti censet, sine amore iocisque
Nil est iucundum, vivas in amore iocisque.

Mimn. fr. 1. Sch.: *Τίς δὲ βίος, τί δὲ τερπνὸν ἄτερ χρυσέης Ἀφροδίτης; Τεθναίην, ὅτε μοι μηκέτι ταῦτα μέλοι.*

36) Hor. l. l.: Dulce et decorum est pro patria mori.

Tyrt. fr. 7, 1. Sch.: *Τεθνάμεναι γὰρ καλὸν ἐπὶ προμάχοισι πεσόντα Ἄνδρ' ἀγαθὸν περὶ ᾗ πατρίδι μαρνάμενον.*

37) Hor. l. l.: Si ventri bene est, si lateri est pedibusque tuis, nil
Divitiae poterunt regales addere maius.

Sol. fr. 14, 1. Sch.: *Ἴσον τοι πλουτεῦσιν ὅτῳ πολὺς ἄργυρός ἐστι — — , καὶ ᾧ μόνα ταῦτα πάρεστι, Γαστρί τε καὶ πλευραῖς καὶ ποσὶν ἁβρὰ παθεῖν.*

38) Sic Theogn. 973 seqq. Schn. conveniunt cum Horat. C. I, 4, 17 seqq., cf. tamen Sapph. fr. 69. Sch.; itemque Th. 1129 et 479 sq. c. Hor. C. I, 18, 5 et 7 sq., cf. tamen Eurip. B. 278 seqq. et Hom. Od. XXI, 293 seqq.; et Th. 1075 seqq. c. Hor. C. III, 29, 29 sq., cf. tamen Eurip. Alc. 801. D. et Pind. Ol. XII, 10 sq. B.

39) Exemplis ex Satiris supra allatis haec addo:
Hor. C. IV, 13, 8: Cupido virentis — Chiae Pulcris excubat in genis.
Soph. Ant. 728. D.: *Ἔρως, — Ὃς ἐν μαλακαῖς παρειαῖς νεάνιδος ἐννυχεύεις.*
Hor. Epist. I, 6, 24: Quidquid sub terra est, in apricum proferet aetas,
Defodiet condetque nitentia.
Soph. Aj. 646. D.: *Ἅπανθ' ὁ μακρὸς κἀναρίθμητος χρόνος Φύει τ' ἄδηλα καὶ φανέντα κρύπτεται.*

incertis vestigiis in primo Carminum libro secutus sit[40]), quum Aeschylum[41]) tamen saepius et saepissime, ut vidimus, Euripidem imitatus sit. Nec plura certiorave, quod vix mireris, ex Comicis imitationis vestigia reperiuntur in Carminibus[42]).

Alexandrinis poetis, Callimacho Batti filio, Phileta Coo, ceteris Propertii atque Ovidii exemplaribus illis minus delectatum esse Horatium quam veteribus et praecipuis auctoribus, qui ante Alexandri M. tempora vixerunt[43]), iam supra vidimus, nec tamen negari potest, eum illorum quoque vestigiis aliquando institisse, quod etiam per se consentaneum est. Nam Latini huius ipsius aetatis poetae quum plerique omnes Graecis studiis dediti et Alexandrinorum totius generis imitatores essent, videntur velut apes quaedam interdum etiam in longinqua pascua volitantes dulcissima quaeque mella cerasque miro artificio condidisse, Alexandrini vero ipsi quoque veterum Graecorum imitatores formicis simillimi, quae qualiacunque et undecunque sustulerunt grana in latibulis suis abscondunt. Horum igitur copias conditas iam et paratas ne Horatius quidem fastidivit, sed more modoque suo quae digna viderentur in suas cellas transtulit, quamquam nec multa nec ita expressa, ut apud ceteros sunt. Atque ex Elegiacis quidem Callimachum, ex Epicis Apollonium, ex Bucolicis Theocritum et fortasse etiam Bionem ac Moschum, ex Epigrammaticis Archelaum aliquot locis in eius carminibus agnoscimus.[44])

40) Vid. ad C. I, 8, 13. et I, 24, 19.

41) Vid. ad C. I, 3, 18 (Aesch. S. (96. D.), I, 3, 19 (Pers. 110 seq.), I, 28, 30 (Suppl. 433 sqq.), I, 35, 11 (Pers. 162) et cf. ex aliis:

Hor. C. III, 4, 42: — Scimus ut impios
Titanas immanemque turmam
Fulmine sustulerit caduco.

Aesch. Prom. 358: *Ἀλλ' ἦλθεν αὐτῷ (Τυφῶνι) Ζηνὸς ἄγρυπνον βέλος,*
*Καταιβάτης κεραυνὸς ἐκπνέων φλόγα κτλ.*

42) Cfr. Aristoph. Pac. 1076. D. cum Hor. C. I, 33, 7 sq., Anaxilai fr. ap. Athen. 13, p. 558. c. Hor. C. I, 27. 19 seqq., Menand. *Κολ.* p. 101. M. c. H. C. I, 31, 17 sq aliaque nonnulla cum aliis, quae ex parte iam supra comprehendimus in not. 12.

43) i. e. „Klassiker" vid. Sueton. Tib. 10.

44) Catullum quidem novimus Callimachi poemation de Coma Berenices versum de versu Latinis numeris reddidisse, itemque Ovidium magna ex parte eiusdem Ibidem ut multa alia, alia etiam Propertium, utrumque tamen non sine magna arte et delectu, Latinis suis versibus expressisse (vid. Valcken. in „Callim. Elegiarum fragm. cum Elegia Catulli Callimachea" p. 282., Merkel. Praef. in Ovid. Fast. et in eiusd. Trist. et Ib., Hertzb. in Quaest. Prop. p. 189 sqq.); Horatium vero, ut aequalium poetarum et elegantissimus erat et suo ipse ingenio plurimum valebat, perpauca suspicor ex Callimacheis ad suum usum convertisse atque in his ipsis imitandis suo semper usum iudicio. Valckenarius quidem haec contulit:

Hor. Sat. I, 2, 8: — avi cur atque parentis
Praeclaram ingrata stringat malus invie rem. cf. Epist. II, 1,187.

Callim. fr. 10. V.: *Ἄπνοα πάντ' ἐγένοντο παραχρῆμ' ὅσσα τ' ὀδόντων*
*Ἔνδοθι, νεαίρην εἰς ἀχάριστον ἔδυ.*

Hor. C. I, 36, 14: Neu — Bassum Threicia vincat amystide.

Callim. fr. 11. V.: *Καὶ γὰρ ὁ Θρηϊκίην μὲν ἀνήνατο χανδὸν ἄμυστιν*
*Ζωροποτεῖν· ὀλίγῳ δ' ἥδετο κισσυβίῳ.*

Quibus adde Hor. I, 3, 1 sqq. cll. Call. fr. 114 Bl. Hor. Epist. I, 3, 10 sq. cll. Call. ep. I, 4., et quae supra in not. 15. collecta sunt. Ex Apollonio Arg. I, 22, infra contuli cum C. I, 24, 2 sq., ex Theocrito Id. XXII, 19 sqq. cum C. I, 12. 30 sqq. et cum C. IV, 8, 32 sq. alia, ex Bione Id. VII, 15 sqq. cum C. I, 8, 13 sqq., ex Moscho Id. VI, init. cum C. I, 33, 5 sqq., ex Archelao fr. in Anth. P. II, p. 661 cum C. I, 12, 57 sq.



In Epistolis denique, quibus nulla perfectiora aut maturiora ingenii monumenta fieri possunt, ut plurimas Graecorum literas ac doctrinas plane in succum et sanguinem conversas admiramur, ita perpauca imitationis vestigia deprehendimus. Quae quoniam eorundem fere auctorum essent, qui supra dicti sunt praeter Lyricos, cum superioribus passim coniunxi. His unum alterumve scriptorem vel philosophiae vel didacticum vel grammaticum Alexandrinum adiiciendum esse facile concedo. In Arte quidem Poetica cum praeceptis Horatianis sat multi loci ex Aristotelis libro *περὶ ποιητικῆς* et ex eiusdem Rheto-

ricis [45]), et insigne praeceptum Isocratis oratoris [46]) aliaque nonnulla comparari possunt, in eundemque librum, teste Porphyrione Scholiasta, „congessit praecepta Neoptolemi τοῦ *Παριανοῦ* de arte poetica, non quidem omnia, sed eminentissima.“

Haec de Horatii exemplaribus Graecis praeponenda putavi non omnia quidem quae effundi possent, sed quae ex magna copia satis esse viderentur ad meam mihi viam muniendam. Iam vero, ut tandem in eo quod propositum est subsistam, primum Carminum librum separatim et dedita opera aggressus sum cum Graecis sriptoribus conferre et ex iis explicare, ut quo carminum eorum, quae Graeco fonte deducta videntur, longe plurima continerentur. Nam Horatius postquam initio sane Graecos paulo sollicitius expressit, inde a libro secundo Carminum omnia ad suum iudicium conformare coepit, in tertio et quarto Graeca non mutuatus est nisi ut Graecorum suavitatem locis aliquot adderet. Itaque ut praeclara artis opera nos interdum magis oblectare et acrius commovere solent, si non omnes partes aeque elaboratae aut sub una eademque plena ac perfecta luce propositae appareant, sed et umbrae aliquae sint nec desint leviuscula quaedam limae atque laboris indicia, quibus initia artis et incrementa agnoscere possimus; ita primitiae melicae artis Horatianae, quamquam non omnibus numeris absolutae sunt, tamen et cognitu iucundiores sunt, si cum posterioribus comparantur, et ita demum veram suam ac iustam lucem accipiunt, si Graecarum litterarum lumen accedit. Quae interpretatio ut verissima est, ita cavendum est ne ad omnes

45) Hic vel ea sufficiant quae Bentleius ad vs. 172 et Orellius ad vs. 73 sqq. 151. 163 sqq. 191. 194. 215. 338. adnotarunt.

46) Hor. A P. 240: Ex noto fictum carmen sequar, ut sibi quivis
Speret idem, sudet multum frustraque laboret
Ausus idem: tantum series iuncturaque pollet.
Cf. Epist. II, 2, 124.
Isocr. Panath. Bek. p. 260: *ἡγοῦμαι τοῖς ἤδη πολιὰς ἔχουσιν ἁρμόττειν, οὐκ ἐκεῖνον τὸν τρόπον λέγειν, ἀλλ' ὡς ἅπαντες μὲν ἂν ἐλπίσειαν ἢ βουληθεῖεν, οὐδεὶς δ' ἂν δυνηθείη ῥᾳδίως πλὴν τῶν πονεῖν ἐθελόντων καὶ σφόδρα προσεχόντων τὸν νοῦν.*



minimas partes adhibeatur. Potuit enim Horatius ils exemplaribus omnino uti, neque tamen singula verba sententiasve colligere aut omnia anxie conservare: id quod ei in more fuisse iam supra vidimus. Sed quoniam hoc quoque vidimus, eam imitationem ab eodem per diversissimos locos dispersam fuisse, ut non de scripto sed ex memoria plerumque facta videatur, Graeca Horatii interpretatio eo diligentior esse debet, quo verius quasi dispersa disiectorum membrorum collectio vocari potest. Saepenumero mente potius quam oculis cernitur, insignem quandam Graeci scriptoris sententiam ab Horatio arreptam et pertractatam esse, ut in verbis quidem nulla admodum similitudo appareat, si tamen inventionem et totam artem paulo accuratius inspexeris, non possis dubitare, quin eam Graecorum studio debeat. Nec raro duorum auctorum sententias vel acute dicta vel duo proverbia in unum conflavit, quod imitatoris est. [47])

In hac igitur opera quum nihil antiquius habuerim quam ut explorarem, quaenam potissimum exemplaria Graeca et quonam modo Horatius imitatus esset: primum omnes locos, quotquot ex Graecis scriptoribus expressisse videbatur, congessi et in tripartitum certorum, probabilium, dubiorum ordinem digessi [48]) Primos enim eos proposui, quos certos s. manifestos dixerim: in quibus quidem aut ipse Horatius auctorem suum nominavit, aut imitationis vestigia ita aperte unicuique in oculos incurrunt, ut prope res ipsa loquatur. Tam expressa imitationis exempla perpauca apud Horatium exstant; in ceteris autem multas et idoneas caussas convenire necesse est, ut pro certo affirmari liceat, imitationem esse factam. Nec sola sufficit Scholiastarum et VV. DD. auctoritas, gravis sane per se nec contemnenda, sed in hoc quidem campo, ut vidimus, saepe lubrica; magna vero documenta sunt, si Horatius auctorem

47) Complura id genus exempla collegi ad C. I, 28. extr., qui ipse locus (vs. 30 — 34) ex Hom. Od. XI, 66 seqq. et Aeschyl. Suppl. 433—437. D. probabiliter videtur compositus esse.

48) In his Fr. A. Wolfii fere rationibus obsecutus sum, quas ille proposuit in Praef. in Marcellianam extr. et in Oratt. IV. p 31 sqq., ut verum et certum, verisimillimum, probabilem coniecturam, divinationem discerneret.

suum aliquo tamen modo significavit, si praesertim eius dictum vel statim ab initio tanquam splendidum exordium vel in conspicua sede ut primariam sententiam, superaddita interdum particula enim, collocavit, si plane singulare ac proprium Graeci alicuius auctoris vel dictum vel dicendi genus secutus est, si integram sententiarum seriem servavit, si eundem auctorem saepius vel in eodem argumento imitatus est. His et aliis rationibus et argumentis ad caput imitationis perveniri potest. Quorum si plura eaque satis idonea ad persuadendum ita convenerint, ut de ipsa veritate non iam possimus dubitare: locos certos esse, si aliquot tamen nec spernendae rationes magnam nobis veritatis speciem obtulerint, etiamsi vestigia imitationis mente magis quam oculis cernantur, probabiles esse locos recte iudicabimus. Tertia denique classe comprehendi locos dubios, ubi animus inclinavit quidem ut Graecorum exemplaria Horatio obversata esse divinaret, nec tamen id aliis probabiliter persuaderi potuit, sed rem dubiam esse ingenue confitendum fuit.

Deinde, quoniam Horatius in formando etiam orationis colore et in rebus multis se ad Graecorum imitationem composuit, his quoque rationibus providendum ratus interpretis munere functus sum, sed hac lege imposita, ut ea dumtaxat conquirerem quae aut ad dictionem Graecanicam aut ad res Graecas illustrandas necessaria esse viderentur. Atque in integris quidem verbis Graecis civitate Romana donandis severa censura usus est[49]), itemque in compositionibus verborum et in declinationum formis et in structuris ac figuris si quae Graeco fonte cecidissent non comprobavit nisi „parce detorta“ (A. P. 52 sq.)[50]). A qua summa lege sua ut nusquam descivit, ita in singulis dicendi generibus effingendis a solito atque inani formularum usu, quem Virgilius ceterique aliquando am-

49) Vid. Sat. I, 10, 20 — 30. de Lucilio „Canusini more bilinguis“ locuto. Exempla ex Planto, Lucilio, ipsoque Horatio congesta tibi commode suppeditabunt Passov. not. 141. Orell. ad l. c. Wetzel. Hor Opp. Ind. Synt. p. 98. Passov. not. 181.

50) Bernh. in cens. Peerlk: „Horazens Gräcismen treten nirgend allzu schroff und zum Nachtheil der Deutlichkeit (wie etwa beim Properz) hervor.



plexi sunt, prorsus abhorruit, et in hac quoque parte „varius et felicissime audax“ fuit, id quod „callida verborum iunctura“ maxime consecutus est (Epist. II, 1, 166. A. P. 47.). Sed quoniam res grammaticae tum denique, quum sub uno veluti conspectu propositae sunt, recte existimari possunt, eae nec hic nos diutius retinere debent, nec in singulis Carminum locis ubique explicandae et retractandae, sed ad universa quaedam genera revocanda et generibus tanquam species exempla subiicienda fuerunt. Quare in Excursus reieci, ubi invicem sibi lucem donarent deberentque.

Qui unus hac de ipsa re ab Henrico Wagnero compositus est libellus et eiusdem Orphanotrophei Halensis impensis an. 1770. et cum additt. an. 1771. in lucem prodiit, „Q. Horatii Flacci carmina collatione scriptorum Graecorum illustrata“, est opusculum multis partibus imperfectum et, ut nunc quidem tempora sunt, parum utile, — quamvis probatum olim Ch. A. Klotzio, qui ei praefatus est —, maxime quod eius auctor iusti iudicii firmitate caruit, quum etiam alia omnia quae ad hoc propositum nihil pertinebant congesserit, multis necessariis plane omissis. Quo nomine graviter et vere reprehensus est in Wytt. Bibliotheca critica, ab ipso ni fallor Wyttenbachio, cuius familiaritatem ille frustra iactaverat (Addit. ad C. I, 34, 8).

Ex Horatii Interpretibus post Lambini, Ianii, Mitscherlichii aliorum industriam laboriosam nec tamen inutilem laetioris et nitidioris commentarii speciem praebet ed. Orelliana, quae Horatii explicationem ex Graecis exemplaribus delibavit, minime absolvit. Accedunt Graecorum scriptorum Interpretes, e quibus non pauca Iacobsii, Schneidewini, Bergkii, Liebelii, Matthiaei, Neuii, Boeckhii, Stollii, Dindorfii diligentiae accepta refero[51]). Nonnulla

51) Horum editiones, quae infra saepe per compendia literarum citantur, hae sunt: Fr. Jacobs: Anthologia Graeca ex rec. Brunckii, 13 Voll. Lips. 1794 — 1803, et eiusd.: Anthologia graeca ad fidem Cod. Palatini, 3 Voll. Lips. 1813 — 17, Schneidewin: Delectus poet. Elegiacorum, Jambicorum, Melicorum. Gott. 1838 — 39, Bergk: Poetae Lyrici, Lips. 1843, Liebel: Archilochi Rel., Lips. 1818, Matthiae: Alcaei Rel., Lips. 1827, Neue: Sapphonis Fragm., Berol. 1827, Bergk: Anacreontis Rel., Lips. 1834, Boeckh: Pindari Opp., 3 Vol. Lips. 1811 —

quae ab illis relicta erant ipse collegi. Multa autem in hoc libello adhuc omissa esse quae omitti non debuerunt, multa vero inchoata minimeque perfecta inesse, quae quasi primis labris degustavi, sat ipse equidem scio; at infinita suapte natura quaestio est et hoc initium tamen esse arbitror rei dignissimae, quae fortiorum virorum studia ac vires in se convertat. Interim hoc non egregiae alicuius operae in Horatio collocatae specimen, verum probae persuasionis ac bonae voluntatis documentum exstare volui. Itaque hisce studiorum primitiis ut ab iis qui haec legent aequa venia detur, summum in modum rogo.

---

21, Stoll: Anth. griech. Lyriker, Hann. 1851. Dindorf: Poetae Scenici Gr., Lips. 1830, ed. alt. Oxonii 1852. Ubi nulla indicata sunt nomina editorum, Schneidewini et Dindorfii contextum versumque descriptionem secutus sum.

## Carm. I, 1.

V. 3 sq. *Sunt quos curriculo pulverem Olympicum Collegisse iuvat* cet.] Exemplum e Graecia sumtum vitio verti possit Horatio: excusatur, quod Pindari locus persimilis oculis eius obversabatur, a Sexto Empirico Pyrrh. Hypoth. I, p. 23 nobis servatus, fragm. 242. B.:

. . *Ἀελλοπόδων μέν τιν' εὐφραίνοισιν ἵππων*
*Τίμια καὶ στέφανοι, τοὺς δ' ἐν πολυχρύσοις θαλάμοις βιοτά·* [1])
*Τέρπεται δὲ καί τις ἐπ' οἶδμ' ἅλιον ναῒ θοᾷ*
*Σῶς διαστείβων* [2]).

Ex hoc iam loco, quem primus Rich. Bentleius, ni fallor, cum Horatio contulit, ultro etiam colligunt Interpretes, totum hoc carmen, quo itidem Horatius, ut Graecum poetam id fecisse probabile sit, volgaria atque diversa hominum studia accuratius describat ac quodammodo percenseat, ut iis omnibus suas denique poetae lyrici vitae rationes opponat -- easque et sibimet ipse et Maecenati suo „docto sermones utriusque linguae“ comprobet atque commendet — de Pindaro adumbratum esse. Haec est Mitscherlichii Orellii aliorum sententia. Est vero locus Pindaricus et splendidum exordium (vid. C. I, 18, 1) et veluti stamen quoddam, cui Horatius suum carmen tanquam subtemen intexuit, eaque ipsa re, quod statim ab initio Carminum sive Prologi loco hoc carmen posuit, simul tacite significavit, Pindarum inprimis sibi in gravioris argumenti carminibus melicis exempli instar esse, quod rite consequi nulla quidem imitatio posset (C. IV, 2, 1), sed quod propositum tamen esset, in quod ipse in-

---

1) i. e. in auratis conclavibus (in quibus habitatur, non thesauri asservantur) vita.

2) Perperam Rich. Bentleius *διαστείχων* correxit, quum etiam *στείβειν* (calcare viam, emetiri cursum) de navigantibus dicatur. Boeckh.

tueretur utpote „Romanae fidicen lyrae“ (vid. Prooem. p. XXI. et cfr. infra ad v. 29): sicut alibi, in amatorio et ludicro poesis lyricae genere, se apertius et confidentius cum Alcaeo et Anacreonte comparavit. — Ceterum pulverem collegisse et metaque evitata rotis revocant in memoriam Homeri verba de certamine aurigarum, quod instituit Achilles in funere Patrocli, Il. XXIII, 372: *οἱ δ' ἐπέτοντο κονίοντες πεδίοιο*, et Nestoris praeceptum ibid. v. 340: *λίθου* (i. e. *καμπτῆρος* s. *νύσσης*, metae) *δ' ἀλέασθαι ἐπαυρεῖν* (Lambin.). Item Simonides in Epinicio, fr. 7. Schneidew. p. 381: *Κονία δὲ παρὰ τροχὸν μεταμώνιος* [1]) *ἀέρθη* (Orelli). Cfr. etiam Theocr. XXIV, 117 sq.

*Sunt quos — iuvat*] Sunt qui, *εἰσὶν οἳ* ac potius *ἔστιν οἳ* (Bernh. Synt. Gr. p. 417. Prop. III, 9, 17: est quibus concurrit palma.) est loquendi formula Graecanica eaque iunctim et *ὑφ' ἓν* accipienda, qua significatur pars hominum neque ea prorsus mediocris: „Manche, ein Theil“. Pind. l. l. „*μέν τινα*“: manch Einen, ut infra vs. 19: est qui spernit. Vide Bentl. ad h. l., Heusinger. ad Vechneri Hellenol. p. 538 sqq. et Exc. IV, 5.: ubi etiam de modo indicativo dicetur.

*Curriculo pulverem Olympicum*] Prosae orationis scriptor h. l. coniunxisset curriculo Olympico; sed non imprudenti consilio adiectivum cum notione secundaria copulavit Horatius, vid. Exc. IV, append. de hypallage Adiectivorum.

Denique de infinitivi collegisse usu, quem vix Graecanicum esse dicas, vid. Exc. IV, 4. Vertas utique: Manche entzückt der Gedanke, auf Olympias Rennbahn wirbelnden Staub aufgeregt zu haben, und dass mit brausenden Rädern das Mahl glücklich gemieden sei.

v. 4 sq. *palmaque nobilis Terrarum dominos evehit ad deos*] Pleni commentarii instar est Pindari, nimium neglecti ab Horatii Interpretibus, locus Nem. V, 75 sq. (41. B.):

*Τὸ δ' Αἰγίνᾳ θεοῦ, Εὐθύμενες,*
*Νίκας ἐν ἀγκώνεσσι πιτνὼν ποικίλων ἔψαυσας ὕμνων.*

Quo in loco eadem inest, quae apud Horatium, sententia haec: Graecis hominibus victoriam ludis sollemnibus deportatam feli-

1) Primaria vocis significatione: „*ἀπὸ τοῦ μετὰ τῶν ἀνέμων ἰέναι, ἀνεμοφόρητος*“. Schol.



citatis fastigium fuisse, quo paene ad deorum immortalium condicionem evecti sibi viderentur, si praesertim poetarum praeconiis celebrarentur. Nam „Tu vero, Euthymenes, Aeginae Victoriae deae in amplexus ruisti“, sive „ipsa dea Victoria te amplexa est“, splendide sane dictum est pro eo quod simpliciter dicendum erat: „Tu victoriam Aeginae tulisti“: sed consulto tamen et ita quidem dictum est, ut quasi divinitas eius victoriae indicata sit, quam prope divini ac sempiterni nobilium hymnorum honores consequerentur. Cfr. C. IV, 2, 17. Non dubito, quin Horatius vel ad hunc ipsum vel ad alium similem locum respexerit Pindari, a quo victoriam Olympicam mutuatus esset. — Ceterum palma, teste Livio X, 47, certo quodam tempore addita est coronae oleagineae: quarum haec capiti victoris Olympici imponebatur, illa in dexteram dabatur: de quo Pausan. VIII, 48, 2. dixit quantum satis est, si Horatii auctoritas non sufficiat. Vide Boeckh. in Pind. fr. 45. p. 578.

v. 8. *certat tollere*] utvs. 11: gaudentem findere, vs. 20: demere spernit, vs. 34: refugit tendere, vid. Exc. IV, 4. Tergeminis honoribus autem casus sextus est, non dativus Graecanicus Lübkeri: „Wenn mit dreifachen Ehren zu erhöhen kämpft, wetteifert“. Cfr. Tac. Ann. I, 3. ap. Orell. Contra C. I, 35. Fortuna vertit funeribus triumphos, *ἀνατρέπει, καταβάλλει.*

v. 11. *findere sarculo*] Conferri potest Solonis locus similis de diversis hominum studiis, Eleg. fr. 11, v. 47 seq. Schneidew.:

*Ἄλλος γῆν τέμνων πολυδένδρεον εἰς ἐνιαυτὸν*
*Λατρεύει, τοῖσιν καμπύλ' ἄροτρα μέλει.* (Wagn.)

Cfr. infra ad vs. 22., quamquam res dubia, num eum imitatus sit. Nam *ἄρουραν τέμνειν, διατμήξασθαι ἀρότρῳ* pervulgatum, ut opinor, genus loquendi fuit: Apoll. Rh. I, 628. 1215. alibi.

v. 14. *secet mare*] *πέλαγος μέσον τέμνειν*, Hom. Od. III, 174; *Ἰονίαν τέμνων θάλασσαν*, Pind. P. III, 119; *τέμνεθ' ἁλὸς στενωπόν*, Apoll. II, 333. Wagn.

v. 15. *Luctantem Icariis fluctibus Africum*] „In animo forte habuit Hom. Il. II, 144:

*Κινήθη δ' ἀγορή, ὡς κύματα μακρὰ θαλάσσης*
*Πόντου Ἰκαρίοιο, τὰ μέν τ' Εὖρός τε Νότος τε*
*Ὦρορ' ἐπαΐξας*“. Mitscherl.

Est vero locus probabilis, cfr. C. I, 9, 11. et Virg. A. I, 84: venti — incubuere mari.

— *Luctantem fluctibus*] Dativus ad exemplum Graeci verbi μάχεσθαι, ut infra vs. 24: lituo permixtus, et vs. 30: me dis miscent. Vid. Exc. IV, 2.

v. 16 sq. *otium et oppidi Laudat tuta sui*] Si Acidalii coniectura tuta cum Bentleio et Bernhardyo probanda, haec non tantum per Hellenismum, de quo vid. Lambin. ad C. IV, 12, 19. Heusing. ad Vechn. Hell. 208. Bernhardy. Synt. Gr. p. 156. Exc. IV, 3, sed etiam per ἓν διὰ δυοῖν intelligenda sunt, ita ut genitivus oppidi sui non minus ad tuta, quam ad otium pertineat: das gefahrlose Stillleben in seiner Vaterstadt. Cfr. C. II, 16, init.

v. 18. *indocilis pati*] ἀδίδακτος φέρειν, vid. Exc. IV, 4.

v. 21 sq. *nunc viridi membra sub arbuto Stratus, nunc ad aquae lene caput sacrae*] Moschus Id. V, 11 sq.:

Αὐτὰρ ἐμοὶ γλυκὺς ὕπνος ὑπὸ πλατάνῳ βαθυφύλλῳ
Καὶ παγᾶς φιλέοιμι τὸν ἔγγυθεν ἦχον ἀκούειν. Cruq.

Imitatio num facta sit, res dubia, cfr. tamen v. 30 seq. et Epist. II, 2, 77.

— *membra stratus*] Graecismus omnium poetarum Latinorum tam communis, ut accusativum Graecum vocent. Madv. Gr. Lat. §. 237. c. not. 2. et Exc. IV, 1. Itemque infra vs. 24: „bella matribus detestata“ est dativus Graecanicus, et poetis et prosariis scriptoribus perquam familiaris; sed est quod inter utrumque usum differat, vid. Madv. §. 250. Zpt. 419. Cfr. infra v. 27. Epod. 16, 8. Epist. I, 19, 3.

v. 25. *Manet sub Iove frigido*] i. e. pernoctat sub divo, ὑπὸ Διός. Ζεὺς omnibus certe Graecis est ὁ ὕετιος καὶ ὁ αἴθριος ἢ αἰθέριος (Poll. Onom. I, 24. ibique Kühn.): sed hoc tamen ex docta ac potius scitula Empedoclis[1]) eademque Stoicorum [2]) doctrina dictum puta, qua poetae Graecorum et saepius etiam Latini eorum imitatores Iovem ponunt, ubi caelum vel caelestis motus aëris volunt intelligi. Vide Euripidis et Ennii locos apud Cic. de N. D. II, 25. et Theocr.

1) Cui Ζεὺς erat „ἀὴρ δῖος“, vid. eius fragm. ap. Sextum Emp. adv. Math. I, 302.

2) Vid. Schoemann in Cic. De N. D. p. 11 et p. 97 sq.



Id. IV, 43. et Nic. Heinsii Adv. I, 17. pg. 181 seq. Sic Horatius C. I, 16, 12. I, 22, 20. III, 10, 7. Epod. 10, 3. et Virgilius Ecl. 7, 60. Aen. IX, 670 al. — De venatorum laboribus cf. Hom. Od. IX, 120 sq.

v. 29. *Me doctarum hederae praemia frontium*] Doctus plane ut Graece σοφός, h. e. dichterisch. Solon. l. l.

Ἄλλος Ὀλυμπιάδων Μουσέων πάρα δῶρα διδαχθείς,
Ἱμερτῆς σοφίης μέτρον ἐπιστάμενος.

Item σοφία de poesi Callim. ep. 8, 4. ἀοιδοὶ σοφοὶ, Id. ep. 50, 4. et σοφισταὶ Pind. I. V, 28. B. de poetis. Hederas autem dixisse videtur, quum vel ad Bacchum, a quo vis poetica proficiscitur, vel ad Pindarum, exemplar suum, respexisset. Alii enim carminum generi alia est apta corona, veluti hedera dithyrambico generi, vid. Cionfan. in Ovid. Trist. I, 7, 2. p. 479.

v. 34. *barbiton*] Forma Graeca accus. generis masc., vid. C. I, 32, 4. et Exc. III.

v. 35. *Sublimi feriam sidera vertice*] „Prorsus sic Sappho Frg. 9. N.: Ψαύειν δὲ [πόλον] δοκεῖ μοι ὠρανώ δυσπάχεα“. Orelli. Verum quum de summa gloriae felicitate plane usitatum ac, prope dixerim, contritum sit Graecis loquendi genus: τοῦ οὐρανοῦ τῇ κεφαλῇ ψαύειν δοκεῖ — cuius exempla congessit Boissonadius ad Aristaen. I, 11. extr. —: minime pro certo affirmare ausim, ad Sappho potissimum Horatium respexisse, quum praesertim, ut nihil dicam de incerta coniectura ψαύειν πόλον [1]), ne de hac ipsa quidem, de qua agitur, eius loci sententia constet. Libentius utique in verbis sublimi vertice, h. e. μετέωρος, de Pindaro cogitarem, quoniam Horatius saepius a quo exordium cepit in eodem auctore desinit (C. I, 18, 16): si quidem similis illius locus mihi praesto esset, vel si illud ipsum μετέωρος hodie apud illum exstaret. Qui enim ipsa gloria elatus et supra humanum gradum evectus ad sortem divinam videtur ascendere, eum hominem Graeci

1) Πόλον emendavit Neue; libri οὐ. Longe alio modo locum restituit Bergk. fr. 15. p. 604: Ψαύην δ' ἔπε' οὐ δόκημι Ὠράνω δυσάχεα Quae quo iure ita correxerit, ipsi reliquendum est; sed hoc mihi tenendum videtur, magnam adhuc de eo fragmento controversiam esse. Schneidewinus plane omisit.

translato vocis usu μετέωρον (hocherhaben) et, qui talia affectat, eundem μετεωρίζεσθαι vel μετέωρα φρονεῖν (hochhinauswollen) dicere solent. Vid. Pollucis Onom. IX, 147. et Lucian. Icarom. 11. Hermot. c. 5. Gallin. c. 23. ubi Menke et Hemsterh. consulendi. Prop. III, 1, 9: Quo me Fama levat terra sublimis.

## Carm. I, 2.

Quum secunda haec ode scripta sit, ut recte iam Acron et Comm. Cruq., „propter Caesarem in honorem et gratiam Augusti Caesaris, ultoris eius," qui sub Mercurii figura et persona „patris crudeli funere exstincti" caedem vindicasset idque scelus expiasset, et ad finem perductis modo bellis civilibus labentem civitatem erexisset atque imminentem perniciem ab ea avertisset — ut ipse praedicat apud Dionem Cass. 53, 4.; cfr. Virg. G. I, 466 sqq. —, et composita quidem esse videatur ineunte a. 725. ante tres eius triumphos ante diem VIII. VII. VI. Idus Sextiles actos — vid. Franke in F. H. p. 136 sqq. —: vix licet mirari, quam tenuia in eiusmodi argumenti carmine animadversa sint Graecae imitationis vestigia.

v. 3. *rubente Dextera*] „Omnes manubiae albae et nigrae Palladis esse dicuntur, Jovis rubrae et sanguineae." Acron Nannii, ex antiquo interprete, ut Orellius suspicatur. Sic certe iam Pindarus dixerat Ol. IX, 6. B.: *Δία τε φοινικοστερόπαν*, cll. ibid. vs. 45: *αἰολοβρόντα Διὸς αἴσᾳ*, ubi item ut hoc loco, quamquam peculiari de caussa, diluvium Deucalioneum statim post memorari videas: ut illum Pindari ocum Horatio haec scribenti obversatum esse a verisimilitudine non plane abhorreat.

v. 7. *egit visere*] Graeco modo dictum est pro eo quod est ut viseret, cfr. C. I, 12, 2. I, 26, 2 alibi. Qui modus quo brevior est eo est nervosior, vid. Exc. IV, 4, 2. — De Proteo v. locum notissimum Homeri Od. IV, 384—461, quem imitatus est Virgilius G. IV, 387—452.

v. 31. *Nube — humeros amictus*] Hoc aperte mutuatus est ab Homero, qui de Minerva, Diomedis comite et adiutrice, Il. V, 186: — *ἀλλά τις ἄγχι Ἕστηκ' ἀθανάτων νεφέλῃ*



*εἰλυμένος ὤμους*, et de eodem Apolline Jovis iussu Hectori opitulante, Il. XV, 307:

— — *πρόσθεν δὲ κί' αὐτοῦ Φοῖβος Ἀπόλλων*
*Εἱμένος ὤμοιν νεφέλην, ἔχε δ' αἰγίδα θοῦριν κτλ.*

Candentes autem humeri sunt Homeri Od. XI, 128. XXIII, 275: *φαίδιμοι ὦμοι*, ut idem alibi saepius *φαίδιμα, ἀγλαὰ γυῖα* i. e. nitentia s. praestantissima membra, nec vero „lucida nube refulgentes". Homericum illud etiam Sophocles assumsit fr. 403. D.: *ἀμφὶ φαιδίμοις ὤμοις*, et Pindarus Ol. I, 27. B: *φαίδιμον ὦμον*. — *humeros amictus*] Accusativus Graecus, ut C. I, 1, 21, de quo vid. Exc. IV, 1.

v. 32. *Augur Apollo*] Augur h. l. est *μάντις, Διὸς ὑποφήτης*, qui a Jove edoctus praesentit ac divinat futura eaque hominibus interpretatur. Orph. Hym. 33, 4: *Δελφικὲ μάντι*. Cfr. Virg. A. IV, 376.

v. 33. *Erycina ridens*] *Τὸ μειδιᾶν* proprium est Veneris et perpetuum eius epitheton iam inde ab Homero poeta: *φιλομμειδὴς Ἀφροδίτη* (Il. III, 424. V, 375. Od. VIII, 362 alibi), *ἠδὺ γελοιήσασα φιλομμειδὴς Ἀφροδίτη* (Hom. H. in Ven. 49), *μειδιάσαισ' ἀθανάτῳ προσώπῳ* (Sapph. fr. 1, 13.).

v. 34. *Jocus*] *Κῶμος* hic in Veneris comitatu, quum poetae ei fere adiungant *Πόθον, Ἵμερον, Ἔρωτα, Ἀντέρωτα, Χάριτας*· atque huiusmodi Genii etiam in artificum operibus frequenter Venerem circumvolitant. Cfr. Plaut. Bacch. 82. Orelli. Cupido quidem comes, non filius Veneris est etiam Hesiodo Th. 201: *Τῇ δ' Ἔρος ὡμάρτησε καὶ Ἵμερος ἕσπετο καλὸς*
*Γεινομένῃ ταπρῶτα θεῶν τ' ἐς φῦλον ἰούσῃ*,
quem locum ab Hor. expressum censet Wagnerus cum Baxtero. Verum idem fuit Sapphoni et Diotimae Platonicae, vid. Schneidew. ad Sapph. fr. 33.: ut non liceat affirmari, unde potissimum haec fluxerint.

v. 37. *Heu nimis longo satiate ludo*] Hoc quoque aperte Homericum est, quum *Ἄρης* apud illum audiat *ἄτος πολέμοιο* (Il. V, 863.) *βροτολοιγὸς, μιαιφόνος* (ibid. 31, 844 et 847) ac prope infinitum sit: *αἵματος ἆσαι Ἄρηα ταλαύρινον πολεμιστήν* (ibid. 283).

v. 41. sqq. *Sive mutata iuvenem figura — in terris imitaris*] Verba fere conveniunt cum Euripideis in Bacch. 4: *Μορφὴν δ' ἀμείψας ἐκ θεοῦ βροτησίαν*. — *ales*] Graecis item

πτηνὸς, εὔπτερος, πτερόεντος propter πέδιλα πτηνὰ (Hom. Od. V, 44.) dictus. Quod vero ad rem pertinet, Mercurius non solum Ἀργειφόντης et ἑρμηνεὺς (Virg. A. IV, 377: interpres divom), sed idem χθόνιος et εἰρηνικὸς (Ovid. M. XIV, 291: pacifer Cyllenius) habebatur eiusque similis Augustus, qui illius et formam iuvenilem et ipsum numen propter placatos Caesaris manes constitutamque orbis terrarum pacem referre videretur. Vid. Hemsterh. in Lucian. Contempl. 1. p. 372. Unger. Valg. p. 396. et cfr. ad C. I, 10, 17.

— *patiens vocari Caesaris ultor*] Graece dictum, pro eo quod Latine dicendum erat patiens te vocari C. ultorem, ὑπομένων καλεῖσθαι Καίσαρος τιμωρός. Plane similiter C, I, 37, 30 sq.: invidens privata deduci triumpho Vid. Lambin. ad h. l. et Exc. IV, 4, 2.

v. 45. *Serus redeas*] Vid. Exc. IV, append. de adiectivis temporalibus adverbiorum loco usurpatis.

## Carm. I, 3.

Argumenti dispositio et pertractatio Orellio haec fere esse videtur: „Amantissime quum Virgilio suo tranquillam ac periculis liberam optasset navigationem — qua in re sola totius carminis vertitur cardo —, secutus Graecum aliquod exemplar nondum Latinae poësi accommodatum, in illam primi nautae omnisque mortalium temeritatis exsecrationem, lyrico impetu abreptus, huius tamen affectus semper et summus artifex et sibi constans rector prorupit; eoque magis in maris periculis et describendis et detestandis immoratus est, quod de amico, quem nunquam postea vidit, si non aegrotanti, at saltem viribus iam imminutis timebat". Quod igitur ille putat, Horatium e Graeco aliquo exemplari nobis ignoto extrema carminis lineamenta descripsisse, id ita credibile esse videtur, ut in hoc carmine scribendo fortasse ad Callimachi exemplum, fragm. 114. Blomf.:

Ἄ ναῦς, ἃ τὸ μόνον φέγγος ἐμὶν τὸ γλυκὺ τᾶς ζοᾶς
Ἄρπαξας, ποτί τυ Ζανὸς ἰκνεῦμαι λιμενοσκόπω.

respexerit, ut navis illa C. I, 14., prima certe conceptione, non Romana est, sed Alcaei poetae, ut Archytas est Homericus Elpenor itemque Nereus vaticinans eiusdem Proteus. Sed praeter formam huius exempli, quam leviter effinxit, et exordium inde deductum vix quicquam aliud Alexandrino poetae



debuit. Vide omnino ad C. I, 18. Nec cardo rei in votis pro Virgilio nuncupandis, sed in sententiis deinceps depromendis vertitur [1]), ut temporis rationem, de qua subtilius disputavit Franke in fastis Horat. p. 64 sqq., plane omittam.

v. 1. *Sic te regat — : reddas, precor*] Ut multas ex argumentandi formulis (Vechn. Hellenel. pg. 426 seqq.), sic hanc quoque in obtestationibus propriam Graecis debere videntur Latini. Ita enim illi οὕτως (i. e. ἐπὶ τούτῳ, ἔπειτα) cum optativo, adiuncto plerumque imperativo, usurpant. Lucil. in Anal. Br. II, p. 322, 25: Οὕτω σοι — ταῦτα γένοιτο πάντα, δὸς δὲ κτλ., vel inverso ordine Aristoph. Eccl. 915: Ἀλλ', ὦ μαῖ', ἱκετεύω, κάλει τὸν Ὀρθαγόραν, οὕτω σαυτῆς κατόναι'. Itaque proprie explicandum est: ea lege te regat — ut reddas: das sei die Bedingung, wenn dich leiten sollen, dass du Schiff den Virgil mir unversehrt entlässt, nach Italien zurückbringst. Cfr. C. I, 28, 25. et vid. Lamb. ad h. l. Heindorf. ad S. II, 3, 300. Voigt. Progr. Hal. Reg. Paedag. a. 1844. p. 50.

— *diva potens Cypri*] Graece Κύπρου κρατοῦσα, μεδέουσα. Muret. Cfr. Pind. fr. 87. B.: Ὦ Κύπρου δέσποινα. Ceterum de Venere marina s. Εὐπλοίᾳ, Ποντίᾳ cogitandum, quae, quum ipsa primitus ἀφροδίτη, ἀναδυομένη esset (Ovid. Her. XIX, 160), in pluribus civitatibus Graeciae, inprimis maritimis, ut Cnidiorum (Pausan. I, 1, 4), Hermionensium (Id. II, 34, 193) ipsorumque Cypriorum tanquam dea tutelaris rei navigatoriae colebatur. Vid. Mitsch. et cf. C. III, 26, 3.

v. 2. *fratres Helenae, lucida sidera*] Nautae Graeci Dioscuros cum ipsa Helena colebant tanquam proprios deos tutelares suos et praesentissimum auxilium, vid. Eurip. Orest. 1689 sq. Eam ob causam cum Apolline ceterisque diis ἀλεξικάκοις a Graecis ἄναχτες vel σωτῆρες nuncupabantur: sed praecipue id nomen Tyndaridis tribuebatur, οὓς πάντες σωτῆρας ὀνομάζουσι, Strab. V, 232; et Kühn. ad Pollucis Onom. I, 24: σωτῆρες nautas e periculis naufragii eripiebant. Itaque ubi

1) Bernhardy. in cens. Orell.: „Die Wünsche für den reisenden Virgil deuten bloss den Vordergrund eines Gemäldes an, dessen wahrer Bestand in den Reflexionen über menschliche Leidenschaft und selbst verschuldetes Unglück ruht".

πτηνὸς, εὔπτερος, πτερόπους propter πέδιλα πτηνὰ (Hom. Od. V, 44.) dictus. Quod vero ad rem pertinet, Mercurius non solum Ἀργειφόντης et ἑρμηνεὺς (Virg. A. IV, 377: interpres divom), sed idem χθόνιος et εἰρηνικὸς (Ovid. M. XIV, 291: pacifer Cyllenius) habebatur eiusque similis Augustus, qui illius et formam iuvenilem et ipsum numen propter placatos Caesaris manes constitutamque orbis terrarum pacem referre videretur. Vid. Hemsterh. in Lucian. Contempl. 1. p. 372. Unger. Valg. p. 396. et cfr. ad C. I, 10, 17.

— *patiens vocari Caesaris ultor*] Graece dictum, pro eo quod Latine dicendum erat patiens te vocari C. ultorem, ὑπομένων καλεῖσθαι Καίσαρος τιμωρός. Plane similiter C, I, 37, 30 sq.: invidens privata deduci triumpho Vid. Lambin. ad h. l. et Exc. IV, 4, 2.

v. 45. *Serus redeas*] Vid. Exc. IV, append. de adiectivis temporalibus adverbiorum loco usurpatis.

## Carm. I, 3.

Argumenti dispositio et pertractatio Orellio haec fere esse videtur: „Amantissime quum Virgilio suo tranquillam ac periculis liberam optasset navigationem — qua in re sola totius carminis vertitur cardo —, secutus Graecum aliquod exemplar nondum Latinae poësi accommodatum, in illam primi nautae omnisque mortalium temeritatis exsecrationem, lyrico impetu abreptus, huius tamen affectus semper et summus artifex et sibi constans rector prorupit; eoque magis in maris periculis et describendis et detestandis immoratus est, quod de amico, quem nunquam postea vidit, si non aegrotanti, at saltem viribus iam imminutis timebat". Quod igitur ille putat, Horatium e Graeco aliquo exemplari nobis ignoto extrema carminis lineamenta descripsisse, id ita credibile esse videtur, ut in hoc carmine scribendo fortasse ad Callimachi exemplum, fragm. 114. Blomf.:

Ἄ ναῦς, ἃ τὸ μόνον φέγγος ἐμὶν τὸ γλυκὺ τᾶς ζοᾶς
Ἅρπαξας, ποτί τυ Ζανὸς ἰκνεῦμαι λιμενοσκόπω.

respexerit, ut navis illa C. I, 14., prima certe conceptione, non Romana est, sed Alcaei poetae, ut Archytas est Homericus Elpenor itemque Nereus vaticinans eiusdem Proteus. Sed praeter formam huius exempli, quam leviter effinxit, et exordium inde deductum vix quicquam aliud Alexandrino poetae



debuit. Vide omnino ad C. I, 18. Nec cardo rei in votis pro Virgilio nuncupandis, sed in sententiis deinceps depromendis vertitur [1]), ut temporis rationem, de qua subtilius disputavit Franke in fastis Horat. p. 64 sqq., plane omittam.

v. 1. *Sic te regat — : reddas, precor*] Ut multas ex argumentandi formulis (Vechn. Hellenel. pg. 426 seqq.), sic hanc quoque in obtestationibus propriam Graecis debere videntur Latini. Ita enim illi οὕτως (i. e. ἐπὶ τούτῳ, ἔπειτα) cum optativo, adiuncto plerumque imperativo, usurpant. Lucil. in Anal. Br. II, p. 322, 25: Οὕτω σοι — ταῦτα γένοιτο πάντα, δὸς δὲ κτλ., vel inverso ordine Aristoph. Eccl. 915: Ἀλλ', ὦ μαῖ', ἱκετεύω, κάλει τὸν Ὀρθαγόραν, οὕτω σαυτῆς κατόναι'. Itaque proprie explicandum est: ea lege te regat — ut reddas: das sei die Bedingung, wenn dich leiten sollen, dass du Schiff den Virgil mir unversehrt entläss'st, nach Italien zurückbringst. Cfr. C. I, 28, 25. et vid. Lamb. ad h. l. Heindorf. ad S. II, 3, 300. Voigt. Progr. Hal. Reg. Paedag. a. 1844. p. 50.

— *diva potens Cypri*] Graece Κύπρου κρατοῦσα, μεδέουσα. Muret. Cfr. Pind. fr. 87. B.: Ὦ Κύπρου δέσποινα. Ceterum de Venere marina s. Εὐπλοίᾳ, Ποντίᾳ cogitandum, quae, quum ipsa primitus ἀφροδίτη, ἀναδυομένη esset (Ovid. Her. XIX, 160), in pluribus civitatibus Graeciae, inprimis maritimis, ut Cnidiorum (Pausan. I, 1, 4), Hermionensium (Id. II, 34, 193) ipsorumque Cypriorum tanquam dea tutelaris rei navigatoriae colebatur. Vid. Mitsch. et cf. C. III, 26, 3.

v. 2. *fratres Helenae, lucida sidera*] Nautae Graeci Dioscuros cum ipsa Helena colebant tanquam proprios deos tutelares suos et praesentissimum auxilium, vid. Eurip. Orest. 1689 sq. Eam ob causam cum Apolline ceterisque diis ἀλεξικάκοις a Graecis ἄναχτες vel σωτῆρες nuncupabantur: sed praecipue id nomen Tyndaridis tribuebatur, οὓς πάντες σωτῆρας ὀνομάζουσι, Strab. V, 232; et Kühn. ad Pollucis Onom. I, 24: σωτῆρες nautas e periculis naufragii eripiebant. Itaque ubi

1) Bernhardy. in cens. Orell.: „Die Wünsche für den reisenden Virgil deuten bloss den Vordergrund eines Gemäldes an, dessen wahrer Bestand in den Reflexionen über menschliche Leidenschaft und selbst verschuldetes Unglück ruht".

terror ingruerat, ubi res foeda et abominanda oculis animisve oblata erat, hos una cum ceteris malorum depulsoribus invocabant: ὦ Ἡράκλεις, ὦ Πᾶνες, ὦ Κορύβαντες, ὦ Διοσκόρω, Aristoph. Eccl. 1069. His igitur beneficentissimis numinibus astrologi Geminorum signum assignant: quae Horatius h. l. „lucida sidera“ et C. IV, 8, 32. „clarum Tyndaridas sidus“ itemque Propertius in similis argumenti carmine (I, 17, 18) „optatos Tyndaridas“ dixerunt [1]).

v. 3. *Ventorumque regat pater, Obstrictis aliis*] Torrentius Cruquius aliique iam notarunt, Horatium in animo habuisse illud Homeri Od. X, 20 sq. de Aeolo:

Ἔνθα δὲ βυκτάων ἀνέμων κατέδησε κέλευθα·
Κεῖνον γὰρ ταμίην ἀνέμων ποίησε Κρονίων. Wagn. Cf. infra v. 16. et Virg. A. I, 52 sqq. et vero etiam Hom. Od. V, 383 sqq.

v. 8. *animae dimidium meae*] Ita Virgilium suum appellat Graecorum suavitate. Nam his φιλία ἐστὶ μία ψυχὴ ἐν δυοῖν σώμασιν. Hinc celebratum illud ἥμισύ μευ ψυχῆς ἥρπασε, Meleag. in Anth. Pal. II, 464. et Callim. ep. 43. ap. Mitsch. cll. C. II, 17, 5.

v. 9 sqq. *Illi robur et aes triplex Circa pectus erat, qui* sqq.] Graeci σιδηρόφρονα (Aeschyl. Prom. 242) vel χαλκεοκάρδιον (Theocr. XIII, 5) vocant, Homeri (Il. X, 357. XXIII, 357. XXIV, 205) Hesiodique (Theog. 764) exemplum secuti, ad quod et Pindarus respexit, cuius afferunt fragm. 88, 3. B.: ἐξ ἀδάμαντος Ἧς σιδάρου κεχάλκευται μέλαιναν καρδίαν κτλ. Sed propius ad Horatium accedit Aristophanis illud in Ranis 1016, etsi in ridiculum conversum: πνέοντας δόρυ καὶ λόγχας καὶ — θυμοὺς ἐπταβοείους, in quo comparatio animi cum clypeo facta videtur, testaturque Servius Fabricii Horatiana sumpta esse ex Alcaeo [2]): cuius quae verba fuerint, nunc divinare non possumus. Sed fortasse imaginem, qua Horatius duritiem animi depingere voluerit, secundum Aristophanis locum sic assequamur: Der Mann muss einen Schild von Steineichenholz und dreifachem Erz um die

1) Haec pleraque accuratissimae Lobeckii doctrinae, Aglaoph. p. 1230 sqq. accepta refero.

2) Eo refert Schneidewinus lacera verba fragm. 79: Κἀπιπλεύειν νάνεσσιν (Bergk: νάεσι. Libri νάεσσι, ut ap. Pind. P. IV, 56).



Brust getragen haben, der zuerst das gebrechliche Floss dem grausen Meer anvertraute, h. e. demta ex parte imagine: Der Mann muss einen kernhaften, ehernen, jeder Furcht unzugänglichen Sinn besessen haben, der u. s. w.

v. 12. *praecipitem Africum*] h. e. desuper et magno impetu irruentem, frequentata Graecis poetis imagine, qua venti de coelo ruere — ἄνεμοι ὑπεραεῖς, ὑψιπεταὶ, αἰθρηγενεῖς ap. Hom., Pind., Apoll. Rh., vid. Mitsch. — dicuntur, idemque ventus apud Homerum Il. II, 147. dicitur venire λάβρος ἐπαιγίζων, quod Aeschyl. Sept. 63. dicit καταιγίζειν.

v. 13. *Decertantem Aquilonibus*] Dat. ad exemplum Graeci verbi μάχεσθαι, vid. Exc. IV, 2. — De re cfr. C. I, 9, 11.

v. 16. *tollere seu ponere volt freta*] Haec quoque ex Homero mutuatus est,, qui de Aeolo l. l. ita pergit dicere:

Ἡμὲν πανέμεναι ἠδ' ὀρνύμεν ὅν κεθέλῃσιν.

Expressius, ut assolet, Virgilius A. I, 65:

Aeole, namque tibi divom pater atque hominum rex
Et mulcere dedit fluctus et tollere vento.

Ponit autem Notus freta, quia venti, post flatum vicissim leniter aspirantes, a Graecis mare tempestate concitatum sedare dicuntur. Sicut enim somnus corpora animantium constringit, constricta solvit (ὕπνος ἀνέηκε), sic vento tribuitur τὸ ὀρνύναι καὶ τὸ παύειν, τὸ ἀναστέλλειν καὶ τὸ ὑποστέλλειν τὸ ἐπαίρειν καὶ τὸ ὑφιέναι, quia undae vel vela, nisi ventus esset, non intenderentur omnino: ita ut illud ponere h. l. seiunctum a continentibus absonum foret. Quare Horatius prudenti consilio Homeri de Aeolo versum inverso ordine ad ipsum ventum transtulit. Vid. Lobeck ad Soph. Ai. 674. Ed. alt. et cfr. Virg. Ecl. II, 26. Aen. IV, 5.

v. 17. *Quem mortis timuit gradum*] Mortis gradus, si dicendi genus spectatur, comparari potest cum solita Graecorum dictione τέλος θανάτοιο: sin ipsa sententia respicitur, nullus mortis gradus (Stufe) proprie dictum idem fere est quod ne fastigium quidem mortis, ut sit „nunquam in animum induxit ille mortem vel atrocissimam recusare“. Nam reliquae mortes aliquo modo cum veterum institutis componi poterant, mors autem in undis longe miserrima putabatur iam inde ab

Homeri memoria, quia ibi humatio cum iustis religiosis locum habere non poterat. Cfr. C. I, 28, init. Hanc interpretationem sententia necessario efflagitat; infra demum „Letum corripiens gradum“ personam induit, ut *Θάνατος* in Euripidis Alcestide et idem Letum ap. Virg. Aen. VI, 277.

v. 18. *Qui siccis oculis — vidit*] Hoc Horatius, Bernhardyo iudice [1]), scripsisse videtur secundum Aeschyl. Sept. 696.: *ξηροῖς ἀκλαίστοις ὄμμασιν*: ubi item notio inest mentis rigidissimae, furiae, quae numquam flecti possit in lacrimas. Nam *ξηρὰ ὄμματα* s. sicci oculi primum tribuuntur ei homini qui dudum destitit a lacrimando, deinde ei qui alienissimus est a sensu suaviore et humaniore: est igitur homo, qui numquam potuerit lacrimas fundere. Cfr. Propert. I, 17, 11 seqq. Ita magnus Bentleius et Horatius optime conciliantur.

v. 19. *Qui vidit mare turgidum*] Confert Wagnerus Hesiod. Th. 106: *πόντος — οἴδματι θύων*, et v. 131: *πέλαγος — οἴδματι θῦον*, sed propius accedit illud Aeschyli Pers. 110: *Εμαθον δ' εὐρυπόροιο θαλάσσης πολιαινομένης πνεύματι λάβρῳ Ἑξορᾶν πόντιον ἅλσος*: qui locus haud scio an Horatio obversatus fuerit. Nam vidit prorsus est *ἔμαθεν ἐξορᾶν* i. e. sustinuit [2]), et mare turgidum Aeschylus ornatius descripsit: „Neptunium pratum vasti maris, violento impetu venti spumis incanescens“. Eadem metaphora Cicero in Arateis usus dixit: „Neptunia prata secantes“, et *θάλασσαν πολιαινομένην* imitatus est Catullus 61, 13: „Tortaque remigio spumis incanuit unda“. Quidni igitur credibile sit, eodem Horatium respexisse in eodem simili?

v. 25. *Audax omnia perpeti*] *γένος τὸ δεινὸν πάντα τλῆναι* i. e. *πάντολμον*. Sic Aeschylus Ag. 221. D. Agamemnoni ac potius omnibus mortalibus attribuit *τὸ παντότολμον᾽ φρονεῖν*, sic Pindarus fragm. 5. B. Herculi dedit *τὸ πάντολμον σθένος*, h. e. robur quidvis audens s. „audax omnia perpeti“.

---

1) In cens. rec. Peerlk.: „nach Aeschylus Sept. 681. (696. D.) gearbeitet“.

2) Vide Blomf. in Gloss. ad vs. 115.



v. 26. *ruit per vetitum nefas*] Per dictum est ut *διὰ δίκης ἰέναι*, *βαίνειν* (Soph. Ant. 742. Eur. O. 1361) „Es stürzt in den Abgrund, eilt ins Verderben auf dem Wege (mittelst) verbotenen Unrechts“. Cfr. Sat. I, 4, 30 sq.

v. 27. *Iapeti genus*] „Abkömmling des J.“ est Graecorum *γένος* (Hom. Od. XIV, 204. Eurip. Cycl. 104. Bacch. 990.) sive *τροφὴ* et *τροφαὶ* (Soph. O. R. 1.). Cfr. Catull. 61, 2. et Heindorf. ad S. I, 6, 12. (Valeri genus). De re monet Servius ad Virg. Ecl. VI, 42: „Prometheus post factos a se homines dicitur caelum ascendisse et adhibita ferula ad rotam Solis ignem furatus esse, quem hominibus indicavit“, secundum Hesiod. *Ἔρ.* 50 sqq., quem ipse citat (vid. infra vs. 30), et Aeschyl. Prom. 8 sqq.

v. 28. *fraude mala*] *κακῇ ἀπάτῃ*, *κακῷ δόλῳ*. Illud „mala“ autem *ἠθικῶς* dictum puta i. e. ad mores Promethei cum affectu quodam notandos. Frequentissimus est in hoc usu Terentius: quo pertinent apud eum dativi, qui vocantur ethici, mihi, tibi al. Vid. Bernh. Synt. Gr. p. 84. et Vechn. Hellenol. I, 2, 6. p. 175 seqq. In hac igitur oratione morata non ignobile est Graecis vocabulum *κακὸς*, Latinis imitatoribus malus et improbus, quibus adiectis motus in animo scriptoris ipsa re excitatus significatur. Nos qui iam longissime a simplicibus veterum moribus remoti sumus, talia facile supervacua esse opinamur, adeoque vix satis assequi possumus. Fortasse dixeris schlimm, arg, heillos. Plura suppeditabit Heindorf. ad S. I, 1, 77. (malos fures).

v. 30 sq. *macies et nova febrium Terris incubuit cohors*] Horatium in his Hesiodum et Sappho potissimum secutum esse docet Servii nota ad l. l.: „Ob Promethei furtum irati Dii duo mala immiserunt terris, febres, maciem et morbos, sicut et Sappho et Hesiodus (*Ἔρ.* 100 seq.) memorant:

*Ἄλλα δὲ μυρία λυγρὰ κατ᾽ ἀνθρώπους ἀλάληται·*
*Πλείη μὲν γὰρ γαῖα κακῶν, πλείη δὲ θάλασσα.*

Quod tangit et Horatius dicens: Post ignem cet.“ Hesiodeis addas, quae deinceps sequuntur:

*Νοῦσοι δ᾽ ἀνθρώποισιν ἐφ᾽ ἡμέρῃ ἠδ᾽ ἐπὶ νυκτὶ*
*Αὐτόματοι φοιτῶσι κακὰ θνητοῖσι φέρουσαι.*

Sapphus locus, quem Servius non protulit, nunc deper-

ditus est. Ceterum quod Graeci σμῆνος s. ἑσμὸν κακῶν, νόσων eleganter dicunt, eam nova ratione dixit Horatius cohortem. Nam ante eum nemo hoc nomen cohortis tali translatione usurpavit, quum in ea re agmen volgarius esset; nos similiter „Schwarm". Vid. Blomf. ad Aeschyl. Pers. 133. et Schoene ad Eurip. Bacch. 705. et cfr. C. I, 35, 31.

v. 32. *necessitas Leti*] est Homeri μοῖρα θανάτοιο, quam Eurip. Hipp. 1388. Ἅιδου μέλαιναν νύκτερόν τ' ἀνάγκαν vocat. (Mitsch.).

v. 34. *vacuum aëra*] nove dictum prorsus ut Graecum ἔρημος. Verum iam vidit Muretus, Pindari loco prolato ex Ol. I, 6: ἐρήμας δι' αἰθέρος: „durch die öde, die haltlose Luft, die keine Stütze bietet". Item Virg. G. III, 109.

v. 36. *Herculeus labor*] est dictio celebratissima et illustris figura Graecorum, qua primum intelligitur ipse Hercules, deinde eius laboriosa vita cogitatur. Quod enim Graeci poetae constanti usu „βίη Ἡρακληείη" (Hom. Il. XI, 690. Od. XI, 601 alibi), „ἴς Ἡρακλῆος" (Hes. Th. 950), „βίη et σθένος Ἡρακλέος" (Pind. O. XI, 26. fr. 5. B.) pro ipsa persona dixerunt, id Horatius paululum variavit: „Es drang über den Acheron der ausduldende, arbeitsvolle Herkules". Sic prorsus hic locus explicandus videtur. Nam sordet et languet oratio, si omnia transferimus ad facinus: „Labor s. facinus Herculis periculosum penetravit usque ad Ach." Ut h. l. Peerlkampium, sic C. I, 23, 6. Bentleium decepit idem Hellenismus, de quo vid. Bernhardy. Synt. Gr. p. 52. Sic Propertium maxime et Virgilium constat more Graecorum usurpasse substantiva abstracta pro adiectivis, nec pauca id genus apud Horatium leguntur. Permulta exempla congesserunt Vechnerus in Hellenol. II, 8 et Lambinus ad Hor. C. III, 5, 13. Ceterum de aerumnosa vita ἡμιθέων cf. Hom. Il. XII, 23. Hesiod. Opp. 156 sqq., Pind. Pyth. III, 86 B., Simonid. Cei fr. 31. Sch.

v. 37. *Nil mortalibus arduum est*] Eleganter reddidit Graecorum proverbium ὡς οὐδὲν μερόπεσσιν ἀμήχανον. (Muret.). Hinc patet, id quod tota sententia confirmatur, verba ita coniungenda esse, ut arduum praedicati vicem sustineat. Quo quidem ipso conficitur, hanc unam lectionem arduum probari posse.



v. 40. *Iracunda fulmina*] Eadem hypallage adiectivi Pindarus non de Iovis quidem telo, ut Orellius opinatur, sed de Achillis hasta usus est Nem. VI, 55. B.: Ἀχιλλεὺς — φαεννῆς υἱὸν εὖτ' ἐνάριξεν Ἀοῦς ἀκμᾷ Ἔγχεος ζακότοιο. Vid. ad C. I, 1, 3.

## Carm. I, 4.

Argumentum carminis vere Romanum est, non ex Graecis haustum, siquidem statim ab initio de Palilibus [1]) dicit, ad quae etiam Faunus (vs. 11.) pertinet, eaque coniungit deinde (v. 5. seqq.) cum Veneris festis diebus, quos vere incipiente „Latiae matresque nurusque" cum pervigiliis illius deae agitabant [2]): sed Graecae doctrinae velut flosculis quibusdam idem satis exornatum. Nam Graecas notiones et metaphoras in eo sane plures deprehendas: unde tamen cavendum est, ne cum Mitscherlichio temere coniicias, „Graecum Horatio ante oculos fuisse exemplum, velut Siculi alicuius poetae, qui forte Aetnae aestuantis imaginem in veris descriptione memorasset". Eo nulla ducunt vestigia, abhorretque ista, Alexandrinorum puta, ratio prorsus a consuetudine Horatiana.

v. 2. *Trahuntque machinae carinas*] Proprium in re navali verbum deducere commutavit Horatius cum verbo trahendi ad Graecum ἕλκειν, καθέλκειν accommodato, velut Anth. Pal. II, p. 284: κυλίνδροις Ὁλκὰς ἀπ' ἠιόνων ἐς βυθὸν ἑλκομένη. Dillenb.

v. 5 sq. *Iam Cytherea choros ducit* etc.] Ad sententiam illustrandam apposite conferunt Fragm. τῶν Κυπρίων [3]) ap. Athen. 15. pg. 682, ubi idem chorus a Venere in Idam

1) Palilia, Palis deae sollemnia, mense Aprili (d. XXI.) celebrabantur et pastores transiliendo ardentes stipulae acervos lustrabantur. Vid. Tibull. I, 1, 35. Ovid. Fast. IV, 727 sqq. Eodem tempore aut non multo secus navigatio solebat renovari isque quoque dies anni sollemnis habebatur et feriis publicis instaurabatur. Vid. Veget. II, 38 et Turneb. Advers. 18, 24.

2) Ovid. Fast. IV, 123 sqq. Cfr. Lobeck. Aglaoph. p. 651. adn. o.

3) Τὰ Κύπρια ἔπη, quae Herodotus II, 117. novit, sed ab Homero quidem abiudicat, nunc Stasino Cyprio antiquissimo poetae cyclico tribuuntur, eorumque pars fuisse perhibetur Homericus ille Hymnus in Venerem.

montem deducitur:

*Νύμφαι καὶ Χάριτες, ἅμα δὲ χρυσῇ Ἀφροδίτῃ,*
*Καλὸν ἀείδουσαι κατ' ὄρος πολυπιδάκου Ἴδης,*

et ex Hom. Hymn. in Apoll. v. 194 sqq.:

*Αὐτὰρ ἐϋπλόκαμοι Χάριτες καὶ ἐΰφρονες Ὧραι*
*Ἁρμονίη θ' Ἥβη τε Διὸς θυγάτηρ τ' Ἀφροδίτη*
*ὀρχεῦντ' ἀλλήλων ἐπὶ καρπῷ χεῖρας ἔχουσαι.*

Cytherea Venus, *Κυθέρεια Ἀφροδίτη*, sic iunctim hodie rarissime, et inter Graecos Romanosque apud recentiores dumtaxat invenitur, ut apud Musaeum v. 32 et Arnobium IV, 24: sed quum referant Grammatici in epithetis *Ἀφροδίτης* etiam illud *κυθέρεια*, et simile certe sit in Hymno Homerico in Venerem 1: *Ἔργα πολυχρύσου Ἀφροδίτης Κύπριδος*, vel apud Theogn. 1386: *Κυπρογενὲς Κυθέρεια*: eam iuncturam Critici, iudice Ruhnkenio in Epist. Crit. I. p. 51, falso suspectam habuisse videntur. Ceterum de vocis *Κυθέρεια* originatione varia veteribus excogitata sunt inepte, vid. Muetzell. de Em. Theog. Hesiod. p. 420.

v. 6. *Iunctaeque Nymphis Gratiae*] *Συζυγίαι Νύμφαις Χάριτες*: quae sic proprie *συζυγίαι* s. nexu suavi copulatae vocantur ab Euripide in Hipp. 1147. — *Gratiae decentes*] Fulvius Ursinus comparat Sapph. fr. 50 Neue: *Δεῦτε νῦν, ἅβραι Χάριτες κτλ.* Hinc ipsa Venus I, 18. decens (*χαρίεσσα*) est, quum comites eius sint „decentes Gratiae“ (anmuthig, liebreizend).

v. 7. *Alterno terram quatiunt pede*] Callim. Hymn. in Del. 306: *Αἱ δὲ ποδὶ πλήσσουσι χορίτιδες ἀσφαλὲς οὖδας.* Wagner.

— *Cyclopum*] Iovi fulmina cudunt, non Homerici quidem, sed Hesiodei illi, Caeli et Terrae filii, Theog. 140:

*Βρόντης τε Στερόπης τε καὶ Ἄργης ὀβριμόθυμος,*
*οἳ Διὶ βροντήν τ' ἔδοσαν τεῦξάν τε κεραυνόν.*

Cfr. Apoll. Argon. I, 728.

v. 8. *urit officinas*] Est prorsus Graecorum *φλέγει, ἐπιφλέγει.* Eurip. Troad. 308: *φῶς φέρε, — φλέγω λαμπάσι τόδ' ἱερόν* h. e. ignem propere affer, facibus hoc templum collustrabo. Cfr. eiusd. Phoen. 258 (251. D.), ubi Valcken., et Aeschyl. Sept. 509 (513. D.), ubi Blomf. et Abresch. consulendi sunt, et Bernhardy. Synt. Gr. p. 110 et 342 ibique



adnot. 3. Simile est Virgilianum illud adolere aram, flammis adolere penates (in Opferdampf versetzen). Vid. Huschk. Anal. crit. p. 339. Sic h. l. Vulcanus, Veneris maritus laboriosus operisque sui studio ardens (Virg. A. I, 423), graves Cyclopum officinas urit, i. e. replet flammis, ita ut splendeant: „er setzt der Cyklopen dumpferdröhnende Werkstätten in Feuer und Flammen“.

v. 9. *caput impedire myrto*] Hoc est: caput corona myrtea eaque satis copiosa, tamquam mole aliqua, vincire: „reichlich umwinden.“ Est prorsus Graecanica ratio, non Romana, *πυκάζεσθαι στεφάνοις* sub dei adventum[1]). De verbo *πυκάζειν* vid. Blomf. Gloss. ad Aeschyl. Sept. 137, et Eurip. Alc. 812 ibique Wuestem., de re autem Schoene ad Eurip. Bacch. p. 5 et ad vs. 108 sqq. et eiusdem libell. de personarum in Eurip. Bacch. habitu scenico c. IX sq.

v. 13 sq. *Mors pulsat pede*] Ex communi Graecorum opinione intelligendum: Fores concutiuntur et aperiuntur, quoniam adventante deo omnia contremiscunt et patefactum aditum praebent. Ita Mors h. l. deus est tam formidabilis, ut ei contremiscant fores et aperiantur ipso eius incessu et adventu s. pedem inferente. Callimachi locum Hym. in Apoll. 3:

*Καὶ δή που τὰ θύρετρα καλῷ ποδὶ Φοῖβος ἀράσσει*

Horatio admovit iam doctissimus Heinrich. Obss. in Auctt. Vet. P. I. p. 24. Cfr. praeterea Theocr. II, 6 et eiusdem Idyllii v. 160. Quod autem dixit „aequo pulsat pede pauperum tabernas Regumque turres“, solitas in hac re Graecorum phrases respexit. Sic enim loquuntur illi: *κοινὸς ᾅδης, κοινὸς θάνατος.* Pindarus N. VII, 30. B.: *ἀλλὰ κοινὸν γὰρ ἔρχεται Κῦμ' Ἀΐδα*: paulo ante dixerat v. 19: *ἀφνεὸς πενιχρός τε θάνατον πάρα Θαμὰ νέονται*, h. e. „Sed communis venit fluctus Orci; dives pauperque ad mortem una tendunt“: unde huius loci sententia Lambino expressa videtur. Equidem non repugno, verum in re tam communi nihil

---

1) Ita memini Magnum Bernhardyum quondam, quum Seminarii philologici exercitationes moderaretur, interpretari, cui etiam in sequentibus Graecanicam illam verbi pulsat et fabularum Manium explicationem debeo, ut optima quaeque in primis hisce carminibus eidem auctori gravissimo accepta refero.

certi liceat affirmare. Et eodem iure haec ex Euripidis Alc. v. 782 D. repetere possum, ubi Hercules iterum iterumque inculcat illud: *βροτοῖς ἅπασι κατθανεῖν ὀφείλεται* (cfr. A. P. 63 cll. Simonid. fr. 105, 2. Schn.), deinde hanc subiungit sententiam vs. 799: *ὄντας δὲ θνητοὺς θνητὰ καὶ φρονεῖν χρεών*: quae certe magis respondent iis, quae iam sequuntur vs. 15:

*Vitae summa brevis spem nos vetat inchoare longam.*

Nam spes longa eadem est, quae sera, longinqua, quae in longinquum extenditur, Graecorum *εὐρεῖαι, μακραὶ ἐλπίδες* (v. Bentl. ad A. P. 172), eandemque sententiam C. IV, 7, 7 ita scripsit Hor.: „Immortalia ne speres", in his procul dubio secutus Euripidem. Cfr. Prooem. p. XVII sq. et ad C. I, 11, 6.

v. 16. *premet nox*] Homericum illud *ἐρεβεννῇ νυκτὶ καλύπτειν* (Il. XIII, 425). Alibi Graeci mortem vocant *μακρὰν νύκτα*, „perennem noctem", (Anth. Gr. I, p. 213). — *Fabulaeque Manes*] Sunt Manes, de quibus multa iactant et confabulantur homines in utramque partem, ut neutris contingat aut tollere aut confirmare eos: sunt *πολύμυθοι, πολυθρύλλητοι*. Is homo qui argumentum fabulae vel sermonis fit, recte dicitur fabula (Epod. 11, 8) vel sermo, vid. Nic. Heins. ad Ovid. Amor. I, 33, 36 et Oudendorp. ad Appul. Metam. II. p. 119: sed in eo Horatius a consuetudine Latini sermonis recessit, quod licentia quadam lyrica primus ausus est pluralem numerum (fabulae) ita ponere ad exemplum Graecorum: *μῦθοι, λόγοι, ἀνθρώπων φάτεις*, vid. Interpretes ad Eurip. Hipp. 198. D., ad Callim. epigr. 14, 3, ad Pind. P. III, 112. B. Vertas igitur: „und die Fabelgebilde, die Manen".

v. 17. *domus exilis Plutonia*] Poeta quum in antecedentibus fabulas Manes memoravisset, vix mihi dubitandum videtur, quin iam in iis, quae excipiunt illa, domum exilem Plutoniam de propria Umbrarum sede, de Orco intellexerit, Graecorum persuasionem secutus, non de parvulo et pauperculo sepulcro — quae ipsorum Romanorum opinio erat putantium animas defunctas versari iuxta sepulcra[1]). Domus

1) Qua sepulcri et inferorum confusione apud veteres poetas, Roma-



Plutonia est igitur prorsus Homericum illud *δόμος Ἄϊδος, δῶμ' Ἄϊδαο*; quae quoniam repleta est umbris exilibus, h. e. corpore nervis sanguine carentibus, ipsa quoque exilis recte vocari potest. Res notissima ex Homeri Necyia v. 219: *οὐ γὰρ ἔτι σάρκας τε καὶ ὀστέα ἶνες ἔχουσιν*. Hinc *νεκύων ἀμενηνὰ κάρηνα — σκιῇ εἰκελα ἢ καὶ ὀνείρῳ* (Od. X, 536. XI, 207) et *ἀμαυροὶ νέκυες*, Sapph. loco iam laudando.

— *quo simul mearis* etc.] Si ad Graecum ullum exemplum spectavit, certe non Theognidis vs. 973 sqq. fuit, ab Orellio citati, sed fortasse Sapphus fragmentum, 19. Neue., 69. Schneidew. p. 315, hoc:

*Κατθανοῖσα δὲ κείσεαι οὐδ' ἔτι τις μναμοσύνα σέθεν*
*ἔσσετ' οὐδέποτ' εἰς ὕστερον· οὐ γὰρ πεδέχεις βρόδων* [1])
*τῶν ἐκ Πιερίας, ἀλλ' ἀφανὴς κὴν Ἄϊδα δόμοις*
*φοιτάσεις πεδ' ἀμαυρῶν νεκύων ἐκπεποταμένα* [2]).

v. 19. *tenerum Lycidan*] Vid. Exc. II. —

v. 20. *tepebunt*] Tepere viro est Graecum *θάλπεσθαι, ἐνθάλπεσθαι ἔρωτι*, de verecundo amore puellarum, quae rubore tantum atque sinu leniter percusso et palpitante amorem suum ostendunt: „dem bald auch der Jungfrauen Busen warm sich hebend entgegenschlagen werden."

## Carm. I, 5.

Grandioris et quodam modo domestici argumenti carmina nonnulla melica quum praemisisset, quibus novum suum genus doctis amicis Maecenati, Caesari Octaviano, Virgilio, L. Sestio comprobari et eorum nominibus aliis commendari velle videre-

nos praesertim, nihil frequentius est, sed mire tamen res Interpretes turbavit. Vid. Hertzberg. ad Prop. IV, 11, 1 et eiusdem libell. de Diis Patriis I, 1. p. 6.

1) Opponuntur haec praegressis, quorum haec fere fuerit sententia: „Ut nunc fortunata habeare, at mortua iacebis oblivione obruta" Schn. Alloquitur autem poetria mulierem musica arte non eruditam et suae laudi vitaeque fortasse obtrectantem, quasi ea nunc ipsum adsit. Hinc praesens tempus *πεδέχεις*, i. e. *μετέχεις*, explicandum. — *βρόδων* = *ῥόδων*.

2) Vertit Schneidewinus Horatii memor: Obscura etiam per Ditis domos inter exiles umbras errabis vecors.

tur, his iam subiunxit Anacreonticae levitatis odarion aliquod nec tamen iniucundum Romanis lectoribus futurum propter rei novitatem ac suavitatem, in eodemque ludicro et nugatorio genere, tanquam suo proprio et suis viribus magis apto (C. I, 6, extr.), in ultimo carmine huius ipsius et quarti libri desiit. Hinc id genus carminum virtutes censendae sunt, quae multo magis in soni coloris actionis facilitate quadam ac blanditiis quamvis ementitis illis (A. P. 151 sqq.) et in elaborata eloquendi arte luminibusque orationis (Epist. II, 2, 109 sqq.), quam in ipsis rebus et sententiarum pondere versantur. Cfr. ad C. I, 38. Huic igitur odario quam maxime accommodatum fuit Pyrrhae nomen, de quo vide Exc. II. et infra ad vs. 4.

v. 1. *Gracilis*] Sic Graeci amatores *ἰσχνὸν ἐρωμένιον* et *ῥαδινὸν* laudare solebant. Cfr. Lucret. IV, 1162. (Orelli.)

— *multa in rosa*] Intelligenda sunt *ῥοδόπνοα στρώματα*, quae tangunt Aristoph. fr. 116. D.: *"Οστις ἐν ἡδυόσμοις Στρώμασι παννυχίζων τὴν δέσποιναν ἐρείδεις* (= *θλίβεις*, urges), Philostr. Epigr. 28., Athen. II, p. 48., Aelian. V. H. IX, 24. *) Sic Orellius et recentiores Interpretes. Alii de capitis corona explicare maluerunt, sicut Graece dicitur *εἶναι ἐν στεφάνοις*, *ἐν μύρῳ* (Eurip. Herc. f. 677 Aristoph. Eq. 1375) pro *πεπυκασμένος στεφάνοις*, cll. Cic. de Fin. II, 20. potare in rosa.

v. 4. *Cui flavam religas comam*] Sapph. ad Ovid. Her. XV, 77.: Cui colar infelix, aut cui placuisse laborem?
Ille mihi cultus unicus auctor abest.
Cfr. Tibull. I, 8, 9 sq. — Flavam autem comam ei dat, et quia Pyrrham dixit et quia flavi s. fusci capilli inde ab Homero poeta laudatissimi fuerunt, velut ipse Homerus Il. I, 197. *ξανθὴν κόμην* dat Achilli, quem in Graecorum exercitu pulcherrimum fuisse alibi testatur, Pindarus autem Nem. X, 7. et V, 54 B. Minervam et Gratias *ξανθὰς* appellat, Euripides denique in Hipp. 220. D. Electr. 1071. Hel. 1224. Phaedrae, Clytemnestrae, Helenae *χαίταν ξανθὰν*, *ξανθὸν πλόκαμον κόμης*,

1) Hinc proverbium factum videtur *κοιμηθῆναι ἐπὶ ῥόδων*, quod agnoscimus in Cicer. Tuscul. Disp. V, 26: An tu me in viola putabas aut in rosa dicere (sc. tum denique omnes sapientes beatos fore)? Nos: „wenn einer auf Rosen gebettet ist."



*βοστρύχους ξανθῆς κόμης* tribuit, et in Bacch. 235 Bacchum praedicat tanquam *ξανθοῖσι βοστρύχοισιν εὔκοσμον κόμην*.

v. 13. *nites*] *στίλβεις* (Hom. Il. III, 392. de Paride: *Κάλλεΐ τε στίλβων καὶ εἵμασιν*), *λάμπεις* (Theocr. XX, 24.), *ἀπαστράπτεις* (Mus. 56). cll. Hor. C. III, 3, 25: Jam nec Lacaenae splendet adulterae Famosus hospes, IV, 11, 5: crines religata fulges. Huc etiam pertinere videtur in vs. 9. quod legitur „te fruitur aurea," qua quidem appellatione amatores meretriculas solerent *ὑποκορίζεσθαι*, Aristoph. Ach. 1200: *φιλήσατόν με μαλθακῶς, ὦ χρυσίω*.

## Carm. I, 6.

Ut in Prooemio iam dictum est, priora Horatii carmina melica ex Homeri potissimum imitatione pendere, sic per totum hoc carmen praecipuum ac manifestum illud imitandi studium animadvertere licet, siquidem statim ab initio ipsum Maeonium alitem appellat, deinde vs. 5 seqq. eius Iliadem et Odysseam describit, utriusque carminis principium et argumentum in memoriam revocans, tum vs. 13. sqq. Martem Homerico epitheto exornatum et duas personas heroicas ex illo producit, huic generi et tragicis poetis, perinde atque Pindaro, se viribus imparem esse simulans eorumque munia detrectans. Nam grandes poetae quos vocat dicuntur vel epici vel tragici, opponuntur leves, qui semper versantur in rebus levibus i. e. de vita communi petitis et inprimis amatoriis, vid. vs. 20. [1]). Huic igitur argumento non sine magna similitudinis specie ex Anacreonteis carminibus primum quod *Εἰς κιθάραν* inscribitur potest comparari, ap. Bergk. Poet. Lyr. Gr. p. 712. et in Stollii Anthol. II, 22:

*Θέλω λέγειν* [2]) *Ἀτρείδας*, ὁ *βάρβιτος δὲ χορδαῖς*
*θέλω δὲ Κάδμον ᾄδειν* [3]) *Ἔρωτα μοῦνον ἠχεῖ κτλ.*

1) Non praeter solitum leves, h. e. Ich, dessen Art zu leichtem Scherze neigt, (ich singe Liebeslieder). Bernh.

2) *Λέγειν* = *ᾄδειν*, wie das lat. dicere (vs. 5) und das altdeutsche sagen in dem Ausdruck „singen und sagen", wo sagen sich vorzugsweise auf den epischen Gesang bezieht. Stoll.

3) Ut Antimachus (c. 400 a. Chr.) fecerat in Thebaide, nisi malis intelligere poetas tragicos. Nam praecipuum hoc tragoediarum argumentum ex domo Cadmi petitum.

Quamquam hoc ipsum, num Horatius illam cantiunculam, quam iam Lambini diligentia cum eo contulit, noverit aut respexerit, dubium esse debet, quoniam de auctoribus et aetatibus istius farraginis parum constat[1]).

v. 2. *Scriberis Vario fortis et hostium Victor Maeonii carminis alite*] Mitscherlichius et superiores Interpretes velut agmine facto Horatio h. l. dativum Graecanicum aliti obtrudere voluerunt; sed stat antiqua lectio sua praestantia, quum scriberis concedentis sit ut „Laudabunt alii claram Rhodon", id est laudabunt si voluerint[2]), et Vario alite sint ablativi absoluti, sicut sunt C. II, 12, 27, Ovid. Heroid. 12, 161, Met. I, 747: Du wirst schon besungen werden, da ja Varius ein Schwan des Mäonischen Liedes ist. Ita cum Scaligero in Castigg. in Propert. ad III, 7, 62. et cum Bernhardyo in cens. ed. Orell. unice et explipanda et defendenda scriptura omnium librorum. Ceterum ales Graece est „ὄρνις ἀοιδότατος" = κύκνος. Cycnus enim avis maxime canora veteribus habita, unde κύκνου ᾠδικότερος in proverbium abiit (cfr. Hor. C. IV, 3, 20), idemque sublimi volatu insignis. Quocirca poetae sublimiores saepe cum cycnis comparati ipsique cycni dicti sunt, velut Alcman, Alcaeus, Anacreon in Anthol. Gr. audiunt: ὑμνητὴρ ὑμεναίων κύκνος, κύκνος Λέσβιος, κύκνος Τήϊος. Res notissima, de qua v. Mitscherl. ad C. IV, 2, 25 et in Anal. p. 675. Homerum quidem Pindarus dicit Nem. VII, 22. B. ποταν᾽ᾷ μαχανᾷ i. e. quasi alata arte poetica sua Ulixem extulisse.

v. 5. seq. *gravem Pelidae stomachum cedere nescii*] Haec verba, Bentleio iudice, sine dubio Iliadem Homericam notant eiusque initium exprimunt;

*Μῆνιν — Πηληϊάδεω Ἀχιλῆος Οὐλομένην.*

---

1) Bergk. Anacr. Rel. p. 24: Postea per longum tempus materiam illam ab Anacreonte occupatam multorum sedulitate retractatam esse videmus: hinc repetenda est origo istarum cantiuncularum, quas Anacreonti vulgus tribuere solet; quarum aliae sunt satis vetustae, neque prorsus venustate aut arte carentes: aliae satis novitiae, ineptiarum et inficetiarum plenissimae.

2) Cfr. C. , 12, 10 et Orellium ad C. I, 20, 10.



v. 6. *cursus duplicis per mare Ulixei*] Reddidit Horatius in his argumentum Odysseae I, 1:

*Ἄνδρα — πολύτροπον, ὃς μάλα πολλὰ Πλάγχθη,*

sicut idem expressius fecit in A. P. 141 sq., et Virgilius in Aen. initio. — Duplicis autem epitheton, quod nove dixit, non ex illo quidem loco repetiit, sed tamen Graecos, inprimisque Euripidem in Rheso 395. et 423. D. cll. Troad. 286. secutus est, qui διπλοῦν ἄνδρα virum callidum et versutum, vera non eloquentem vocat et ipsi Ulixi δίπτυχον γλῶσσαν tribuit: de qua re post Bentleium adeas Dav. Ruhnkenium ad Timaei lexic. Platonicum s. v. διπλόον, qui iure miratur Bentleium re tam bene gesta ad coniecturam reducis confugisse. At vero Britannum duplex verbi novitas commovisse videtur, quod „nemo Latinorum, excepto si forte Nostro, eiusmodi hominem duplicem vocavit." Cfr. Quintil. IX, 2, §. 69: ex verbis dubiis et quasi duplicibus.

v. 13. *Mars tunica tectus adamantina* est Homeri χάλκεος Ἄρης (Il. V, 704. 859. alibi, cfr. Pind. Ol. XI, 15. Isth. III, 33. B.) ad formam χαλκεοθώρηξ (Il. IV, 448. VIII, 62. cll. Soph. Ai. 179. χαλκοθώραξ Ἐνυάλιος) vel χαλκοχίτων (Il. I, 371. alib.): quae sunt Homerica epitheta militarium virorum. Nam tunica h. l. est „ferrea tunica" Varronis L. L. V, 24.

v. 14. sq. *Merionen* appellat *pulvere Troico nigrum*, quoniam is Homero est Idomenei auriga θοῷ ἀτάλαντος Ἄρηϊ (Il. XIII, 328. 538.), πόδας ταχύς (ib. 249.) diciturque v. c. Ἀχάμαντα κιχεῖν ποσὶ καρπαλίμοισιν (Il. XVI, 342). Huius igitur mentio quo doctius et exquisitius ab Horatio facta est, eo minus offendere debuit Peerlkampium, praesertim si persimiles locos C. I, 15, 18. 23. 26. contulisset.

v. 15. sq. *Tydiden* autem ideo *superis parem* vocat, quoniam Diomedes Minervae praesidio ferocissimus (Il. V, 1 sq.) cum diis congressus Venerem et Martem vulneravit (Il. V, 335 sqq.), id quod hic ita conqueritur in Olympo Il. V, 883:

*Κύπριδα μὲν πρῶτον σχεδὸν οὔτασε χεῖρ᾽ ἐπὶ καρπῷ,*
*Αὐτὰρ ἔπειτ᾽ αὐτῷ μοι ἐπέσσυτο δαίμονι ἶσος.*

Ceterum perperam Lambinus aliique post illum Homericum epitheton θεοείκελος cum hoc loco compararunt, quoniam illud semper ad solam corporis formam divina maiestate circumfu-

sam refertur, Horatius autem diversa longe sententia dixit superis parem.

## Carm. I, 7.

De argumento carminis et Graecarum urbium nominibus Godofredus Bernhardy in censura ed. Orellianae ita universe expedit: „Horaz nennt zur Einleitung diejenigen Städte, welche von der Poesie gefeiert worden, und zwar um den Ruhm Tiburs (21. Tiburis umbra tui) auf den Gipfel zu erheben; die wahre Tendenz aber ist, die sittliche Haltung des augustischen Zeitraumes, die innere Zerfallenheit und Characterlosigkeit (tristitia bei Plancus, maestus bei Dellius) mit sicherem Takte auch hier zu bekämpfen. Cfr. II, 3.“

v. 1. *Mytilenen*] *Μυτιλήνην* scribendum esse, non *Μιτυλήνην*, docuit iam Wesseling. ad Herod. I, 160. — De situ urbis pulcherrimae vid. Muret. V. L. IX, 16. Affluebant autem Rhodus et Mytilene eruditissimis hominibus liberalissimisque studiis: hinc geminae illae exulantium eruditorum sedes, vid. Cicer. ad Fam. IV, 7, 9.

v. 2. *Epheson — Corinthum*] Hae civitates ipsae quoque pulchritudine et amoenitate clarissimae: quarum alterum „Asiae lumen“ dicunt (Strab. XIV. p. 641. cll. Plin. N. H. V, 29, 31) vocatque Antipater Sid. in Anth. Gr. II. p. 16 B.: *θοῶν βασίλειαν Ἰώνων Τὰν δορὶ καὶ μούσαις αἰπυτάταν Ἔφεσον*, hanc vero *Ἑλλάδος ἄστρον* vocat Polystr. in Anth. Gr. T. II. p. 1. (Mitsch. in Anal.) — *bimaris*] quia Isthmus *διθάλασσος*, vel, ut quidam malunt, *ἀμφιθάλασσος*, *ἀμφίαλος* (Pind. O. VII, 33. XIII, 39. cll. Xenoph. Hell. IV, 2, 13). Euripides vocat in Troad. 1097: *δίπορον κορυφὰν Ἰσθμιον*. Cfr. Muret. V. L. I, 7.

v. 3 sq. Iam commemorat loca, quae non solum sacris deorum festis augustissima, sed eadem situs forma ac salubritate celeberrima erant. Laudatur inprimis viriditas agri Thebani, de quo Dicaearchus Vit. Graec. p. 191: *χλωρὰν ἔχουσα τὴν πρόσοψιν. Τέμπη* autem elegantissime describuntur a Callim. fr. 32. Bl. et ab Aeliano V. H. III, 1.

v. 5. *Sunt quibus est*] Haec formula ex Graeco expressa et *ὑφ' ἓν* accipienda (*ἔστιν, εἰσὶν οἷς*, Manche, vid. ad C. I, 1, 3), cui opponitur infra alius aliquis, qui plurimus erit in Iunonis honorem, et mox me, transitum nobis parat ad unum omnium difficillimum locum:



v. 7 sqq. *Undique decerptam fronti praeponere olivam.*
*Plurimus in Iunonis honorem*
*Aptum dicet equis Argos ditesque Mycenas.*]

Quum Interpretum curae me omnino non tangant, nisi ubi Graecismi ratio habenda sit, hic mihi satis erit dixisse, id quod gravissimum est, eos nobis nondum persuasisse, hoc praeponere fronti olivam pro eo, quod est „praecingi corona oleaginea“, et multo minus illud plurimus dicit pro eo, quod est „plurimi dicunt“, Latine dictum esse aut potuisse dici[1]). Quae quum ita sint, quum in vs. 7. haec una fere optio detur, utrum Magni Bentleii explicatio „ex argumento undiquaque exhausto coronam sibi poeticam quaerere“ amplectenda, an potius cum Godofr. Bernhardyo sit interpretandum: Omnem copiam fabularum de oliva illa per Minervam creata, quas velut flosculos quosdam poeticos undique decerpserunt, statim ab initio carminis perpetui ponunt[2]): huius sententiae accedere eo minus dubito, quod, ut

1) Praeter ceteros Robertus Ungerus De Valgii Poemm. p. 362 seqq. multus est in his versibus undique collustrandis, sed ne longissima quidem demonstratione ea quae dixi mihi probare potuit, quamquam mira doctrina usus fere omnia cum pulvisculo exhausit. Profert quidem ex Ovid. de A. A. lib. I, 734. locum, ubi scriptum sit in libro Palatino: „nec turpe putaris Palliolum nitidis praeposuisse comis“: sed consensus Codd. ibi alteram lectionem imposuisse tuetur, et nusquam simile exemplum exstat nec in Latinitate nec, ut mox videbimus, in Graecitate. Quod vero illud „plurimus dicit“ pro „plurimi dicunt“ nobis probare conatus est, in ea re prorsus et oleum et operam perdidit, quoniam id genus exempla eo referenda sunt, quo infra revocabimus.

2) Siquidem eius explicationem probe intellexi. Ita enim ille in censura editionis Orellianae: Diese Auffassung findet sich mit Gesner's einsichtiger Kritik über die Bentleysche Note nicht sonderlich ab, auch abgesehen von dem verkünstelten undique decerptam: während im Zusammenhange des Ganzen vielmehr die mythenreiche Olive an der Stirn eines zur Ehre Athens gesungenen Werkes prangen muss.

cetera omittam[1]), ne illud quidem constet, quod Bentleius pro gravissimo suae interpretationis fundamento posuit, ita locutos esse Graecos: *παραθέσθαι στέφανον ταῖς κόμαις.* Comparaverat enim Bentl. Sapphus fragm. 44. Neue., 67. Schneidew.: *Σὺ δὲ στεφάνοις*[2]), *ὦ Λίκα*[3]), *παρθέσθ' ἐραταῖς φόβαισιν.* At hoc ipsum verbum *παρατίθεσθαι* hodie VV. DD. ex Sapphus loco expulerunt, substituto pro eo *περθέσθ'* i. e. *περιθέσθαι.* Nam coronae comis *τίθενται, ἐπιτίθενται, ἀμφιτίθενται, περιτίθενται*, et sic sexcenties; *παρατεθεῖσαι* cogitari non possunt[4]). Quodsi tu tutius ibis cum Magno Bernhardyo, undique decerptam Graecorum more modoque de flosculis illis decerptis ex prato poeseos s. Musarum (v. Muret. V. L. VIII, 1 et Valcken. in Eurip. Hipp. 73. cll. C. I, 26, 6. et Cic. p. Sest. 56. §. 119.), fronti autem sic propric de fronte libri dictum esse intelliges ex Ovid. Trist. I, 1, 8 sqq. et I, 7, 33:

Hos quoque sex versus, in prima fronte libelli
Si praeponendos esse putabis, habe.

Iam vero quae sequuntur verba Plurimus in Iunonis honorem, Aptum dicet equis Argos etc. eiusdem Bernhardyi vestigiis primis insistens sic interpretor „Alius aliquis, qui plurimus feretur in Iunonis praedicationem, dicet.“ Ita explico, uti apparet, ex Graecismo, qui certe hic mihi pluris est quam multae illae ac variae Interpretum opinationes, siquidem Horatius in primo Carminum libro fere totus pendet e Graecis. Sic enim Graeci loquuntur: *πολὺς* vel *πλείων καὶ πλείων ῥεῖ ὁ ποταμός*, deinde *πολὺς λέγω* et *πολὺς ὑμνοῦμαι.* Aeschyl. Sept. 5, ubi vid. Blomf., Callim. fr, 115. Bernh. Synt. p. 335, idem Eratosth. p. 188. Krüger. Gr. §. 57, 5, 1. Itemque Latini interdum per Hellenismum protulerunt multus et plurimus, „intensam vim et studium notantes.“ Vid. Vechn. Hellenol. p. 417, cuius exemplis addas Ovid. M. XI,

1) Vid. Gesnerum a Bernhardyo laudatum et Peerlkampium ad h. l.

2) Accusativus Aeolicus, cum infinitivo constructus, qui ex veteris sermonis consuetudine imperativi vicem implet.

3) Est id *ὑποχοριστικὸν* nominis *Μναισίλκα* (fr. 66), quod Ovidio Mnais est. Schneidew.

4) Vid. Neue. p. 65.



562. Trist. IV, 10, 128. Am. I, 15, 38: „in toto plurimus orbe legar“. Et sic „plurimus in honore“ (quae Oudendorpii et Cuninghami emendatio est, probata Peerlkampio) Graece sane esset *πλεῖστος ὢν ἐν τῷ ἐπαίνῳ:* sed stat antiqua lectio, videturque Horatius praetulisse Graecorum imaginem a flumine ductam, quam et alibi secutus est. Eurip. Hipp. 443: *Κύπρις γὰρ οὐ φορητόν, ἢν πολλὴ* (i. e. multa, tota, nimia) *ῥυῇ*, sc. *ἐς βροτῶν γένος:* cuius versus memor Horatius scripsit C. I, 19, 9: „in me tota ruens Venus“. Pseudophocyl. Eleg. v. 192. Bergk: *Μηδ' ἐς ἔρωτα γυναικὸς ἅπας ῥεύσῃς ἀκάθεκτος.* Sic porro de hac ipsa re, de qua agitur, *πολὺς ῥέω:* Demosth. de Cor. p. 272. R., ubi orator Philippi Pythonem Byzantius, cui solus Athenis obloqui poterat Demosthenes, *θρασυνόμενος καὶ πολὺς ῥέων* dixisse dicitur, hoc est, multus fluens, ut ipse Horatius Sat. I, 7, 28. (vid. Bentl.) Latine reddidit. Quod igitur Noster h. l. novavit, hoc unum est, quod pro eo, quod est „plurimus fluens“, breviter admodum ac simpliciter scripsit plurimus in Iunonis honorem, ut alias Graeci *δεινόιατος ἐς* (Eurip. Andr. 159); nec dubitandum, quin in ea quoque re feliciter audax fuerit: *πλεῖστος ῥυεὶς ἐς κλυτὰς τιμὰς* s. *ἐς ἐπαίνους* (in honorem, vid. C. I, 26, 10) *Ἥρας*, wer sich mit mächtigem Redefluss verbreitet über den Ehrenpreis der Juno, vel, ut Bernhardyus mavult, „wer auf der Jnno Ruhm seine Kraft setzt“.

Reliquum est, ut de Graecis poetis, qui Horatio obversati sint, paucis dicendum videatur. Quamquam enim de certis carminibus in Athenarum et Argorum laudem compositis nihil iam restat; nobilissimas tamen Graeciae urbes suos nactas esse laudatores — sive *ἐγκώμια* earum composuerunt, sive *ἐν παρόδῳ* earum meminerunt, ut Choerilus in Persicis — et satis credibile est, et Athenas certe a poetis popularibus cantatas esse testantur Athenaeus VI, 229. E. et Pindarus fr. 46. B.: *Αἵ τε λιπαραὶ καὶ ἀοίδιμοι, Ἑλλάδος ἔρεισμα, Ἀθῆναι*, h. l. Et splendidae et carmine celebres, Graeciae columen, Athenae.

v. 9 sq. *Argos — Mycenas — Lacedaemon*] Has ipsa Iuno commemorat apud Homerum urbes sibi carissimas et tanquam domicilia sua, Il. IV, 51:

*Ἦτοι ἐμοὶ τρεῖς μὲν πολὺ φίλταταί εἰσι πόληες*
*Ἄργος τε Σπάρτη τε καὶ εὐρυάγυια Μυκήνη.*

Cfr. Pind. N. 10, 2.

— *aptum equis Argos*] Ex Homerico epitheto *Ἄργος ἱππόβοτον*, Il. II, 287. al. quod constanter servarunt Pindarus Isth. VI, 17. Nem. X, 41.[1]) et Euripides Iph. in T. 700. Suppl. 365. Troad. 1087. Eiusque rei laudem Argivis Horatii etiam aetate constitisse suam, quum gravissimi auctores sint Strabo IX. p. 388. et Gabius Bassus ap. Gellium III, 9, perperam Lübkerus eam Thessalicis Argis transscribendam esse Wachsmuthio Graec. Antiq. I, p. 38. credit. Vid. Unger l. l. p. 374 seqq.

— *ditesque Mycenas*] Haec quoque ex Hom. Il. VII, 180: *βασιλῆϊ παλυχρύσοιο Μυκήνης*[2]). Horatii quidem temporibus iam diu disturbatas fuisse „Agamemnonias Mycenas" inter omnes constat (Ovid. M. 15, 426 sqq.); sed ita iacuerunt illae, ut tamen „magnarum rerum magna sepulcra" manerent (Paus. II, 16, 5. p. 271): ad quae pertinent Horatii verba.

v. 10. *patiens Lacedaemon*] est non tam *ταλασίφρων*, *πολύτλας*, *πολυτλήμων*, quae nota de Ulixis virtute Homeri eademque Nostri Epist. I, 7, 40. praedicatio est, quam victus tenuitate et duritie toleranda insignis[3])

v. 11. *Larissae campus opimae*] Homerum secutus est, qui *Φθίην* et *Λάρισσαν ἐριβώλακα* dixit (Il. IX, 479. II, 841. XVII, 301).

v. 15 sqq. *Albus Notus*] Homerus *ἀργεστὴν* appellat

1) *ἱπποτρόφον ἄστυ*, ubi Boeckhius: Audit enim ita proprie planities totius illius regionis pascuis equorum aptissima. Nam satis aquarum habebat planities, urbs vero in loco sicco fuit sita; cf. Strab. VIII, p. 371.

2) Soph. Electr. 9: *Μυκήνας τὰς πολυχρύσους.*

3) Ungerus l. l. p. 381 seqq. nobis satis probavit, Horatium hoc dicere: „Mihi Tibur placet, quod tantum a Spartae patientia et nimia frugalitate abest, quantum a Larissae opulentia et luxuria". Nam ut Larissa non solum opima (*ἐριβῶλαξ*) et ditissima (*εὐτυχεστάτη*), sed etiam delicata audivit (*πολυτελέστατοι, εὐτράπεζοι, πολυφάγοι Θετταλοί*): sic nihil fuit Spartanis parcius et frugalius (Nep. Ag. 7. 4. Alc. 11, 4).



ob eandem causam, Il. XI, 305:

— — *ὡς ὁπότε νέφεα Ζέφυρος στυφελίξῃ*
*Ἀργεστᾶο Νότοιο*[1]), *βαθείῃ λαίλαπι τύπτων.*

Sententiae formam Lambinus ex Pindaro Pyth. III, 188 (104. B.) expressam putat, ubi poeta, postquam ipse quoque praecepit illud: fortuna secunda uti decere, ubi quis eam a diis nactus sit, ita pergit dicere: *ἄλλοτε δ' ἀλλοῖαι πνοιαὶ Ὑψιπετᾶν ἀνέμων.* Ipsam autem sententiam „Sic tu sapiens finire memento tristitiam vitaeque labores molli, Plance mero" fortasse debet Euripidi, Alc. 794. D. sqq. ubi Hercules item suadet:

— *οὔκουν τὴν ἄγαν λύπην ἀφεὶς*
*Πιεῖ μεθ' ἡμῶν τάσδ' ὑπερβαλὼν πύλας*
*Στεφάνοις πυκασθείς; καὶ σάφ' οἶδ' ὅθ' οὕνεκα*
*Τοῦ νῦν σκυθρωποῦ καὶ συνεστῶτος φρενῶν*
*Μεθορμιεῖ σε πίτυλος ἐμπεσὼν σκύφου*[2]).

Cfr. ad C. I, 4, 13.

v. 19. *Molli mero*] Ut Graeci *οἶνον μαλακὸν σκληρῷ* opponebant. Orell.

v. 21 sq. *Teucer Salamina patremque Quum fugeret*] Audies ipsum haec commemorantem apud Eurip. in Hel. 87 sqq. et 146 sqq. Cfr. ad vs. 28 sq.

v. 23. *Tempora populea fertur vinxisse corona*] Quoniam Graeci homines, qui itinera faciebant, sacrificabant *τῷ ἡγεμόνι Ἡρακλεῖ* (Xenoph. Anab. IV, 8, 25. VI, 2, 25; 5, 24), ipsi quoque advenae et vago, populea fronde sive corona, eius insigni, ornati. Cfr. Theocr. in Pharmaceutria

1) Ubi Faesi: *ἀργεστής*, sofern der Südwind die Luft besonders hell und durchsichtig macht, daher auch *Λευκόνοτος*, albus Notus.

2) „Also, fliehend Grames Uebermass, und wiederkehrend in das Haus, bekränze dich und trink mit uns! Ich weiss gewiss, dein jetziges Hinstarren, Freund, und alle Runzeln deiner Stirn vertreiben bald des Bechers überwallende Begeisterungen". Ita Bothius vertit bene sane atque eleganter, sed melius tamen poeta Graecus, qui praeclaram metaphoram suam optime pertractavit, quod, quum *πίτυλος σκύφου* intulisset, etiam *ἐμπεσὼν* et *μεθορμιεῖ σε* dixit. Horatius ipsa sententia contentus omnem ornatum detraxit, quum iam aliam a Pindaro mutuatus esset imaginem.

quam alibi (v. Prooem. not. 15), saepius et manifestius imitatus est, Id. II, 121:

*Κρατὶ δ'ἔχων λεύκαν, Ἡρακλέος ἱερὸν ἔρνος.*

v. 28. *Certus enim promisit Apollo,*
*Ambiguam tellure nova Salamina futuram.*]

Eurip. l. c. 148:

*Ἐς γῆν ἐναλίαν Κύπρον, οὗ μ' ἐθέσπισεν*
*Οἰκεῖν Ἀπόλλων ὄνομα νησιωτικὸν*
*Σαλαμῖνα θέμενον τῆς ἐκεῖ χάριν πάτρας.*

v. 30. *peioraque passi*] Homerica dictio et consolatio est, Od. XII,208, ubi Ulixes sociis:

*Ὦ φίλοι, οὐ γάρ πω τι κακῶν ἀδαήμονές εἰμεν,*

et XX, 21, ubi sibimet ipse, id quod propius ad h. l. accedit:

*Τέτλαθι δὴ, κραδίη· καὶ κύντερον ἄλλο ποτ' ἔτλης.*

Cfr. Virg. A. I, 198. Ovid. Tr. V, 11, 7.

## Carm. I, 8.

De argumento carminis confer ad C. I, 5., de nominibus personarum amatoriarum Exc. II. Lydia enim pro tenella, Sybaris autem, fortis modo ac durus adolescens, nunc Lydiae amore irretitus, pro molli et delicatulo habendus est.

v. 13. sqq. *Quid latet ut marinae Filium dicunt Thetidis*] Hanc fabulam, qua Achilleus sub lacrimosa Troiae funera in Scyro insula abditus inter Lycomedis regis filias muliebriter educatus et Deidamiae amore captus fuit, donec ab Ulixe callido consilio detectus et in partem instantis belli proreptus est, ignorat Homerus qui hoc unum Achilli tribuit Il. XIX, 326: *Ἠὲ τὸν ὃς Σκύρῳ μοι ἔνι τρέφεται φίλος υἱός*: ad quem locum veteres Scholiastae adnotarunt, fundum illius fabulae fuisse in Iliade parva et apud Cyclicos[1]. Eandem tractarunt Tragici, Sophocles et Euripides *ἐν Σκυρίαις*, quorum ille Ulixem haec loquentem facit fragm. 497. D.:

*Σὺ δ' ὦ τὸ λαμπρὸν φῶς ἀποσβεννὺς γένους,*
*Ξυίνεις, ἀρίστου πατρὸς Ἑλλήνων γεγώς;*

1) Schol. Villois. rec. Im. Bekker. p. 526: *Σκύρῳ· τινὲς μὲν ἐκεῖ ἐκτεθῆναι αὐτὸν ὑπὸ Θέτιδος. ὁ δὲ τὴν μικρὰν Ἰλιάδα ἀναξενγνύντα αὐτὸν ἀπὸ Τηλέφου προσορμισθῆναι ἐκεῖ· Πηλείδην δ'' Αχιλῆα φέρε Σκῦρόνδε θύελλα*". Prolata deinde tota fabula, ut post Homerum exaedificata fuit, haec adduntur: *ἡ ἱστορία παρὰ τοῖς κυκλικοῖς.*



Item Bion in Epithalamio Achillis et Deidamiae, Id. VII, 10:

*Ἅρπασε τὰν Ἑλέναν πόθ' ὁ βωκόλος, ἆγε δ' ἐς Ἴδαν,*
*Οἰνώνᾳ κακὸν ἄλγος· ἐχώσατο δ' ἁ Λακεδαίμων,*
*Πάντα δὲ λαὸν ἄγειρεν Ἀχαϊκὸν, οὐδέ τις Ἕλλην*
*Οὔτε Μυκηναίων, οὔτ' Ἠλιάδος, οὔτε Λακώνων*
*Μεῖνεν ἐὸν κατὰ δῶμα, φέρων τίσιν, αἰνὸν Ἄρηα.*
*Λάνθανε δ' ἐν κώραις Λυκομηδίσι μοῦνος Ἀχιλλεύς·*
*Εἴρια δ' ἀνθ' ὅπλων ἐδιδάσκετο, καὶ χερὶ λευκᾷ*
*Παρθενικὸν κόπον εἶχεν*[1]*) ἐφαίνετο δ' ἠΰτε κώρα κτλ.*

Quod totum Idyllium quum perquam elegans sit et certe Romanis notissimum fuerit et vero Horatio etiam in principio Carm. I, 15. obversatum esse videatur, recte a Wagnero cum eo collatum est, eumque recentiores Interpretes secuti sunt. Quamquam si quis velit pugnare, in re tam communi non licet contendere imitationem esse factam. Quod autem Horatius Achillem marinae filium Thetidis dixit, in eo fortasse Euripidem suum secutus est, qui ita saepius, Andr. 108: *παῖς ἁλίας Θέτιδος*, Iph. A. 836: *ὦ θεᾶς παῖ ποντίας Νηρηίδος*, alibi.

v. 14 sq. *sub lacrimosa Troiae Funera*] Hoc genus dicendi ad exemplum Homerici *πολέμου δακρυόεντος* suo more composuit, quum epitheton retinuit, bellum funeribus mutavit, quibus vel caedes stragesque per ipsum bellum editas (C. I, 15, 10), vel luctuosum totius certaminis exitum urbisque excidium (C. I, 37, 8) significaret. Homeri exemplum priori explicationi magis favet.

v. 15 sq. *ne virilis Cultus in caedem et Lycias proriperet catervas*] Huc facere non iniuria videtur Mitscherlichio locus Pindari Nem. III, 57. B., ubi Achilles, priusquam apud Lycomedem delituit, a Chirone Centauro ad res magnas educatus esse dicitur, ut aliquando etiam hastarum pugnas sustineret: *ὄφρα — πεμφθεὶς ὑπὸ Τροΐαν δορίκτυπον ἀλαλὰν Λυκίων τε προμένοι καὶ Φρυγῶν Λαρδανῶν τε.* Quam sententiam Horatio obversatam esse si recte tibi persuaseris, improbabis explicationem Orellianam: „in caedem, quam facturae sunt Lyciae catervae." Vid. Exc. IV. Append.

1) i. e. Virgineum laborem habebat. Est coniectura Scaligeri; veterem scripturam *κόρον* retinuit Meinecke et Ahrens. Coniecit Hermannus: *Παρθενικὰν κρόκ' ἀνεῖχεν*, cll. Hesiod. *Ἔργ* 536. et Stat. Achill. I, 581 sqq. Idem in vs. 14.: *φυγὼν δύστανον Ἄρηα*, quum in libris scriptum sit *φέρων δισσὸν ἀνὰν ἄρνα.*

## Carm. I, 9.

v. 1—8. *Vides, ut — — gelu*
*Flumina constiterint acuto.*
*Dissolve frigus ligna super foco*
*Large reponens atque benignius*
*Deprome — — merum.*]
Imitatus est in his ac potius expressit, iisdem fere verbis eodemque metro usus, Horatius Alcaei σκόλιον ap. Athen. X, 430. A., Fragm. 27. Matth., fr. 27. Schneidew. p. 273:

*Ὕει μὲν ὁ Ζεύς, ἐκ δ' ὀρανῶ μέγας*
*Χειμών, πεπάγασιν δ' ὑδάτων ῥοαί.*
— — — — —
— — — —
*Κάββαλε*[1] *τὸν χειμῶν', ἐπὶ μὲν τιθεὶς*
*Πῦρ, ἐν δὲ κίρναις*[2] *οἶνον ἀφειδέως*
*Μελιχρόν, αὐτὰρ ἀμφὶ κόρσᾳ*
*Μαλθακὸν ἀμφι[τίθει]*[3] *γνόφαλλον*[4]).

Ex quibus versibus Horatium suos composuisse notarunt iam Muretus, Lambinus, Stephanus ad Anacr. p. 163, R. Bentleius; eiusdemque carminis Alcaici initium reddidit etiam Epod. 13, 1 sq.:

Horrida tempestas coelum contraxit et imbres
Nivesque deducunt Iovem[5]) etc.

v. 3 sq. *gelu acuto*] Adrianus Turnebus Adv. XV, 26 notavit, acutum dici Graeco more pro acri et vehementi, quod ὀξὺ denotat. Sic Pinth. Pyth. I, 20. B.: *χιόνος ὀξείας*. Similiter Apoll. I, 1027: *ὀξείῃ ῥιπῇ πυρός*. Wagn. Proprie igitur dictum, ut acri C. I, 12, 1.

v. 8. *O Thaliarche*] Graecum Thaliarchi nomen quasi proprium vel elegit vel ipse confinxit Horatius. Vid. Exc. II.

1) „Multo fortius loquitur Alcaeus: prosterne quasi frigus, quum Horatius dissolvendi contentus sit verbo". (Wensch.).
2) Forma Aeolica pro *ἐγκιρνὰς δέ*.
3) Supplent viri docti *ἀμφιτίθει*, *ἀμφιτιθεὶς*, *ἀμφιβαλών*.
4) Aeolice pro *γνάφαλλον* h. e. tomentum, mollis pulvinus.
5) Utrumque locum cum Alcaeo accuratius comparavit Wenschius, Prorector Vitebergensis in Progr. Schol. an. 1829. p. 8 sqq. atque ita quidem, ut fere in omnibus priores detulerit Alcaeo.



— *diota*] ὁ *δίωτος στάμνος* = *ἀμφορεύς* (Moeris. p. 44); non *διώτη*, nec *διώτης* Graece dicitur (vid. Bentl.). Est amphora duarum aurium, id est, ansarum, quae Sabina nuncupatur de vini genere quod continebat. Item in Anthol. Gr. II, 228. Br. *Ἀδριακὸν κύτος*, cll. ibid. II, 170. extr.: *ἀμφιφορῆα — τὸν Ἀδριακοῦ νέκταρος οἰνοδόκον*. Cfr. Hor. C. III, 16, 34: Laestrygonia amphora.

v. 9. *Permitte divis cetera*] Iudice Iacobsio Animadvv. in Anth. I. p. 159 sumptum hoc ex Archil. fragm. 32. Lieb., 49. Schneidew.: *Τοῖς θεοῖς τίθει τὰ πάντα*. Sed eadem Euripides, gravissimus Horatio sententiarum auctor, ita scripsit in Alc. 792. D.: (*εὔφρανε σαυτὸν, πῖνε·*) *τὰ δ' ἄλλ' ἔασον ταῦτα*, et in Cress. fragm. 12. D.: *τὰ δ' ἄλλα χαῖρε κύλικος ἐρπούσης κίκλῳ*. Accedit, id quod magnum est in re ancipiti momentum, quod ex eodem fonte videntur etiam fluxisse quae infra vs. 13 seqq. leguntur.

v. 11. *ventos Deproeliantes*] Hom. Il. XVI, 765: *Ὡς δ' Εὖρός τε Νότος τ' ἐριδαίνετον ἀλλήλοϊν*. Wagn. Cfr. Virg. A. II, 416 sqq.

v. 13. *Quid sit futurum cras, fuge quaerere et*
*Quem Fors dierum cunque dabit, lucro*
*Appone, nec dulces amores*
*Sperne puer.*] Est sententia Euripidea, si quid video, ex Alcestide expressa, vs. 788 sqq.:

— — — — *Τὸν καθ' ἡμέραν*
*βίον λογίζου σόν, τὰ δ' ἄλλα τῆς τύχης.*
*τίμα δὲ καὶ τὴν πλεῖστον ἡδίστην θεῶν*
*Κύπριν βροτοῖσιν.*

Eandem sententiam manifestius ac plenius depromptam ex Herculis verbis ap. Euripid. vs. 780 seqq. mus urbanus propinat agresti Sat. II, 6, 93 seqq., eademque usque recurrit apud Nostrum: C. I, 11, 6 sqq. II, 16, 25 sq. III, 8, 27 sq. III, 29, 42 sqq. Epist. I, 11, 22. Cfr. praeterea Pindari fr. 88, 1. B.: *χρῆν μὲν κατὰ καιρὸν ἐρώτων δρέπεσθαι, θυμέ, σὺν ἁλικίᾳ,*

v. 15. *dulces amores*] Graecis *γλυκεῖα* vel *ἡδεῖα Κύπρις, γλυκεῖα Ἀφροδίτα, ἁδὺς Ἔρως* (Theocr. I, 95. Eurip. l. l. Pind. O. 6, 35. B. Bion 15, 5).

v. 17. *virenti*] Solita apud Graecos imagine, ut *χλοερὰ*

μέλεα, γόνυ χλωρὸν, χλωρὸν αἷμα (Theocr. 27, 66. 14, 70. Soph. Trach. 1055). Hinc Chloris dicta ratioque habita Thaliarchi nominis (θαλίας ἀρχός). Cfr. Epod. 13, 4 et Excurs. II.

v. 19. *lenes susurri*] ψιθυρίσματα = ὀαρισμοί (Theocr. 27, 67).

## Carm. I, 10.

„Hymnus in Mercurium ab Alcaeo lyrico poeta.“ Porphyr. Hoc confirmat Pausanias VII, 20: βουσὶ γὰρ χαίρειν μάλιστα Ἀπόλλωνα (τὸν Νόμιον) Ἀλκαῖός τε ἐδήλωσεν ἐν Ὕμνῳ τῷ εἰς Ἑρμῆν γράψας, ὡς ὁ Ἑρμῆς βοῦς ὑφέλοιτο τοῦ Ἀπόλλωνος. Celebraverat poeta Lesbius Ἑρμοῦ γονὰς (teste Menandro Rhet. IX, 149. Walz.), raptum boum Apollinearum (Pausan. l. c. et Porphyr. ad Hor. vs. 9: fabula haec ab Alcaeo ficta), denique praestantissimas dei virtutes (Athen. X, 425. C.: Ἀλκαῖος τὸν Ἑρμῆν εἰςάγει θεῶν οἰνοχόον). Exordiatur Horatius similiter atque ille a Mercurii genere, deinde praedicat eum tanquam deum λόγιον, ἐναγώνιον, θεῶν κήρυκα, tum pluribus tanquam ποικιλομήτην, quod ipsum duobus exemplis exornat eundem Alcaeum ex parte secutus, denique tanquam χθόνιον s. ψυχοπομπὸν dilaudat. Sed idem hoc carmen quum refertum sit Homericae imitationis vestigiis et plura non contineat, quae ab Alcaeo commemorata esse modo vidimus, non potest „totum ex Alcaeo expressum esse“, quod Porphyrionis testimonio inducti Mitscherlichius et Grotefendus [1]) temere opinati sunt. Initium hymni Alcaici fortasse fuit fragm. 22. Matth., 2. Scheidew., eodem metro Sapphico conscriptum:

Χαῖρε Κυλλάνας ὁ μέδεις, σὲ γάρ μοι.

v. 1. sqq. Facundus Mercurius appellatur, quod Graece λόγιος audit i. e. λόγου ἔφορος, eloquentiae praeses s. „sermonum deus“, ut ait Servius ad Aen. II, 293. Sic apud Hesiodum in Opp. 77 sqq. Pandorae haec munera donat: ψεῦδεά θ' αἱμυλίους τε λόγους καὶ ἐπίπλοκον ἦθος· — ἐν δ' ἄρα φωνὴν (suadam) Θῆκε θεῶν κῆρυξ. Aristides Or. de Rhet. I:

1) Qui adeo carmine Horatii Graece retro vertendo Alcaei hymnum restituere posse sibi visus est in Nov. Act. Soc. Lat. Jen. I. p. 223 sqq.



καλῶ δ' ἐπὶ τούτῳ τῷ τολμήματι καὶ Ἑρμῆν λόγιον. Cfr. Jacobs ad Anthol. Gr. III. 278. Br. Vol. III. P. II. p. 199 sq.

v. 3 sq. *et decorae More palaestrae*] Mercurium intellige ἀγώνιον, ἐναγώνιον, Pind. Isth. I, 60. Pyth. II, 10. B., ubi Schol.: Ἐναγώνιος δὲ ὁ Ἑρμῆς, ὡς τῶν ἀγώνων προστάτης, ὡς καὶ Αἰσχύλος „Ἐναγώνιε Μαίας καὶ Διὸς Ἑρμᾶ“. Idem Pind. O. VI, 79. B.: ὃς ἀγῶνας ἔχει μοίρας τ' ἀέθλων. Eam ob caussam etiam Olympiae aram et multis in urbibus Graeciae cum Hercule coniuncta sacra habuit (Pausan. V, 14, 7. Anthol. Gr. I, 227. XXIX. Br.) Secundum Pindarum igitur, qui toties celebraverat τὸν ἐναγώνιον Ἑρμᾶν, Horatius sine dubio scripsit illud „decorae more palaestrae“. Etenim idem Pindarus Ol. VI, 69 B. Herculem ait instituisse Olympiae „τεθμὸν μέγιστον ἀέθλων, morem maximum certaminum“, itemque saepius, vid. Bentl.

v. 5. *Iovis et deorum Nuntium*] Expressit Homerica epitheta Διὸς ἄγγελον, διάκτορον, θεῶν κήρυκα. Cfr. Pind. l. c. O. VI, 78: θεῶν κήρυκα, Eurip. I. A. 1302: Ἑ. ὁ Διὸς ἄγγελος.

v. 6. *lyrae parentem*] Homer. Hymn. in Merc. 24:

Ἔνθα χέλυν εὑρὼν ἐκτήσατο μυρίον ὄλβον κτλ.

Cfr. Orph. Arg. 381. Bion Idyll. III, 7 sq.

v. 7. *Callidam — iocoso Condere furto*] Huc faciunt Graeca Mercurii epitheta ποικιλομήτης (Hom. H. in M. 514) et δόλιος (v. Aristoph. Plut. 1157 seq.) et vero λῃστὴρ, quod in Hom. H. in Merc. 14, Ἑ. ὁ κλέπτης, quod in Anth. Gr. III, 178. Br., φωρῶν ἑταῖρος, quod apud Hipponactem fragm. 1, 3. Schn., φηλητῶν ἄναξ, quod apud Pseudoeuripidem in Rheso 217. legitur. Cuius et opinionis et praedicationis fundus fuit in Homeri Odyss. XIX, 295 seq.

v. 9—12. *Te, boves olim* cet.] Haec, nisi certis Porphyrionis et Pausaniae verbis supra allatis fides deroganda videtur, non sane potest dubium esse quin ex Alcaei loco nunc deperdito fluxerint: sed mirum in modum conveniunt etiam cum iis quae eadem de re in Homerico Hymno in Mercur. 252 sqq. narrantur: ubi Apollo Mercurium puerum et „minaci voce terret“, gravissimas poenas ei minitans, nisi quinquaginta boves eodem quo natus est die per dolum amotas indicaverit, vs. 254:

— μήνυέ μοι βοῦς
Θᾶττον· ἐπεὶ τάχα νωΐ διοισόμεθ' οὐ κατὰ κόσμον.

*Ῥίψω γάρ σε βαλὼν ἐς Τάρταρον ἠερόεντα κτλ.*
et arridet „iocoso illi furto“ vs. 281:

*Τὸν δ' ἀπαλὸν γελάσας προσέφη ἑκάεργος Ἀπόλλων*
et denique in haec verba prorumpit vs. 514:

*Λείδια, Μαιάδος υἱὲ, διάκτορε, ποικιλομῆτα,*
*Μή μοι ἅμα κλέψῃς κίθαριν καὶ καμπύλα τόξα.*

Unde rectius quam Wagnerus, qui Alcaeo sive ignorato sive neglecto ex illo hymno Homerico hunc locum expressum esse coniecit, hoc fortasse suspiceris ipsa exemplaria Graeca arctiore quodam cognationis vinculo inter se connexa et apta esse. Nam quae quidem in Scholiis ad Iliad. IX. vs. 256. adnotata sunt, ita plane cum Horatianis conveniunt, ut suo iure videatur Hofm. Peerlkampius statuisse, Homeri Scholiasten sua ex hymno Alcaei hausisse. Sunt autem haec: *Ἑρμῆς ὁ Διὸς καὶ Μαίας τῆς Ἄτλαντος εὗρε λύραν, καὶ τοὺς Ἀπόλλωνος βόας κλέψας, εὑρέθη ὑπὸ τοῦ θεοῦ διὰ τῆς μαντικῆς. ἀπειλουμένου δὲ τοῦ Ἀπόλλωνος, ἔκλεψεν αὐτοῦ καὶ τὰ ἐπὶ τῶν ὠμίων τόξα. μειδιάσας δὲ ὁ θεὸς, ἔδωκεν αὐτῷ τὴν μαντικὴν ῥάβδον, ἀφ' οὗ καὶ χρυσόῤῥαπις ὁ Ἑρμῆς προσηγορεύθη.*

v. 13—16. *Quin et Atridas* cet.] Rem narrat Homerus Il. XXIV, 336 sqq., ubi Mercurius hoc ipsum Iovis verbis iubetur:

*Βάσκ' ἴθι καὶ Πρίαμον κοίλας ἐπὶ νῆας Ἀχαιῶν*
*ὣς ἄγαγ', ὡς μήτ' ἄν τις ἴδῃ μήτ' ἄν τε νοήσῃ*
*τῶν ἄλλων Δαναῶν πρὶν Πηλείωνάδ' ἱκέσθαι,*

deinde „divitem Priamum“ — ut qui quum alia dona pretiosa tum auri tota decem talenta (vs. 232) domo secum avexisset — per sopitos vigiles Graecorum incolumem ad Achillis tabernaculum perducit indeque reducit. — *Atridas superbos*] *μεγαλήτορας, μεγαθύμους* Homero. — *fefellit*] *ἔλαθεν*, Hom. l. c. 563. Haec omnia ita manifesta et aperta sunt, ut pro certo liceat affirmare totum locum ex Homero adumbratum esse.

v. 17. *Tu pias laetis animas reponis Sedibus*] Utpote *ψυχοπομπὸς*, qui idem *εἰρηνικὸς* est, sollemni nomine *Ἑρμῆς χθόνιος* nuncupatur, Aeschyl. Ch. 1. 124. D. Soph. El. 111. Ai. 832. Eurip. Alc. 743. alibi. Sic Aiax vitam depositurus supplicat „*πομπαίῳ Ἑρμῇ χθονίῳ*“, et ut quietem sibi properet rogat. Vid. Lobeck. ad illum l. et cfr. ad C. I, 2, 41.

v. 18. seq. virga aurea est *μαντικὴ ῥάβδος χρυσείη*, quam ei donaverat Apollo (Hom. Hym. in Merc. 529 sq. Schol. ad Il. IX, 256. v. supra). Memoratur saepius ab Homero Il. XXIV, 343 sq. Od. V, 47 sq. XXIV, init.:

*Ἑρμῆς δὲ ψυχὰς Κυλλήνιος ἐξεκαλεῖτο*
*ἀνδρῶν μνηστήρων· ἔχε δὲ ῥάβδον μετὰ χερσὶν*
*καλὴν, χρυσείην, τῇτ' ἀνδρῶν ὄμματα θέλγει,*
*ὧν ἐθέλει, τοὺς δ' αὖτε καὶ ὑπνώοντας ἐγείρει·*
*τῇ δ' ἄγε κινήσας· ταὶ δὲ τρίζουσαι ἕποντο.*

Quem locum manifestius Virgilius Aen. IV, 242 — 244. imitatus est. Hinc Mercurius Homero Pindaro aliis saepe *χρυσόῤῥαπις* dictus est, quod ipsum Horatius h. l. exprimere voluisse Lambino videtur.

## Carm. I, 11.

Leuconoë est nomen fictum puellae superstitiosae saepe astrologos consulentis, a qua stultitia eam ad „dona praesentis horae grata manu capienda“ avocat, Euripidis praeceptis „fruendi artem“ ei commendans. Insipientiae notio ipso verbo continetur, de quo vide Exc. II.

v. 1—3. *Tu ne quaesieris, scire nefas* cet.] Exordium carminis, si sententia spectatur, ab Euripide duxisse mihi videtur Heracl. 615:

*Μόρσιμα δ' οὔτι φυγεῖν θέμις· οὐ σοφίᾳ τις ἀπώσεται*
*ἀλλὰ μάταν ὁ πρόθυμος ἀεὶ πόνον ἕξει.*
*ἀλλὰ σὺ μὴ προπίτνων τὰ θεῶν φέρε, μηδ' ὑπεράλγει*
*φροντίδι λύπᾳ.*

Cfr. eiusd. Herc. f. 1227 sq. — *finem*] *ὅρον κείμενον* Euripidi, vid. Prooem. not. 25. extr.

v. 3. *Ut melius, quidquid erit, pati!*] „Graeca plane sunt, ut plura huius carminis:

*βέλτιον ὡς, ὅττι κεν ᾖ, παθεῖν*

eadem metri ratione.“ Mitscherl. in Anal. Quae unde ille sumserit, an vero ipse confinxerit, nescio; de similibus Graecorum dictis, quae proverbii speciem prae se ferunt, cfr. ad C. I, 24, 19. Item Ovid. Heroid. XVIII, 51: Quidquid erit, patiar.

v. 6. sq. *Sapias, vina liques et spatio brevi Spem longam reseces*] De spe longa dictum est ad C. I, 4, 15. Ad sententiae formam illustrandam Peerlkampius apposite contulit

nobilissimos versus olim a Neoptolemo cantatos in festo, quod Philippo Macedoni ultimum fuit. Leguntur apud Diod. Sicul. XVI. 92: ἄφνω τ' ἄφαντος Προσέβα, μακρὰς ἀφαιρούμενος Ἐλπίδας θανάτῳ πολύμοχθος Ἅιδας. Verum haec ipsa quoque sententia, nisi fallor, Euripidea est vel ex Alcestide 785 D.:

Τὸ τῆς τύχης γὰρ ἀφανὲς οἳ προβήσεται,
κἄστ' οὐ διδακτὸν, οὐδ' ἁλίσκεται τέχνῃ.
ταῦτ' οὖν ἀκούσας καὶ μαθὼν ἐμοῦ πάρα,
εὔφραινε σαυτὸν, πῖνε, τὸν καθ' ἡμέραν
βίον λογίζου σὸν, τὰ δ' ἄλλα τῆς τύχης,

vel ex similibus locis petita. Vid. Prooem. p. XVII. sq.

v. 8. *Carpe diem*] Venustam hanc metaphoram verbi carpere poetae Latini debent Graecis, vid. Passov. s. v. δρέπειν et Boeckh. ad Pind. P. IX, 38. Nam quae id genus apud Pindarum leguntur P. VI, 48: ἦβαν δρέπων et plenius P. IV, 130: δραπὼν ἱερὸν εὐζωᾶς ἄωτον, P. IX, 38: ἐκ λεχέων κεῖραι μελιηδέα ποίαν, P. IV, 114: ἦβας καρπὸν ἀνθήσαντ' ἀποδρέψαι, eadem apud Latinos imitatores passim reperiuntur (vid. Klotz. Lex. Lat. s. v. carpere 2., a.) et significant sine dubio ut apud illum „quasi florem vel fructum maturae aetatis decerpere et eo frui priusquam evanescat". Ovid. M. X, 85: Aetatis breve ver et primos carpere flores. Nos similiter in poesi „pflücken" = haschend geniessen.

## Carm. I, 12.

v. 1 sqq. *Quem virum aut heroa lyra vel acri*
*Tibia sumis celebrare, Clio?*
*Quem deum?*] „Haec a Pindaro sumpsit". Porphyrio. Idem notarunt Henricus Stephanus ad Anacr. p. 164, Muretus, Lambinus alii. Est sane introitus sublimis ad Pindari exemplum expressus ex Olymp. 2 init.:

Ἀναξιφόρμιγγες ὕμνοι,
Τίνα θεόν, τίν' ἥρωα, τίνα ἄνδρα κελαδήσομεν;

Quem locum Horatius imitatus est inverso ordine collocationis, mox proprium impetum secuturus[1]) Vid. Orell. in Exc. et Bernhardy Hist. L. R. ed. alt. not. 20.

1) Quare haud scio an iniuria eum reprehenderit Boeckh. l. l.: „Ut Horatii carmen, ait, arte factum est, Pindaricum vero quamvis artificiosum naturae debetur, ita hoc quoque Pindarus rectius et rei convenientius instituit, quod a deo incipiens per heroem ad hominem descendit". Consentit nobiscum, ut nunc vidimus, Dissenius ita iudicans: „Ut Pindarus θεόν — ἥρωα — ἄνδρα dicit, ita Horatius I, 12. inverso ordine collocationis, pro suo uterque consilio".



v. 1. *acri tibia*] αὐλῷ λιγυρῷ, λιγυηχεῖ. Laudat hoc ἐπίθετον ut proprie dictum Quintil. 8, 2, 9.

v. 2. *sumis celebrare*] Hic infinitivi usus vere Graecanicus putandus, cf. Epod. 11, 3. et ad C. I, 2, 7. Nam secus dictum est C. I, 23, 10: te frangere persequor, vel C. I, 15, 27: furit te reperire. Vid. omnino Exc. IV, 4.

v. 3. *iocosa imago*] Imago est propria in hac re universae Latinitatis vox (Varro r. r. 3, 16, 12. Cic. Tusc. 3, 2, 3), quamquam Graeci ἠχὼ similiter εἰκόνα στομάτων vocant (Anal. Br. II. p. 95). Cfr. C. I, 20, 8.

v. 7—12. *Unde vocalem Orphea* etc.] Digressio vere lyrica ac prope Pindarica, quamquam nihil ab eo mutuatus est nec ab Orpheo Argon. 259 sqq. aut ab Apoll. Rhod. I, 26 sqq. De re ipsa cf. Lobeck. Agl. p. 752 sq. et 235.

— *Arte materna*] matris Καλλιόπης, i. e. dulci voce praeditae, vel ipso Horatio interprete, vocalis.

v. 13. *Quid prius dicam solitis parentis Laudibus?*] A Iove ad Pindari exemplum rite exorsus ad eius liberos transit: nam ille deorum maximus — πατὴρ s. ἄναξ ἀνδρῶν τε θεῶν τε, ὑψίζυγος, κύδιστος μέγιστος, τοῦ γὰρ κράτος ἐστὶ μέγιστον (Hom.) — et Musarum principium: Hes. Th. 47 sq., Alcmanis fragm. 5. Schn.: ἐγὼ δ' ἀείσομαι ἐκ Διὸς ἀρχόμενος, Arati Φαινομένων initio: Ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα. Hinc Virg. Ecl. III, 60: Ab Jove principium Musae. Sed haud scio an ad h. l. praeter ceteros inspiciendus sit Pindarus, qui Nem. II. persimili initio usus est:

Ὅθενπερ καὶ Ὁμηρίδαι — —
Ἄρχοντ αι, Διὸς ἐκ προοιμίου.

Loco supra laudato Ol. II, 3 simplicius Pindarus: ἤτοι Πίσα μὲν Διός. Vide omnino Quint. X, 1, § 46. et Boeckh. ad Pind. l. l. Nem. II, 1. p. 362.

v. 20. *Pallas*] Horatio a Iove proxima, eademque Grae-

cis in deorum concilio, Pind. fr. 112. B.: — *ἄγχιστα δεξιὰν κατὰ χεῖρα πατρὸς Ἴζεαι.* Vid. Spanhem. ad Callim. H. Apoll. 29.

v. 22. *Virgo*] Graecis *Κόρη*, *Παρθένος* absolute dicta Diana, Callim. H. in eandem vs. 6. (Mitsch.). — *saevis inimica belluis*] *Ἄρτεμις ἰοχέαιρα* (Hom.), *θηροφόνη* (Theogn. 11.) vel *θηροκτόνος* (Aristoph. Lys. 1262), *θηρῶν ὀλέκουσα γενεήν* (Hom. H. in Dian. 10), *κυνηγέτις* (Callim. H. in eandem).

v. 23. *metuendus certa Phoebus sagitta*] *Ἀπόλλων κλυτότοξος, ἑκηβόλος, ἑκάεργος* (Hom.).

v. 25 seqq. Ex heroibus memorantur Hercules victor, monstrorum domitor, *ὁ σωτὴρ Ἀλκείδης*, et Dioscuri, qui ipsi quoque Graecis *σωτῆρες* erant, vid. ad C. I, 3, 2.

— *puerosque Ledae, Hunc equis, illum superare pugnis Nobilem*] Expressit Homeri illud in Il. III, 237. Od. XI, 299:

*Ἣ (Λήδη) ῥ' ὑπὸ Τυνδαρέῳ κρατερόφρονε γείνατο παῖδε,*
*Κάστορά θ' ἱππόδαμον καὶ πὺξ ἀγαθὸν Πολυδεύκεα.*

v. 30. sqq. *Concidunt venti fugiuntque nubes*
*Et minax, quom sic voluere, ponto*
*Unda recumbit*] ex Theocriti hymno in Dioscuros fluxisse videntur Mureto, Lambino, Mitscherlichio, Idyll. XXII, 19 sq.:

*Αἶψα δ' ἀπολήγοντι' ἄνεμοι, λιπαρὰ δὲ γαλάνα*
*Ἀμ πέλαγος· νεφέλαι δὲ διέδραμον ἄλλυδις ἄλλαι.*

et recte quidem, ut videtur, siquidem etiam C. IV, 8, vs. 32 sq. ex eodem fonte, Theocr. l. l. vs. 17 sq., manifestius hausti sunt. Quamquam fundus huius sententiae iam inest in Hom. H. in Diosc. 12 sqq.

v. 43. *Saeva paupertas*] *πενία δεινή, χαλεπή, ἀργαλέη*, verum *μόχθοιο διδάσκαλος* (Theocr. XXI, 2). Ad hanc sententiam cfr. Alcaei fr. 72. Schn.: *Ἀργαλέον πενίᾳ, κακὸν ἄσχετον, ἃ μέγαν Λάμνη λαὸν ἀμαχανίᾳ σὺν ἀδελφεᾷ.* „Cum Alcaei loco comparandus Herodot. VIII, 111. ubi Themistocli dicenti, *ὡς ἥκοιεν Ἀθηναῖοι περὶ ἑωϋτοὺς ἔχοντες δύο θεοὺς μεγάλους, Πειθώ τε καὶ Ἀναγκαίην*, respondent Andrii, *θεοὺς δύο ἀχρήστους οὐκ ἐκλείπειν σφέων τὴν νῆσον, ἀλλ' ἀεὶ φιλοχωρέειν, Πενίην τε καὶ Ἀμηχανίην*". Blomf. ex Addendis ad Aesch. Sept. 343.

v. 45 sq. *Crescit occulto velut arbor aevo Fama Marcelli*] Praeclara profecto ac familiaris Graecis imago, quam



falso suspectam habuit H. Peerlkamplus. Bernh. in eius censura: „sehr ähnliche Züge der stillen sorgsamen Pflege s. bei Hom. Il. σ', 56 seq. Pind. Nem. 8, 68 seq. Catull. 62, 39 sqq.". Pindari locum, unde haec sumpta et expressa putabat, iam Scaliger indicavit Lambino, v. 40. B.:

*Αὔξεται δ' ἀρετά, χλωραῖς ἐέρσαις ὡς ὅτε δένδρεον*
*ἄρσει,*
*Ἐν σοφοῖς ἀνδρῶν ἀερθεῖσ' ἐν δικαίοις τε κτλ.*

His igitur ducibus confidenter explicabis: „Crescit virtus et fama Marcelli adolescentis sub diligentissima Augusti avunculi eiusdemque soceri tutela occulto aevo, i. e. sensim sensimque, non animadversis certissimi incrementi temporibus, velut arbor aevum agitat, dum tempus quod crescit occulitur, usque tamen crescit"[1]). Quo quidem praeconio Horatius optimum illum adolescentem et Augusto principi populoque Romano gratissimum (v. Franke. F. H. p. 63) ita laudavit, ut quum etiamtum sane non multa eius decora referre posset, tanto plura in posterum ab eo exspectare videretur.

v. 46 seqq. *micat* inter omnes Iulium sidus *velut inter ignes Luna minores*] Sapphica, ut videtur, comparatio, Fragm. 3. Neue, fr. 3. Schn. p. 295:

*Ἀστέρες μὲν ἀμφὶ καλὰν σελάναν*
*Ἄψ ἀποκρύπτοισι φαεννὸν εἶδος,*
*Ὁππότ' ἂν πλήθοισα μάλιστα λάμπῃ*
*Γᾶν [ἔπι πᾶσαν]*[2]).

v. 57 sq. (Augustus) *reget orbem, Tu* (Iuppiter) *quaties Olympum*] Est fortasse dictum illud, quod Archelaus, poeta epigrammaticus sub Ptolemaeo I. rege, Alexandro M. tribuit apud Plut. de Fortuna Alex. p. 356. et in Anthol. Pal. II. p. 661:

---

1) Wie ein Baum wächst in verborgen bleibender, stiller Entwicklung.

2) Muretus V. L. IX, 17. Pindari potius locum Isth. III, 42. B. de Lucifero ab Horatio expressum esse voluit. Sed recte Neue de Sapphus loco rem ita expedit et conficit: „Ex verbo praesentis temporis *ἀποκρύπτοισι* et subsequente particula *ὁππότ' ἄν* appareret, non describi rem lucente luna actam, sed voculis *μὲν* et *δὲ* inter se relatis vim subesse comparationis, ita ut in altero membro vir vel puella aeque diceretur praeter comitum turbam excellere. Ut Horatius, collatus a Fulv. Ursino, Carm. I, 12, 46."

*Γᾶν ὑπ' ἐμοὶ τίθεμαι, Ζεῦ, σὺ δ' Ὄλυμπον ἔχε,*

eumque versum in aenea eius statua, Lysippi opere, inscripsit. Ad vetus hoc de Alexandro M. dictum Horatium respexisse eo facilius ac libentius credam, quo maius atque insignius in eius verbis insit Augusti principis praeconium. Cfr. ad I, 37. s. f.

## Carm. I, 13.

v. 1. *Telephi*] fictum amatoris nomen Graecum *Τήλεφος*, qui Horatio fortasse nullus omnino est, nisi qui late splendeat pulchritudine sua. Vid. Exc. II.

v. 4. *bile tumet iecur*] Homerica formula *οἰδάνεται κραδίη χόλῳ* (Il. IX, 646). Pro corde autem h. l. substituit iecur, ut alibi saepius; nam in *ἧπατι* poetae Graeci omnium animi affectuum, amoris maxime et irae sedem collocant. Archiloch. fr. 92. Lieb.: *χολὴν γὰρ οὐκ ἔχεις ἐφ' ἥπατι.* Vid. Valcken. in Hipp. 1070. Horatiana collegit Lambinus ad C. IV, 1. 12.

v. 5. seqq. *Tunc nec mens mihi* cet.] „Ante oculos poetae fuit in his nobile Sapphus carmen illud: *Φαίνεταί μοι κῆνος ἴσος θεοῖσιν κτλ.*“ Mitsch. Vide in Prooemio p. VII. huius ipsius carminis vs. 7 sqq., quamquam vix ullam verborum similitudinem deprehendas; quod Horatius cavit, credo, propter Catullum. — *nec color Certa sede manet*] Homer. Il. XIII, 279: *τρέπεται χρώς*, cui opponitur *χρὼς ἐμπέδος*, Il. XIX, 33.

v. 12. *impressit labris notam*] Sic apud Theocr. 27, 18 puella importuno amatori: *Μὴ 'πιβάλῃς τὰν χεῖρα, καὶ εἰςέτι χεῖλος ἀμύξῃς.*

v. 15. sq. *oscula, quae Venus Quinta parte sui nectaris imbuit*] Quod Venus Lydiae oscula quinta parte sui nectaris imbuisse dicitur, hoc Meineckio [1]) ex Hesiodi versibus ab Apollodoro Bibl. III, 6, 7. servatis explicari posse videtur, fragm. 112. Goettl.;

*Οἵην μὲν μοῖραν δέκα μοιρῶν τέρπεται ἀνήρ,*
*Τὰς δέκα δ' ἐμπίμπλησι γυνὴ τέρπουσα νόημα.*

1) Zeitschrift f. A. W. 1851. 3. Nr. 30. p. 233. Hunc locum mihi indicavit Dr. Aug. Voigtius, collega amicissimus, qui pro singulari eximiaque humanitate sua atque doctrina me multis locis in hac opera egregie adiuvit.



„Hesiodus, ait, venereae voluptatis decem partes statuit, quarum unam percipere marem, omnes decem explere feminam. Apertum igitur est, oscula illa duabus de decem venereae suavitatis partibus sive quinta parte imbuta dici. Decumanus autem numerus etiam in descriptione aliarum suavitatum locum habet. Ibycus ap. Athen. 2. p. 39, b: *τὸ μέλι ἔννατον εἶναι μέρος τῆς ἀμβροσίας τὴν ἡδονήν*, ubi Schol. Pind. Pyth. δ'. 113. *δέκατον* scribendum docet.“ [1]) Errat Meineckius, si quid video, sed ita errat ut viri accurate docti errare solent non sine magno ad veri cognitionem profectu atque emolumento. Nam siquidem quintam partem nectaris Venerei non ad solitam comparationem mellis, quod veteres decimam partem nectaris explere statuunt ipsumque interdum nectar appellare solent [2]), non ad purpureum oris colorem, qualis est Augusti ore purpureo nectar bibentis (C. III, 3, 12.), non ad ullam aliam rem referri vult quam ad proprium deae munus, ad voluptatem venereum, quae in illis osculis insit mari percipienda, eamque duplo maiorem quam quae ab aliis puellis afferri possit, quia illa oscula non decima parte nectaris sed duabus decimis partibus i. e. quinta parte imbuta sint: crassiore, ut opinor, Musa locum suavissimum ipsoque nectare tenuiorem interpretatur; sed in numero tamen rectum vidit. Pariterque errant ii, qui oscula simpliciter cum melle comparata volunt, quum de sola saporis dulcedine cogitant, quasi Horatius bis mellita suavia dixerit: ut *στόματα μελισταγῆ* et multa similia in Anthol. Gr. leguntur, quae Mitscherlichius collegit. Horatius vero nec ipsam venerem, nec mellitam naturam osculorum linguaeque iudicium spectavit, sed et legitimum in talis suavitatis genere declarando numerum respexit suo modo, et nectaris sive mavis mellis purissimi ac tenuissimi imagine usus est ad incomparabilem quandam Lydiae pulchritudinem significandam. Nam quum in aliarum puellarum, si modo aureae Veneris munera consecutae essent, venustate describenda vel

1) Verba Scholiastae ap. Boeckh. p. 405 haec sunt: *ἔστι δὲ καὶ τοῦ μέλιτος εὑρετὴς ὁ Ἀρισταῖος, ὃ δὴ τῆς ἀθανασίας δέκατον μέρος ᾠήθησαν εἶναι.*

2) Vide Unger. in Valg. p. 58. p. 239 sq. Hertzberg. in Prop. IV, 6, 8. p. 460.

decima divini illius nectaris pars profecto satis fuisset, Lydiae labellis altero tanto maiorem s. quintam partem attribuit idque propter eximium florem aetatis. Intellexit nimirum quasi nectareum osculorum et odorem et saporem, quoniam ipsum os nectare imbutum veluti nectaris quandam suavitatem haberet. Sunt denique „fragrantia oscula“ i. e. condita halitu illo suaveolento et austero, qualem integer iuventutis flos spirare solet. Anth. Pal. p. 140:

*Κούρη τις μ' ἐφίλησεν ὑφέσπερα χείλεσιν ὑγροῖς·*
*Νέκταρ ἦην τὸ φίλημα· τὸ γὰρ στόμα νέκταρος ἔπνει.*

Alciphron. Epist. I, 38. p. 178: *ὡς δὴ ἡδύ τι καὶ ἀκήρατον ἀπὸ τῶν φιλημάτων νέκταρ ἔστιζεν!* Eademque rei specie usus est auctor Anacreont. Carm. 53. in recentis rosae venustate declaranda (57, 20. Bergk.): *Μακάρων θεῶν δ' ὅμιλος, Ῥόδον ὡς γένοιτο, νέκταρ Ἐπέτεγξεν*, ideoque rosa, dixerat, *Νεότητος ἔσχεν ὀδμήν*. Sic Euripides Hipp. 136. Phaedrae *ἀμβρόσιον στόμα* attribuit, sic hodieque nihil frequentius in Orientalium poesi[1]). Cfr. Jacobs. in Anth. Gr. III, 1. p. 317 et Hertzberg. in Prop. II, 29, 18.

Haec autem omnia cumulatius contuli, ut frigidam illam explicationem convellerem, quam ex Pythagoreorum placitis repetitam nunc etiam obtinent, ut „quinta pars nectaris“ apud Hor. sit *ἡ πέμπτη οὐσία τοῦ νέκταρος* (die Quintessenz!). Immo vero secundum ea quae supra dicta sunt ita fere vertas: der nach roher barbarischer Weise die lieblich duftenden

1) „Duftige Küsse“ velut in hocce Armeniorum scolio intelliguntur:

| | |
|---|---|
| Was ist das Athmen? | Was ist ein Kuss, als |
| Ein Trinken von Luft — | Ein doppelter Trank! |
| Was ist das Riechen? | Trinken macht selig, |
| Ein Trinken von Duft! | Fasten macht krank! — |

itemque sexcenties apud Hafisium alios. Ex illis autem versiculis hoc statim perspicias bibi talia oscula in Orientalium poësi dici prorsus eadem rei specie, qua apud Latinos poëtas aura aetheria vel florum odores hauriuntur, qua etiam Anacreon fr. 58. Schn.: *Ἔρωτα πίνων*, idque imitatus Virgilius dixit Aen. I, 749: Longumque bibebat amorem, et idem Anacreon fr. 10, 2. Schn.: *μεθύων ἔρωτι*, quod Catullus imitatus videtur 45, 11: Et dulcis pueri ebrios ocellos Illo purpureo ore saviata.



Lippen verletzt, die Venus selbst mit doppeltem Guss, mit dem fünften Theil, ihres eigenen Nektars getränkt hat.

v. 17. *Felices ter et amplius*] formula Homerica, Od. V, 306:

*Τρὶς μάκαρες Δαναοὶ καὶ τετράκις, οἳ τότ' ὄλοντο.*

Virg. Aen. I, 96: „O terque quaterque beati“, ad quem locum viri docti permulta id genus congesserunt.

v. 18. *irrupta copula*] videtur esse Homeri *δεσμὸς ἀῤῥηκτος* (Il. XV, 19), ut Lambino indicavit Germanus Valens; certe *ἅπαξ λεγόμενον* est.

## Carm. I, 14.

Iam Henricus Stephanus ad Anacreont. p. 164 notavit, in hac ode videri Horatium imitatum esse Alcaeum, cuius haec reperiuntur[1]), fr. 18 Bergk., 10. Schneidew. p. 266:

*Ἄρ' οὐ συνίης[2]) τῶν ἀνέμων στάσιν;*
*Τὸ μὲν γὰρ ἔνθεν κῦμα κυλίνδεται,*
*τὸ δ' ἔνθεν· ἄμμες δ' ἂν τὸ μέσσον*
*ναῦ φορήμεθα σὺν μελαίνᾳ,*

1) Apud Heraclidem Ponticum Alleg. Homer. p. 13. ed. Schow. et apud Cocondrium *περὶ τρόπων* in Boissonad. Anecd. Gr. III, p. 294.

2) *Ἄρ' οὐ συνίης.* Hoc ego ausus sum restituere, quum locum corruptum esse constaret. Quod enim ap. Heraclidem legitur: *Ἀσυνέτην καὶ τῶν ἀνέμων στάσιν*, ferri nequit ac perperam explicant: [*Ὁρᾷς*] *ἀσυνετεῖν = ἀσυνέτους εἶναι* (imo *ὄντας*), sc. *τοὺς πολίτας*. Inde frustra etiam, ut mihi videtur, quamvis probante Bergkio, coniecit Ahrensius *Ἀσυνέτημι* (non intelligo?!). Cocondrii lectionem *Συνίημι τῶν ἀνέμων* [*τὴν*] *στάσιν* tuetur Schneidewinus, sed tamen idem agnoscit in principio versus manifesto inesse vitium, quum pateat vv. *ἀνέμων στάσιν* in fine fuisse posita praecedente quodam verbi *συνίημι* inclinamento. Hinc ego id quod proposui coniectura assecutus sum, Horatii vestigia in verbis „Nonne vides“ secutus, qui initia quidem exemplarium Graecorum fere ad verbum reddere soleat. Vid. ad C. I, 18, 1.

χειμῶνι μοχθεῦντες μεγάλῳ μάλα [1])·
πὰρ [2]) μὲν γὰρ ἄντλος ἱστοπέδαν ἔχει,
λαῖφος δὲ πᾶν ζάδηλον ἤδη
καὶ λαχίδες μεγάλαι κατ' αὐτό·
χόλαισι [3]) δ' ἄγκυραι.

Insigne hoc Alcaei poetae in re notissima exemplum sane admodum probabile videtur obversatum esse Horatio scribenti:

— — *Nonne vides, ut*
*Nudum remigio latus*
*Et malus celeri saucius Africo*
*Antennaeque gemant ac sine funibus*
*Vix durare carinae*
*Possint imperiosius*
*Aequor? Non tibi sunt integra lintea*]

etsi initium tantummodo imitatus atque alio metro usus est, et ad ipsam navem tanquam ad rempublicam Romanam convertit orationem. Nam quam libera Archilochi Alcaeique imitatione in singulis rebus ac verbis usus sit, ipse indicavit Epist. I, 19, 21: Non aliena meo pressi pede. Sed idem timuit tamen „mutare carminis artem". Quare cum Alcaei certe carmen allegorice interpretandum sit, teste Heraclide [4]): vix potest dubitari, quin Horatius quoque, id quod nonnulli Interpretes [5]) perperam negaverunt, hanc ipsam carminis allegoriam voluerit imitari. Agnoscit allegoriam iam Quintiliani auctoritas VIII, 6, §. 44., ac demta ea totum sane carmen nervis et argumenti pondere careret. Et vero antiquissima ac

1) Sic Cocondrius; Heraclides *καλάν*, unde Schowius, probante Hermanno El. D. M. p. 688, reposuit *κάλων* i. e. funium, cll. Horatii verbis: „Antennaeque gemant ac sine funibus."

2) Herm. *πὲρ* i. e. *περί*: si *πὰρ* verum, adverbium est. Schneidewin.

3) Forma Aeolica p. *χαλῶσι*.

4) Heracl. Pont. l. l. *Τὰς τυραννικὰς ἐξουσίας χειμερίῳ προσεικάζει καταστήματι θαλάσσης. Μυρσίλος γὰρ ὁ δηλούμενός ἐστι καὶ τυραννικὴ κατὰ Μυτιληναίων ἐγειρομένη σύστασις.*

5) In iisque, ut videtur, Lachmannus in Epist. ad Frankium p. 237. scribens illam navem sibi non Romanam videri, sed Alcaei poëtae: quem constet cecinisse „dura fugae mala, dura navis."



fere sollemnis est Graecorum comparatio reipublicae cum navi et bellorum civilium cum fluctuum tempestatibus. Sic procul dubio Theognis Eleg. 671 sqq. multique alii, vid. Orell in Exc.

v. 3. *Nonne vides*] Formulae increpandi speciem praebet ut apud Homerum *οὐχ ὁρᾷς*; Il. VII, 448; XV, 555; XXI, 108; et Callim. Apoll. 4.

v. 5. *saucius*] per metaphoram Graecis assuetam, qui armamenta navis eius membra dictitabant. Herod. in Urania: *αἱ ἡμίσεαι τῶν νεῶν τετρωμέναι ἔσαν*. Thuc.: *τραυματισθεισῶν τῶν νεῶν* (Pollucis Onom. I, 125. IV, 189.). Idque imitatus etiam Livius 37, 24. vulneratam navem dixit.

v. 12. Silvae filia ut Pindaro pluvia *παῖς νεφέλας* (Olymp. 10, 2.) H. Peerlk.

v. 14. pictae puppes sunt Homeri *νῆες μιλτοπάρῃοι* (Od. IV, 125. Il. II, 637.).

v. 15. *Debes ludibrium ventis*] genus hoc loquendi pro eo, quod est „ludibrio ventis futura es", plane Graecum est. Sic enim loquuntur illi *ὀφλισκάνειν γέλωτά τινι* (Eurip. Med. 403. 1049. alibi) id est debere risum, quod Latini dicunt ludibrio esse. Muretus et Lambinus.

## Carm. I, 15.

„Hac ode Bacchylidem imitatur; nam ut ille Cassandram facit vaticinari futura belli Troiani, ita hic Proteum" (sic). Porphyr. Similiter Scholiastes ad Statii Theb. VII, 330. De qua re quamquam ex paucis Bacchylidis reliquiis certum iudicium facere non possumus, si tamen ex parte Graeci illius carminis, quam probabile est casu quodam nobis servatam esse [1]), in universum liceat coniicere, confitendum sane est,

1) Apud Clement. Alex. Stromm. V, 731., Fr. 29. Bergk., Fr. 23. Schneidew. p. 446:

*Ὦ Τρῶες Ἀρηΐφιλοι, Ζεὺς ὑψιμέδων, ὃς ἅπαντα δέρκεται,*
*οὐχ αἴτιος θνατοῖς μεγάλων ἀχέων· ἀλλ' ἐν μέσῳ κεῖται κιχεῖν*
*πᾶσιν ἀνθρώποισι Δίκαν ὁσίαν,*
*ἀγνὰν Εὐνομίας ἀκόλουθον καὶ πιντᾶς Θέμιδος·*
*ὀλβίων παῖδές νιν εὑρόντες σύνοικον.*

Bacchylidi haec iam Sylburgius dedit.

nihil praeter vaticinii formam commune fuisse carmini Horatiano cum Bacchylideo, cum cetera fere omnia ex ipso potius Homero ducta videantur et ita quidem, ut sententiae nullam contineant dilogiam[1]). Nam Horatius, quem Homero lectitando multam operam navasse et in prioribus carminibus melicis suis hunc potissimum imitatum esse scimus (vid. Prooem. p. XIII. sq.), quum apud eum reperisset in Odyss. IV, 472 seqq. Proteum vaticinari Menelao, illud quidem exemplum bene se imitaturum speravit, quum Helena rapta Paridem et Nereum, alium deum marinum et vatem antiquissimum[2]), simili consilio componeret: id quod colore illo Homerico comprobatur, quo totum carmen distinctum et ornatum est. Quumque totum ex Graeco ductum in argumento ficto versetur, primitiis poetae lyricis annumeraverim[3]), ut similia Carmina I, 6. et I, 28.

v. 1. sq. *Pastor*] Paris a Graecis non semel *Πάρις ὁ βουκόλος* vel *Ἰδαῖος βούτας* appellatus, velut ab Euripide in Iph. A. 180. et in Hec. 943, quoniam in Ida monte „circa boum armenta armentarius educatus erat“, ut idem Eurip. in Iph. A. 575 sq. et vs. 1291 sq.: sed praeter ceteros inspiciendus Bion in Epithalamio Achillis et Deidamiae, Idyll. VII, 10: *Ἅρπασε τὰν Ἑλέναν ποθ' ὁ βωκόλος· ἄγε δ' ἐς Ἴδαν.* Nam quum simpliciter *βωκόλον*, perinde atque Horatius pastorem, non addito nomine vocet et ad ceteram verborum similitudinem hoc quoque accedat, quod Horatius illud carmen saepius imitatus videtur (cf. ad C. I, 8, 13 sqq.): non sane prorsus improbabile est, illum ei locum observatum esse haec scribenti:

Pastor quum traheret per freta navibus
Idaeis Helenen.

Idemque trahere dicitur perfidus hospitam tanquam ξεναπάτης. Eurip. Troad. 865 sq., ubi Menelaus de eodem: ὃς ἐξ ἐμῶν δόμων δάμαρτα ξεναπάτης ἐλήσατο.

1) Ut vere monuit Ph. Buttmannus in Myth. I, p. 325 sq.

2) Homerus in Il. XVIII, 141. vocat eum simpliciter *γέροντ' ἅλιον*, Hesiodus autem in Th. 233 sqq. eundem accuratius describit: *ἀψευδέα καὶ ἀληθέα — γέροντα κτλ.* itemque Pindarus P. III, 92. *Νηρέα εὔβουλον*, eique melius conveniebat fluctus componere, quum tridente instructus esset, v. Virg. A. II, 419.

3) Kirchnerus refert ad a. u. c. 723. Consentit Lachmannus in Epist. ad Frankium p. 238. scribens inter prima quae poeta tentarit referendum esse.



v. 3. *Ingrato otio*] Eadem specie Aeschylo in Agam. 194. *πνοαὶ* dictae *κακόσχολοι*, impatientes otii, quibus molestum otium. Mitsch. in Anal. Genus autem loquendi quod inest in verbis „obruit otio“ Dissenius confert cum Pindar. Isthm. IV, 51. (57. B.): *ἀλλ' ὅμως καύχημα κατάβρεχε σιγᾷ*, h. e. sed tamen res gloriosas perfunde silentio, noli eas uberius praedicare. Sic saepius Pindarus et suo more ut videtur, pro *ἀποσιωπᾶν*[1]): quod Horatius si inde adscivit, alio profecto modo adhibuit, quum ad importunos ventos transtulerit, quorum impetum a Nereo ad tempus retusum atque oppressum esse dicit.

v. 5. *Mala avi*] *κακοῦ κατ' ὄρνιθος*, (cf. Hom. Il. XXIV, 219. Pind. N. IX, 18. B.) ipseque Paris *δύσορνις ἔπτατο*, ut ait Eurip. Hipp. 760.

v. 6. sqq. *Quam multo repetet Graecia milite,*
*Coniurata tuas rumpere nuptias*
*Et regnum Priami vetus*]

Respicit coniurationem iam a Tyndareo factam, de qua confer Eurip. Iph. A. 57 sqq.:

— *καί νιν (Τυνδάρεων) εἰσῆλθε τάδε,*
*ὅρκους συνάψαι δεξίας τε συμβαλεῖν*
*μνηστῆρας ἀλλήλοισι, καὶ δι' ἐμπίρων*
*σπονδὰς καθεῖναι κἀπαράσασθαι τάδε,*
*οὔτου γυνὴ γένοιτο Τυνδαρὶς κόρη,*
*τούτῳ συναμυνεῖν, εἴ τις ἐκ δόμων λαβὼν*
*οἴχοιτο τόν τ' ἔχοντ' ἀπωθοίη λέχους,*
*κἀπιστρατεύσειν καὶ κατασκάψειν πόλιν*
*Ἑλλην' ὁμοίως βάρβαρόν θ' ὅπλων μέτα.*

Similiter Schol. Homeri ad Il. II, 339. ab Orellio citatus. — De structura coniurata rumpere, quam ne Sallustius quidem Cat. 52. sprevit, vid. Exc. IV, 4.

1) Schol. Pind. Olymp. XI, 56: *Συνήθως γὰρ τὸ βρέχεσθαι ἐπὶ τοῦ σιωπᾶσθαι τίθησι. καὶ ἀλλαχοῦ κεῖται· Μὴ σιγᾷ βρέχέσθω.*

v. 9. *quantus equis, quantus adest viris Sudor!*] Reddidit Agamemnonis verba in Homeri Il. II, 388: *ἱδρώσει μέν τευ τελάμων — ἱδρώσει μέν τευ ἵππος.*

v. 11 sq. *Iam galeam Pallas* etc.] Hom. Il. V, vs. 738: *Ἀμφὶ δ' ἄρ' ὤμοισιν βάλετ' αἰγίδα θυσσανόεσσαν*, vs. 743: *κρατὶ δ' ἐπ' ἀμφίαλον κυνέην θέτο τετραφάληρον*, v. 745: *ἐς δ' ὄχεα φλόγεα ποσὶ βήσετο κτλ.*

Haec Horatius secutus currus de uno curru dixit.

— *rabiem*] Sic de Hectore Hom. Il. IX, 305: *Λίσσαν ἔχων ὀλοήν*, ipsaque Pallas furit praeter ceteros Il. II, 446.

v. 13 sqq. *Nequidquam Veneris praesidio ferox - collines*] Scripta sunt ad imitationem Hom. Il. III, 54, ubi haec eadem et citharam quoque Hector exprobrat Paridi:

*Οὐκ ἄν τοι χραίσμῃ κίθαρις, τά τε δῶρ' Ἀφροδίτης,*
*ἥ τε κόμη, τό τε εἶδος, ὅτ' ἐν κονίῃσι μιγείης.*

v. 15. *carmina divides*] Nova, ut videtur, ratione Horatius dixit dividere carmen, quum hac in re volgarius esset modulari vel temperare, procul dubio Graecos secutus auctores, quorum multa in musicis erat varietas ac proprietas nominum: nec tamen est Graecum ἐνδατεῖσθαι, quod Mitscherlichius comparavit, sed potius *διαμετρεῖν τῇ κιθάρᾳ τὸ ᾆσμα* = *μελίζειν*. Nam proprie dividendo conficitur carmen, quum totum constet ex „harmonia in cantu et fidibus", ut ait Cicero. Dividere carmina cithara est igitur „canere carmina divisa cithara"[1]). Sic Propertius II, 1. 9. lyrae carmen percutere, quod est Graecum *ἀράσσειν* vel *κρέκειν μέλος*, i. e. percutiendo lyram efficere carmen eius, *τὸ τῆς λύρας μέλισμα μελίζειν*[2]). — *imbelli*] Achilles quidem Il. IX, 189. *κλέα ἀνδρῶν* canit.

v. 16. sqq. *Nequidquam thalamo — vitabis*] Aperte sumta res ex Hom. Il. III, 380 — 385: ubi Venus Paridem singulari certamine a Menelao superatum clam surripit et incolumem in ipsius cubiculum asportat: *Κὰδ' δ' εἶσ' ἐν θαλάμῳ εὐώδεϊ, κηώεντι.* — gravis hasta est Homeri *ἔγχος βριθύ, μέγα, στιβαρόν.*

1) Durch die Cither zertheilte Gesänge vortragen d. h. sie zur Cither vortragen.

2) Durch Schlagen das melodische Saitenspiel, die Musik der Lyra hervorbringen, ertönen lassen.



v. 18 sq. *celerem sequi Aiacem*] Hom. Il. II, 527: *Οἰλῆος ταχὺς Αἴας*, Il. XIV, 520: *πλείστους δ' Αἴας εἷλεν Οἰλῆος ταχὺς υἱός· Οὐ γάρ οἵ τις ὁμοῖος ἐπισπέσθαι ποσὶν ἦεν*, cuius etiam hasta maxime metuenda erat, Il. II, 530: *ἐγχείῃ δ' ἐκέκαστο Πανέλληνας καὶ Ἀχαιούς.*

v. 20. *crines* (non „cultus" leg.) *pulvere collines*] Non dubium est, quin Horatius in ea quoque re Homerum secutus sit, vid. locum supra allatum ad vs. 13 et cfr. Il. XVI, 795.

v. 21. *Laertiaden, exitium tuae gentis*] Nam Ulixes Homero est inprimis *πτολιπόρθιος Ἰλίου ἱρῆς*, v. Od. IX, 504, Il. II, 278. ubi Faesi consulendus et Cic. ad Fam. 10, 13.

v. 22. *Pylium Nestora*] Il. II, 54: *Νέστορος — Πυλοιγενέος βασιλῆος*, I, 248: *λιγὺς Πυλίων ἀγορητής.*

v. 23. *Salaminius Teucer*] Optimus Argivorum sagittarius, tectus plerumque clipeo Aiacis fratris, Hom. Il. VIII, 266 seqq. Ac nequis miretur ipsum *Αἴαντα μέγαν Τελαμώνιον υἱὸν* praetermissum esse, eius memoria profecto inest in hac ipsa mentione fratris ac socii inseparabilis, sicuti in Merionis inest Idomenei, qui omnes una serie producuntur ab Homero l. l. Cfr. ad C. I, 6, 14 sq.

v. 24. *Teucĕr et*] Il. l. et infra vs. 36. Horatius in basi versus Glyconei praeter solitum admisit trochaeum, Graecorum consuetudinem secutus. Quod quamquam per se leve erat, non tamen praetermittendum videbatur, quoniam ex hac quoque re probabiliter confici posset, ex prioribus esse hoc carmen. — Sthenelus, Diomedis auriga, Il. IV, 367. V, 108 etc. — *sciens pugnae*] *πολέμων* vel *μάχης εὖ εἰδώς πάσης* (Il. IV, 310. V, 11 et 549.).

v. 25. *sive opus est*] *καὶ ὅτε χρή* (Hom. Od. IX, 50.).

v. 26. *Merionen*] Il. VIII, 264: *Ἰδομενεὺς καὶ ὀπάων Ἰδομενῆος Μηριόνης κτλ.*

v. 27. *furit atrox Tydides*] Videtur hoc Horatius ex Hom. Il. VI, 96 sqq. expressisse, ubi Hector eundem Diomedem vocat *Ἄγριον αἰχμήτην, κρατερὸν μήστωρα φόβοιο*, additque *ἀλλ' ὅδε λίην μαίνεται.* (Lamb.). — *furit te reperire*] *μαίνεται* s. *μαργᾶ σοι ἐπιτυχεῖν.* Vid. Muret. V. L. V, 17 et Exc. IV, 4.

v. 28. *Tydides melior patre*] Respexit ad Stheneli praeconium de se et Diomede suo, Il. IV, 405:

*Ἡμεῖς τοι πατέρων μεγ' ἀμείνονες εὐχόμεθ' εἶναι.*

„Neque non illud ἑλληνίζει, quod meliorem patre dixit, quum significet fortiorem. Ita enim Graeci κρείττονα aut ἄμεινονα. Il. VII, 111. Hes. Ἔργ. 208.“ Muret. l. l.

v. 29 sq. *cervus uti lupum cet*] Comparatio Homerica petita ex Il. XIII, 101:

— — *Τρῶας* —, *οἳ δὲ πίδρος περ*
*φυζανικῆς ἐλάφοισι ἐοίκεσαν, αἵτε καθ' ὕλην*
*θώων παρδαλίων τε λύκων τ' ἠΐα πέλονται*

v. 31. *Sublimi anhelitu*] Comparat Meineckius Menandr. p. 12. μετεώρῳ πνεύματι. Idemque iam adnotaverat Bentleius in Epist. ad Hemsterh.

v. 32. *Non hoc pollicitus tuae*] Vide quid Helena obiurget Paridi apud Hom. Il. III. 430:

Ἦ μὲν δὴ πρίν γ' εὔχε' ἀρηιφίλου Μενελάου
σῇ τε βίῃ καὶ χερσὶ καὶ ἔγχεϊ φέρτερος εἶναι.

v. 33. *diem proferet Ilio*] αἴσιμον ἦμαρ Homero iuxta celebratum illud Il. IV, 164 sq. VI, 448 sq:

Ἔσσεται ἦμαρ, ὅτ' ἂν ποτ' ὀλώλῃ Ἴλιος ἱρή
καὶ Πρίαμος καὶ λαὸς ἐυμμελίω Πριάμοιο,

cll. Il. XX, 315 seqq. ubi Juno et Il. XXI, 374. ubi Xanthus Fluvius praedicunt κακὸν ἦμαρ Troiae, utpote diis invisae et exitio damnatae urbis „Ἀλεξάνδρου ἕνεκ' ἄτης“ (Il. XXIV, 27.). Verum quum dies ultimus Ilio sane destinatus esset, fata tamen ex communi veterum inprimisque Graecorum opinione ad tempus differri poterant[1]), sicut Achillis ira et cessatione aliquantum retardata sunt: id quod Hor. h. l. Ilio diem prolatum dixit. Nam parum apposite ad persuasionem Düntzerus explicavit: „Classis Achillei, irata Troiae, ultionem e Graecia afferet“[2]); in quam sententiam perperam etiam traxit Homericum illud ἔριδα προφέρεσθαι, quod Latine dicimus certamen edere, contentionem inferre, non proferre.

1) Vide Lobeckium accuratius de hac opinione exponentem in Aglaoph. p. 315.

2) Nachträge und Berichtigungen zur Erklärung der Horaz. Gedichte Vol. V, p. 37. Ipsius verba sunt: Ja wahrlich es wird die Racheflotte des Achilleus die Rache heranbringen, i. e. aus Griechenland den Rachetag Troja bringen.



v. 35. *Post certas hiemes uret Achaïcus*
*Ignis Iliacas domos*] Confer persimilem locum Homeri iam supra laudatum Il. XX, 316. et XXI. 375 sq.:
— ὁπότ' ἂν Τροίη μιλερῷ πυρὶ πᾶσα δάηται
δαιομένη, δαίωσι δ' ἀρήιοι υἷες Ἀχαιῶν.

## Carm. I, 16.

Helenius Acron Scholiastes adnotat: „Hanc oden in satisfactionem fecit amicae suae, quam iratus carmine laeserat, promittens abolenda quae de ea scripserat: imitatus Stesichorum poetam Siculum, qui vituperationem scribens Helenae caecatus est, et postea responso Apollinis laudem eius scripsit et oculorum aspectum recepit.“ Hunc ducem perperam professi quum iam superiores Interpretes fere omnes statuissent, Horatii palinodiam scriptam esse ad imitationem Stesichoreae, id Ianius ausus est pluribus demonstrare (vid. ad vs. 13). Inde vulgarem carminis titulum: „Ad Tyndaridem“ repetendum esse docuit Ph. Buttmannus in Mythologo II. p. 301, recte pernegans in carmine Horatiano quicquam imitationis Stesichori inesse. Observavit autem Peerlkampius ita ne legi quidem apud Acronem, ad quem provocant omnes. Narrat enim simpliciter, Horatium idem fecisse, quod antea fecerat Stesichorus; minime dicit illum alterius palinodiam imitatione exprimere voluisse. Quod igitur vetus Grammaticus voluit, id cum veritate plane convenit, celebratissimum palinodiae exemplum fuisse illud, quo Stesichorus Helenae criminoso carmine laesae[1]) deprecatus est et opprobria recantavit. Hoc quoque carminum genus quum Horatius ad imitandum sibi proposuisset, admodum probabile sane est ei illud ipsum exemplum obversatum esse, quamquam ex rebus singulis nihil prorsus mutuari aut voluerit aut potuerit. Namque Stesichoreae Palinodiae Helenae dictae et ipse Horatius aperte meminit in Epod. XVII, 42 — 44, dum Canidiae quam carmine laeserat veniam implorat, et Ovidius in Art.

1) In Excidio Troiae, ut videtur, Stesichorus Epicorum poetarum exemplum secutus tristissimi belli causam Helenam fecerat, Schneidew.

Am. III, 49.[1]), eiusque initium profert Plato in Phaedro 243. A, Fragm. 11. Schneidew. p. 330:

*Οὐκ ἔστ' ἔτυμος λόγος οὗτος·*
*οὐδ' ἔβας ἐν νηυσὶν ἐϋσσέλμοις*
*οὐδ' ἵκεο πέργαμα Τροίας.*

Alterum palinodiae exemplum apud Archilochum fuisse videtur, quantum coniicere licet ex eius Fragm. 41. Lieb. (65. Schneidew.):

*Ἥμβλακον καί πού τιν' ἄλλον ἢδ' Ἄτη κιχήσατο,*

quod Horatius in verbis „Me quoque pectoris tentavit fervor et in celeres iambos misit furentem" recordari potuit, quamquam ne ex illo quidem versiculo quicquam certi conficere licet. Sed hoc tamen ad Archilochi rationem propius accedere videtur, quod Horatius culpam suam vimque irae humanae affectata quadam et adscita orationis magnificentia exaggerans grandiloquus delicti veniam petit, et dum voltu poenitentiam simulat, intus quasi in sinu ridet, et omnino iocularia tractat. Etenim quum totum carmen plenum sit ironiae, tum incola Pythius, Juppiter ipse ruens tumultu, Fertur Prometheus cet., Compesce mentem non serio sane, sed profecto ita dicta sunt ab Horatio, ut fucatum nitorem ac tumorem ostentarent[2]).

Itaque quum Horatius praeter Palinodiae formam non magis hoc carmine Stesichorum aut Archilochum imitatus sit quam priore ille Bacchylidem, Graecam tamen et rationem et doctrinam in utroque carmine facile agnoscas, quamquam liberam illam a proposito exemplari.

v. 2. *criminosis iambis*] *ὑβριστῆρας ἰάμβους* Archilochi vocat Meleager Epigr. CXIX, 7.[3])

v. 5 — 9. *Non Dindymene — Tristes ut irae*] Graecorum sententiam *Μαινόμεθα πάντες ὁπόταν ὀργιζώμεθα* docte

1) Probra Therapnaeae qui dixerat ante maritae
Mox cecinit laudes prosperiore lyra.

2) Cfr. Wüllneri comment. de aliquot carminibus Horatii (Progr. Düsseldorf 1833) p. 5 seq.

3) Anth. Gr. I, p. 34. B. *Εἰς Λυκαμβίδας:*
*Πιερίδες, τί κόρηοιν ἐφ' ὑβριστῆρας ἰάμβους*
*Ἐτράπετ', οὐχ ὑοίῳ φωτὶ χαριζόμεναι;*
Cfr. Hor. A. P. 79 et Ovid. in Ibide v. 51 sq.



per comparationem extulit poeta. Mitsch. — *Dindymene*] *Δινδυμήνη* s. *Κυβηλὶς Ῥεία*, „Dindymena domina" Catullo 63, 13 (a Dindymo, Phrygiae monte prope Pessinuntem, ubi potissimum colebatur), cuius deae sacerdotes, *Κορύβαντες* et iidem *Γάλλοι* appellati, in eius sacris *κύμβαλα ὀξύφθογγα, χαλκεόνωτα* (acuta aera) pulsantes animos furore quodam insano implebant, vid. Plat. Jon. p. 533 E. ap. Orell. et cf. ad v. 8.

v. 6. *incola Pythius*] Nota illa Virgilii de Sibylla Aen. VI, 77 sq. et haec perinde dicta sunt, ut Graeci in eadem re solebant dicere *ἐνοικεῖν*, *ἐνδιαιτᾶσθαι*, *ἔναυλον*, *σύνοικον* etc. Verum iam vidit Dorvillius ad Chariton. p. 521 sq. ed. Lips., quamquam nec eius coniectura incola mentis opus fuit nec cum Dillenburgero sacerdotum incola coniungenda fuerunt. Nempe quum Pythius Apollo in ipsis adytis, quo praeter sacerdotes adire fas non erat, habitare ipseque adesse crederetur vaticinans, ibi divino suo numine ac praesentia sacerdotum pectora implebat et furore corripiebat. Hinc ipse hoc loco incola Pythius dictus est, sc. adytorum; sacerdotes vero *Φοιβόληπτοι*, v. Pollucis Onom. I, 18 et Lobeck. Agl. p. 641.

v. 8. *non acuta Sic geminant Corybantes aera*] Hoc quidem loco Corybantes non tam sacerdotes quam daemones esse videntur, qui quum *πάρεδροι* sive comites Matris Idaeae sint vel ipsi geminatis aeribus furorem cultorum excitant, vel efficiunt ut cultores furore agitati cymbala percutiant. Sic apud Euripidem in Hipp. 143. Corybantes inter numina numerantur, quae Phaedrae furorem iniecerint. Cfr. etiam Aristoph. Eccl. 1089 et Lucian. Tim. 41. p. 109. T. I. Cfr. omnino de Cybele, de Libero et de Corybantibus ex Lobeckii Agl. p. 640 seqq. p. 1139 sq.

v. 9 sqq. *neque Noricus Deterret ensis — Nec saevus ignis*] *Διὰ μαχαιρῶν καὶ πυρὸς ῥίπτειν δεῖ* similis est Graecorum de proiectae audaciae hominibus proverbialis locutio. Mitsch.

v. 12. *tremendo Juppiter ipse ruens tumultu*] *Ζεὺς καταιβάτης*, vid. Blomf. ad Aeschyl. Prom. 367. et cfr. Prooem. not. 41. et C. III, 3, 6 sqq. Quae elocutio ut magnifica est, ita superlatione in ridiculum conversa tanto acrius audientium aures mentesque percutere debet.

v. 13—16. *Fertur Prometheus* cet.] Contra Janium, qui solus fabulam Promethei, quemadmodum h. l. exponitur ab Horatio, eodem modo in Palinodia Stesichori traditam fuisse rescivisse sibi visus erat ex Fulgentii Mythol. III, 7., recte monuerunt VV. DD. id ibi frustra quaeri nec usquam hodie eius rei vestigium ullum apud quemquam alium scriptorem inveniri. Certe nec Platonis ille locus qui vulgo usurpatur (Protag. p. 320. C. sqq.) similis est, nec si quem alium protulerunt Interpretes (vid. Mitscherl. et Orell.). Nam aliud est dicere, hunc vel illum hominem esse vulpeculae aut leoni similem: aliud, unum eundemque hominem compositum esse ex vulpeculae, leonis aliarumque bestiarum particulis, quasi animus humanus ex bestiis conflatus sit. Quod quum per se multum salis ac leporis habeat, tum eo festivius est, si tota fabula, Bentleio iudice, a nullo omnino alio excogitata est nisi ab ipso Horatio, nec id ignorantibus doctis lectoribus.

— *principi Limo*] Princeps limus Horatii videtur esse ὁ ἀρχὸς πηλὸς Graecorum. Ita Huschkio certe visum est, vid. Dindorf. ad Soph. Fragm. e Pandora 432. — Ceterum quae varie prodita sunt a veteribus de hominibus πρωτοπλάστοις, ea collegit Lobeck in Agl. p. 760 sqq. et 1082.

v. 18. *altis urbibus*] Intellexit fortasse Ilii tristissimum occasum secundum Hom. Il. XIII, 772:

— — νῦν ὤλετο πᾶσα κατ' ἄκρης (funditus)
Ἴλιος αἰπεινή. cll. Il. XV, 71: Ἴλιον αἰπύν.

v. 22. *Compesce mentem*] Haec utique ab Homero malim quam a Theognide esse sumta, quorum ille Peleum patrem iisdem verbis ad Achillem cohortandum usum facit, Il. IX, 255 sq.:

— — — — σὺ δὲ μεγαλήτορα θυμὸν
ἴσχειν ἐν στήθεσσι· φιλοφροσύνη γὰρ ἀμείνων,

hic autem illum dumtaxat subsecutus v. 365 sq.:

Ἴσχε νόον, γλώσσῃ δὲ τὸ μείλιχον αἰὲν ἐπέστω·
δειλῶν τοι τελέθει καρδίη ὀξυτέρη.

Etenim non solum quae praegressa sunt sed etiam quae sequuntur: Me quoque cet. Homerica sunt: ὡς καὶ ἐγὼν κτλ., Il. XIX, 134. alibi. Praeterea cum totius carminis ironia et consilio mirifice congruat, si Horatius principalem eius sententiam ab Homero repetierit, cuius auctoritate gravissima se ipsum quasi increparet. Quid quod Archilochus, Horatii exemplum, ipse quoque versum suum Ἤμβλακον κτλ. ex eodem Homero, Il. IX, 116 et XIX, 91 sqq., conflaverat?

v. 27. *recantatis opprobriis* = παλινῳδήσαντι τὰ αἰσχρὰ, παλινῳδίαν ᾄσαντι.

## Carm. I, 17.

„Quandoquidem, inquit Horatius, dii pietatem meam respiciunt et Faunus inprimis, Mercurialium custos virorum (C. II, 17, 28), Sabinum meum colit diligitque: huc venias, precor, o Tyndari, ut et ruris honoribus perfruaris et hac umbra ac fide Teia recreeris et modici munera Liberi Venerisque felicitatem tecum concordantis percipias.“ In talis argumenti carmine si Graecum Horatius imitatus est exemplar, certe non Stesichori fuit, ex cuius reliquiis praeter nomen puellae — de quo vide Exc. II. — ne simile quidem quicquam afferri potest nec allatum est a veteribus Scholiastis [1]): sed haud scio an Pindari sui meminerit. Hunc enim constat et Panos statuam cum ara ipsius et sacello Magnae Matris, cui sacra Panos adiuncta erant, ad fores aedium suarum dedicavisse et eum deum usquequaque in praecipuo honore habuisse et hymnum etiam in eum composuisse, cuius hoc exstat initium, fragm. 63. B.:

Ὦ Πάν, Ἀρκαδίας μεδέων καὶ σεμνιῶν ἀδύτων φύλαξ,
Ματρὸς μεγάλας ὀπαδὲ, σεμνᾶν Χαρίτων μέλημα τερπνόν. [2])

1) Haec contra Sivrium dicenda erant, qui e Stesichori aliquo carmine hoc Latine versum esse contendisset.

2) Vita Pindari p. 9: Ὁ γοῦν Πὰν ὁ θεὸς ὤφθη μεταξὺ τοῦ Κιθαιρῶνος καὶ τοῦ Ἑλικῶνος ᾄδων παιᾶνα Πινδάρου· διὸ καὶ ᾄσμα ἐποίησεν εἰς τὸν θεὸν, ἐν ᾧ χάριν ὁμολογεῖ τῆς τιμῆς αὐτῷ, οὗ ἡ ἀρχή· Ὦ Πὰν Ἀρκαδίας μεδέων κτλ. Quod μέλος παρθένιον fuit a virginibus Thebanis, Panos signum quum a Pindaro consecraretur vel statim post consecratum ubi sacra ibi facta sunt, cantatum. Ac tibicinum Pindari familiam fuisse, Panos et Magnae Matris cultui vel patrito atque avito more addictam, et hereditario iure musicam tibiarum artem in illorum potissimum numinum sollemnibus exercuisse, probat Boeckhius Expl. Pind. p. 16 et 592. Cfr. etiam Antipatri locum infra ad vs. 10. laudatum.

v. 1. *Velox Faunus*] „Latini poetae, qui Latinorum priscorum deos et sacra cum Graecis solebant componere, Latinum Faunum cum Graeco Pane componebant; quare quum hic ὀρειβάτης sit, ille apud Horatium velox (behend) est et in Arcadia Lycaeum, Pani sacrum montem, occupavit". Dillenb.

v. 3. *Defendit aestatem capellis*] Graecanico verbi usu, ut ἀρήγειν, ἀμύνειν τινί τι, vide Zumpt. Gr. Lat. § 469. Ita iam Plaut. Most. 4, 2, 20.

v. 7. *mariti*] Quemadmodum Graeci Bucolici caprum festive appellabant ἄνδρα s. πόσιν τῶν αἰγῶν. Theocr. Id. VIII, 49: ὦ τράγε, τᾶν λευκᾶν αἰγᾶν ἄνερ, cll. Virg. Ecl. VII, 7.

v. 10. *dulci fistula*] Hor. Faunum fistula donat, quae est σύριγξ a Pane inventa (Virg. Ecl. II, 32) similiterque a Graecis δόναξ vocatur. Antipater Sid. in Pindari epitaphio Anth. Gr. II, p. 19, Stoll. Anth. I, p. 86: *Μάρτυς ὁ Μαινάλιος κερόεις θεὸς, ὕμνον ἀείσας Τὸν σέο καὶ νομίμων λησάμενος δονάκων.*

v. 11. *Usticae cubantis*] Ἧσθαι et καθῆσθαι Graecis usitatum fuisse in regionibus depressis ad speciem cubantis hominis (sanft gelehnt) docet Wernsdorf ad Himer. Ecl. p. 639. Theocr. XIII, 40: ἡμένῳ ἐν χώρῳ.

v. 14—16. *Hic tibi copia manabit — benigno cornu*] Cornu copiae, ut id genus pleraque, Graecorum est commentum, quorum fabulosum κέρας Ἀμαλθείας vel κέρας Ἀχελῴου (vid Bach. in Ovid. M. IX, 88 et 91. et Boett. Amalth.) primitus ex mythologia repetitum in proverbium abiisse testantur Zenob. Provv. II, 48. et Ovid. F. 5, 115 seqq. Itaque Phocyl. Fr. 2. Schn. p. 37: ἀγρὸν γάρ τε λέγουσιν Ἀμαλθείας κέρας εἶναι, et Anacr. fr. 7. Schn. — *tibi manabit*] Graecae est elegantiae: ὄλβος ἐπιῤῥεῖ τινι, καταῤῥεῖ εἴς τινα. Eurip. Med. 1229: ὄλβου ἐπιῤῥυέντος, sc. ἀνδρί τινι. Bion. I, 55: τὸ δὲ πᾶν καλὸν ἐς σὲ καταῤῥεῖ, cll. Theocr. Id. I, 6. et Hor. C. I, 28, 28: tibi defluat aequo ab Jove. Sic solus, ut videtur, Horatius. Vide Mitsch. ad h. l. et Dissen. ad Pind. P. I, 46.

v. 18. *fide Teia*] Anacreontis, vide Prooem. p. XX.

v. 20. *vitreamque Circen*] Nobile illud epitheton vitream, ut taceam de inconstantia, utrum de viridi aquae marinae colore an de splendore pulchritudinis intelligendum sit, inter Interpretes ambigitur. Haec altera est Commentatoris Cruquii explicatio, quae mihi videtur praestare, siquidem Circe dea marina dici non potest — sicuti est Thetis, Achillis „mater caerulea", in mari habitans et a natura „vitrei ponti" (C. IV, 2, 3) appellata — sed splendet certe pulchritudine, utpote ἐκγεγαυῖα φαεσιμβρότου Ἠελίοιο[1]). Quod si verum est, vitrea prorsus est Graecorum ὑαλίνη sive „splendidior vitro", „splendens vitro purius" (C. III, 13, 1. I, 9, 5. cll. Ovid. M. XIII, 789 seq.: Galatea — splendidior vitro.) Sic Corinna poetria dixit ὑάλινον παῖδα (Fr. 36. B. p. 817) et alii coniunxerunt ὑαλέην ὄψιν, ὑαλόεσσαν παρειήν, quae videas ap. Mitscherl. et Jacobs. in Anth. Gr. Vol. II. P. III. p. 122.



v. 21. *innocentis Lesbii*] Graeci dictitabant Λέσβιον οἰνάριον, similiterque ἀμύμονα Χῖον ἄλυπον, quae ex veteribus poetis profert Athenaeus I, 22. et I, 19.

v. 23 sq. *confundet Thyoneus proelia*] Confundere proelia praegnanter dixit, ut Graeci dicebant ταράσσειν πόλεμον, i. e. concitatis turbis movere bellum. Cfr. dividere carmina C. I, 15, 16., quatere Bassareum C. I, 18, 12., vulnera dirigere Virg. A. X, 140. Thyonei autem nomen consulto pro Baccho posuit, ut qui a matre Semela apud superos Thyona, facto a verbo θύειν nomine, Θυωνεὺς cognominatus esset, quod veterum testimoniis prolatis probat Boeckh. ad Pind. P. III, 99. Significatur enim furor, in quem qui vino nimis indulgent solent coniici; unde „immodicas rixas et proelia" miscent. Cfr. ad C. I, 18, 9.

v. 25. De *Cyri* nomine v. Exc. II.

v. 26. *incontinentes manus*] Persimili tropo vel potius hypallage adiectivi usus est Euripides in Hec. 1128: μεθές μ' ἐφεῖναι τῇδε μαργῶσαν χέρα, h. e. permitte, ut isti mulieri furiosam hanc iniiciam manum. Tibull. 10, 53: dementes manus. Hor. C. I, 3, 40: neque patimur Iracunda Iovem ponere fulmina. Vide omnino Exc. IV, Append.

---

1) Hom. Od. X, 138. ubi in Scholiis adnotatum est, Circen eiusque fratrem Aeetam liberos Solis dictos esse „διὰ τὸ ἐν αὐτοῖς ἡλιῶδες τοῦ κάλλους".

## Carm. I, 18.

v. 1. Initium carminis: Nullam, Vare, sacra vite prius severis arborem, ab Alcaeo sumptum esse appareret, cuius haec exstant, Fr. 44. Bergk., 36. Schneidew. p. 277:

*Μηθὲν*[1]) *ἄλλο φυτεύσῃς πρότερον δένδρεον ἀμπέλω,*

Nam et metrum et verba plane consentiunt; ex quo tamen consensu tu cave ne cum Mitscherlichio hoc efficias, „haud dubie universum carmen ex Alcaeo expressum esse"; immo vero versus Alcaicus nil nisi insigne exordium est, veluti purpureus quidam pannus qui late splendeat, quem poeta — ex Pindari sui praecepto Ol. VI, 3. B.: *ἀρχομένου δ' ἔργου πρόσωπον χρὴ θέμεν τηλαυγές* — huic carmini nullo alio consilio praefixit, quam ut initium canendi sumeret, quo doctis amicis gratificaretur eorumque attentionem acueret. Nam hoc fere dixit Graeco illo versu, quem ex frequenti lectione memoria teneret: „Quod familiaris nobis poeta Alcaeus suadet: Nullam cet., id ego tuque, o Vare, comprobamus, quum in comperto habeamus, nulla re magis vitam humanam exhilarari quam modici Liberi Venerisque decentis muneribus: at cavendum, si Homerum consulimus, cet." Quod quam vere de initiis carminum, a Lyricis maxime repetitis, a nobis observatum sit, ipsa comparatio docet. Cfr. C. I, 1, 3. I, 3, 1. I, 9, 1. I, 12, 1. I, 14, 3. I, 18, 1. I, 19, 1. I, 23, 1. I, 30, 1. I, 31, 1. I, 32, 1. I, 34, 2. I, 37, 1.

Eandem de vini bonis sententiam Euripides quum alibi saepe tum in Bacchis uberius et fusius exposuit, ad quem ipsum quoque Horatius respexisse videtur, vid. ad vs. 3 et 6. Reliquum autem carminis argumentum de incommodis vini ex Homero potius vel Theognide, illius sectatore, adumbravit, v. vs. 7.

v. 3. sqq. *Siccis omnia nam dura deus proposuit neque Mordaces aliter diffugiunt sollicitudines* cet.]

Ad sententiam cfr. Alcaci Fr. 33. Schn.: *Οἶνον γὰρ Σεμέλας καὶ Διὸς υἱὸς λαθικαδέα Ἀνθρώποισιν ἔδωκεν*, et Euripidis Bacch. 278 sqq.: *ὁ Σεμέλης γόνος*

*Βότρυος ὑγρὸν πῶμ' εὗρε κεἰσηνέγκατο*
*Θνητοῖς, ὃ παύει τοὺς ταλαιπώρους βροτοὺς*
*Λύπης, ὅταν πλησθῶσιν ἀμπέλου ῥοῆς,*
*Ὕπνου*[1]) *τε λήθην τῶν καθ' ἡμέραν κακῶν*
*Δίδωσιν, οὐδ' ἔστ' ἄλλο φάρμακον πόνων.*

Similiter Chorus ibidem 380 sq. D.: *Βρόμιος, ὃς τάδ' ἔχει*[2]), *ἀποπαῦσαί τε μερίμνας κτλ.* Cfr. Hor. C. II, 11, 17: Dissipat Evius curas edaces; et C. I, 7, 17 sq., coll. cum Eurip. Alc. 794 sqq. Hinc *λυσιμελὴς Βάκχος*, v. Jacobs. ad Anth. Gr. T. VII, p. 339.

— *Mordaces sollicitudines*] „Graeci *γυιοκόρους* et *θυμοδακεῖς μελεδῶνας*, et *θυμαλγεῖς* et *θυμοβόρους* nominant, quasi membra rodentes et animum mordentes." Lambin. Illud crepat autem quotidiani potius sermonis est, quam Graecismi (*λάσκειν, λελακέναι*, Heindorf. ad S. II, 3, 33) cfr. Plaut. mil. gl. 3, 1, 57.

v. 6. *teque, decens Venus*] Eurip. Bacch. 773 sq.:

*Οἴνου δὲ μηκέτ' ὄντος οὐκ ἔστιν Κύπρις,*
*Οὐδ' ἄλλο τερπνὸν οὐδὲν ἀνθρώποις ἔτι.*

v. 7. *At ne quis modici transiliat munera Liberi*] Theogn. 509 sq.:

*Οἶνος πινόμενος ποιλὺς κακὸν· ἢν δέ τις αὐτόν*
*Πίνῃ ἐπισταμένως, οὐ κακὸν ἀλλ' ἀγαθόν.*

Id. v. 479 sq.:

*Ὅς δ' ἂν ὑπερβάλλῃ πόσιος μέτρον, οὐκέτι κεῖνος*
*Τῆς αὐτοῦ γλώσσης καρτερὸς οὐδὲ νόου.*

Quibus versibus totum huius carminis argumentum commode reddi posse Mureti eademque Dillenburgeri sententia est. Verum fundus eius dicti iam inest in Homeri versibus Od. XXI, 293 sq.:

*Οἰνός σε τρώει μελιηδής, ὅστε καὶ ἄλλους*
*Βλάπτει, ὃς ἂν μιν χανδὸν ἕλῃ μηδ' αἴσιμα πίνῃ.*

1) i. e. *μηδέν*. Aeoles enim *θ* et *δ* mutabant. Vid. Boissonad. ad Greg. Cor. p. 614 et Eustath. ad Hom. p. 1841, 23: *θ ἐκ τοῦ δ τραπὲν Αἰολικῶς, οἷον οὐδὲν οὐθέν, δάσος θάσος κτλ.*



1) Ita Schoenius: „Der eine Genitiv, *ὕπνου*, drückt das bewirkende Mittel für die *λήθη* aus, der andere, *κακῶν*, die Wirkung"; alii *ὕπνον*. Illud praeferendum: Efficit Bacchus pater, ut homines somno consopiti, sic plusculum laxamenti a perpetuis vitae laboribus nanciscantur.

2) *ὃς τάδ' ἔχει*, id est, qui haec munera habet.

Ex eodemque fonte fluxit certe Centaurea cum Lapithis rixa, vs. 8. ab Horatio memorata, Hom. l. l. 295, seqq.:

*Οἶνος καὶ Κένταυρον ἀγάκλυτον Εὐρυτίωνα*
*Ἄασεν ἐν μεγάρῳ μεγαθύμου Πειριθόοιο*
*Ἐς Λαπίθας ἐλθόντ' κτλ.*

v. 9. *Evius — Bassareus*] „Quatuor in hoc uno carmine sunt nomina unius dei, Bacchus, Liber, Evius, Bassareus; quorum duo in superiore parte, quae est de commodis vini, mite et benignum numen, duo in inferiore parte, quae est de incommodis vini, ferum respiciunt et indomitum numen. Evius enim et Bassareus nomina sunt petita ex orgiis et mysteriis Thraciis. Evius a clamore bacchantium *εὐοῖ*, *εὐάν* (*Εὔιος*), Bassareus a voce Thracia *βασσάρα*.“ Dillenb. *Βασσάρα* enim est pellis volpina, inde baccha. Bacchae Thraciae autem non *νεβρίδας* gestabant, sed *βασσάρας* s. *βασσαρίδας* [1]).

v. 11 sqq. *Non ego te, candide Bassareu, Invitum quatiam* cet.] Ut Graece dicitur *κινεῖν θεόν*, sic Latine movere deum pro movere s. commovere eius sacra: quod ipsum proprie dictum esse docet Heynius ad Virg. A. IV, 301; itemque Graeci *κινεῖν τὰ ἱερά, τὰ μυστήρια*. Erat enim in his sacris etiam dei simulacrum, (*ἱερὸν φάσμα*) [2]). Sed illud quatere apposite Voigtius meus in Prog. Hal. Reg. Paed. 1844. ad unam maxime thyrsos quatiendi actionem refert, ita ut sit „quatiendo thyrso celebrare s. colere deum“ (de quo usu Graecis non minus familiari dictum est ad C. I, 15, 15 et I, 17, 23). Nam quatere thyrsum, sic proprie dictum, Graece est *θύρσον ἀνατινάσσειν*, *θύρσῳ κροτεῖν γῆν*, *κτυπεῖν θύρσον*, Eurip. Bacch. 80. 188. 240. — Non invitum te quatiam = *οὐκ ἄκοντος, οὐ πρὸς βίαν σου*, „*ἀνυβριστὶ βασσαρήσω*“ (vid. ad C. I, 37, 1 et Anacr. fr. 40, 5 sq. Schn.). — De rebus autem quae his versibus difficillimis significantur et de omni extremi carminis ratione pluribus dicere a consilio meo alienum est. Satis est addidisse verba pertinere ad sacra Bacchi trieterica, quibus non initiatum interesse nefas erat (Ovid. M. III, 510 sq., VI, 587 sq.), ad usum cistarum mysticarum, quibus instrumentum sacrum recondebatur — in iisque inerant inter alia variis frondibus involuta *δράκων*, *ῥοιαὶ καὶ μήκωνες*, itemque *φάλλος* velatus — ad furorem fanaticum, qui Cybeles, Bacchi aliorumque deorum numinibus et excitari et sedari (hinc: saeva tene cet.) credebatur; de quibus omnibus adeundi sunt quum alii, ut Heynius et Bacchius ad Virg. et Ovid. l. c., tum Hermanni Graec. antiquit. sacr. §. 3. §. 32. §. 64. et Lobeck. Aglaoph. p. 54 sqq. 271. 285 sq. 294 sq. 619. 639 sq. 698.

Ceterum quum Horatius, Pindarum suum, ut videtur, secutus (vid. in Boeckhii ed. ad Nem. VII, 17. p. 421), pro sententiis generalibus exempla ponere consueverit — quo pertinet etiam multorum mythorum usus quibus subtiliora docet interpretatione eruenda, cf. v. 8 —, illud „Non ego quatiam“ perinde dictum esse puta, quasi dixerit: „Nemo omnino debet quatere“: ut nihil attineat illud quaerere, utrum ipse Horatius sacris Bacchicis initiatus fuerit necne fuerit.

Quod autem Mitscherlichius opinatur, universum hunc locum obscurae aliquid affectationis habere, quod facile exemplum Graecum prodat anxie expressum, id mihi non persuasit. Solet enim Horatius non ita anxie premere vestigia Graeca, praesertim in exitu carminum. De Alcaeo quidem, quem ille putaverat, ne cogitandum quidem erat. Plane alius is homo, quam qui talia praecepta fundere potuerit. Athen. 10, 33: *Ἀλκαῖος μεθύων ἔγραψε τὰ ποιήματα.*

v. 16. *Arcanique fides prodiga perlucidior vitro*] Redit carminis sententia ad Alcaeum, ut videtur: cuius haec sunt, Fr. 44. Schn.:

*Οἶνος γὰρ ἀνθρώποις δίοπτρον*

1) Hesychius et Gramm. Bekkeri p. 222: *Βασσάραι· χιτῶνες διονυσιακοὶ ποικίλοι, οὓς ἐφόρουν αἱ Θρᾴκιαι Βάκχαι.* cf. Lobeck. Agl. p. 288 sq.

2) Sacrorum autem nomine tam Graeci quam Romani praecipue signa et imagines deorum, omnemque sacram supellectilem dignari solent, vid. Lobeck. Agl. p. 51. Eademque sacra, quae in initio caerimoniae excitabantur et post in pompa circumferebantur, quaeque in profanorum conspectum proferre (*τὰ ἱερὰ δεικνύναι*) aut disturbare (*συνταράττειν*) inexpiabile scelus erat, quoniam nefas putabatur ea ab hominibus non initiatis curiosis oculis contrectari, passim dicebantur etiam *ἄῤῥητα ἱερὰ* vel simpliciter *ἀπόῤῥητα* et *ἐξάγιστα*, vid. Hesych. s. h. v. et Lobeck. Agl. p. 56. Hinc Sophocles explicandus videtur Antig. 1061. D.: *κινεῖ* (*τἀκίνητα*, arcana), *μόνον δὲ μὴ 'πὶ κέρδεσιν λέγων*, et Oed. C. 1526: *ἃ δ' ἐξάγιστα μηδὲ κινεῖταί λόγῳ*, itemque Virgilius de Iove A. I, 262: volvens fatorum arcana movebo.

et Fr. 47: *Οἶνος, ὦ φίλε παῖ, καὶ ἀλάθεα*: quod ipsum proverbium factum est, v. Provv. Bodl. 751. Illud Aeschylus quoque, qui saepe Alcaeum ante oculos habuit, imitatus videtur Fr. 274 D.: *Κάτοπτρον εἴδους χαλκός ἐστ', οἶνος δὲ νοῦ.*

## Carm. I, 19.

Huius carminis principium et argumentum:

*Mater saeva Cupidinum*
*— iubet me —*
*Finitis animum reddere amoribus*

procul dubio a Graecis Lyricis repetiit, quorum complura exstant in eandem sententiam fragmenta, velut Alcmanis Fr. 17., Sapphus Fr. 20., Ibyci Fr. 2., Anacreontis Fragm. 26. 38. 51. Schneidew. Sed praeter ceteros comparandus Alcman, qui in isto quidem genere aliis exemplo fuit, quod sequerentur [1]), eiusque haec sunt:

*Ἔρος με δαῦτε Κύπριδος ἔκατι*
*γλυκὺς κατείβων καρδίαν ἰαίνει.*

Nam Horatius et in superioribus eandem sententiam exprimit, et pergit sic dicere: Urit me Glycerae nitor, quae plane respondent Graeci poetae verbis: *Ἔρος με γλυκὺς ἰαίνει*, et eundem Alcmanem alibi saepe imitatus videtur, v. infra ad vs. 9 sq. et ad C. I, 30, 1. Huc ipsum quoque Glycerae nomen referam, quod nomen certe fictum et Graecum est et huic carmini quam maxime accommodatum, quum *γλυκερὰ* sit puella grata et idonea, quae amatores „dulci desiderio capiat". Ita enim iam Homerus quum alibi frequentissime tum in Il. III, 446, ubi Paris ad Helenam: *με γλυκὺς ἵμερος αἱρεῖ*, et praecedit *ἔραμαί σου*, ut alterum per alterum explicetur; et Hesiodus Th. 206 in Veneris muneribus refert *τέρψιν γλυκερήν*; unde illud ipsum apud Almanem *Ἔρος γλυκύς*. Hunc dulcem igitur amorem Horatius sub ficto Glycerae puellae nomine

1) Athenaeus XIII, 600. F. ex vetere quodam auctore haec refert: *Ἀλκμᾶνα γεγονέναι τῶν ἐρωτικῶν μελῶν ἡγεμόνα, καὶ ἐκδοῦναι πρῶτον μέλος ἀκόλαστον ὄντα καὶ περὶ τὰς γυναῖκας καὶ τὴν τοιαύτην μοῦσαν εἰς τὰς διατριβάς· διὸ καὶ λέγειν ἔν τινι τῶν μελῶν· Ἔρος με δαῦτε κτλ.*



et persona induxit ut poeta, ne rem nude atque exiliter narrare videretur. Cfr. Exc. II.

Nec argumentum solum fictum et aliunde assumtum, sed totum carmen ita plenum est Graecismi, ut primitiis huius generis non dubitem annumerare. Frankius quidem in primis hisce carminibus amatoriis interdum falsus est, quum etiam ea ad veram vitam poetae pertinere opinatus sit, quae ad Graeca eius exemplaria referenda essent. Concedendum vero, ni fallor, aliquot annis prius hoc carmen scribi potuisse, quam Carm. II, 4. in quo poeta vere praedicat se iam quadragenarium factum amoribus defunctum esse.

v. 1. *Mater saeva Cupidinum*] Plane similiter Philodemus in Anthol. Gr. II, p. 89 Br., Epigr. XXIV, init.:

*Κύπρι γαληναίη, φιλονύμφιε, Κύπρι δικαίων*
*σύμμαχε, Κύπρι Πόθων μῆτερ ἀελλοπόδων.*

Eundem versiculum Horatius in persimili Carm. IV, 1. vs. 5., hoc ipsum carmen significaturus, consulto repetiit; incertum vero, num in re tam communi et ubivis obvia certum auctorem secutus sit, quamquam eundem Philodemum [1]) saepe imitatus est.

v. 2. *Semelae puer*] Codd. consensus favet h. l. Latinae formae Semelae. Vide Excurs. III. Bacchus autem Graecis saepe Amoris comes ac sodalis. *Λοκεῖ γὰρ ἔχειν*, ait Athenaeus V, p. 185. B., *πρὸς φιλίαν τι ὁ οἶνος ἐλκυστικὸν παραθερμαίνων τὴν ψυχὴν καὶ διαχέων.* Adde quod *κώμους* s. commissationes regebat Bacchus. Quare quum Amori praesentissimum auxilium praestare putaretur, eius opem una cum illo invocabant poetae melici et erotici, *πρόπολον βαρυγδούπων*

1) Fuit nobilis Epicureus, philosophus et poeta, cuius festiva poemata Cicero, eius aequalis, dilaudat in Or. in Pison. c. 29. et Horatius in Sat I, 2. vs. 32 sq. et vs. 120—122. aperte expressit ipsumque nominavit. Vide sis Jacobs. in Anthol. Gr. II, p. 88. Br. ad Epigr. XXI, 1 sq. et II, p. 85. ad Ep. X, 3 seqq. Nam epigramma IX, cuius clausula est: *τὴν δ' ἄρα Γάλλος ἔχοι*, ex ceteris et ex ipso Hor. l. c. Sat. I, 2, 120 sq. a Batavo quodam satis affabre ac prope antiquo artificio confictum et suppositum esse idem Jacobsius demonstravit in Lectt. Venus. XII, p. 264.

ἐρώτων [1]), Ἔρωτος βοηθὸν [2]) vocantes. Anacreon quidem eum potissimum implorat, ut sibi in amore Cleobuli pueri conciliando auxilietur, Fr. 2. B.: Ὦναξ, ᾧ δαμάλης Ἔρως καὶ Νύμφαι κυανώπιδες πορφυρέη τ' Ἀφροδίτη συμπαίζουσιν, et similiter ut hoc loco Horatius culpae suae eundem incusat Meleager in Anthol. Gr. I, 17. Epigr. LVII, 3: Ἐν πυρὶ γενναθεὶς στέργεις φλόγα τὰν ἐν Ἔρωτι, Καί με πάλιν δήσας τὸν σὸν ἄγεις ἱκέτην: ubi plura de Bacchi cum Amore consortio profert Jacobs. Cfr. Ovid. A. A. III, 762. et Plin. Sec. in Anthol. Lat. I, XXIII: Ardenti Baccho succenditur ignis Amoris; Nam sunt unanimi Bacchus Amorque deus.

v. 3. *lasciva Licentia*] Poeta deam fecit ὕβριν Graecorum, non princeps sed post Ciceronem (v. de Legg. II, 17. 42) et tritissimo uterque vocis usu „ἐπὶ ἐρωτικῆς ἐπιθυμίας ἀκολάστου οὔσης“ quum apud alios tum apud philosophos Socraticos, Plat. Phaedr. p. 238. a. 250. c., Xenoph. Mem. II, 1, 30. ubi qui insano illo atque effrenato cupiditatis instinctu abrepti se corporis voluptati dedunt et in venerem ruunt, ὕβρει προσομιλεῖν, ὑβρίζειν dicuntur eorumque amentiae atque intemperantiae sanitas animi ac moderatio opponitur. Verum ipsa verba, quibus ὕβριν illam describit Plato, praestat, ut opinor, subiicere. Sunt autem in Phaedri loco priore hoc modo: Δόξης μὲν οὖν ἐπὶ τὸ ἄριστον λόγῳ ἀγούσης καὶ κρατούσης, τῷ κράτει σωφροσύνη ὄνομα· ἐπιθυμίας δὲ ἀλόγως ἑλκούσης ἐπὶ ἡδονὰς καὶ ἀρξάσης ἐν ἡμῖν τῇ ἀρχῇ ὕβρις ἐπωνομάσθη [3]). Itaque quum saepe Plato et Xenophon istam licentiam exagitassent, quod non perinde ab ullo poeta melico Graecorum factum memini, Horatius si illos imitatus est fortasse se ipse quodammodo voluit castigare „chartis Socraticis quae rem melius poterant ostendere“.

v. 5. *urit*] ἐκκαίει ἠδὲ μαραίνει, vid. Jacobs. ad Anthol. Gr. I, 214. XV, 3. B.

v. 6. *Glycerae nitor splendentis Pario marmore purius*]

1) Ita Ion Chius Fr. 5. ubi Schneidew. p. 128: Commissationes appellat iuvenum vino calidorum versorumque in amores. Πρόπολος ἐρώτων est qui excitat amores.

2) Rufinus in Anthol. Gr. II, 295. Br.

3) h. e. huic imperio nomen ὕβρις imponitur. Heindorf.



Non solum ad splendorem cutis, sed etiam ad perfectam omnibusque numeris exactam puellae pulchritudinem significandam pertinent verba Pario marmore purius, ex Graeco fonte derivata. Statuis enim formosi formosaeque ab illis comparari solent. Eurip. Hec. 560: μαστούς τ' ἔδειξε στέρνα θ', ὡς ἀγάλματος, Κάλλιστα κτλ. Ad nostrum locum faciunt inprimis Pind. N. IV, 81. B.: στάλαν θέμεν Παρίου λίθου λευκοτέραν, ubi poeta laudem dicit illustrem atque exactam, quae latius splendeat marmore etiam candidissimo, coll. Theocr. VI, 38. Posidipp. Ep. VII, 3. in Anth. Gr. II, 47. Br.: τὴν ἁπαλὴν Εἰρήνιον εἶδον —, ἱερὸν θάλλος, οἷά τε λύγδου [1]) Γυνπτὴν κτλ. Philod. Ep. XVIII, 3. ib. II, 87: τὰ λύγδινα κώνια μαστῶν. Rufin. Ep. XXXVI, 3. ib. II, 398: δειρὴ λυγδινέη, et Anacreont. XXVIII, 27: λύγδινος τράχηλος. Lacvis cervix ap. Propert III, 15, 31., marmoreum collum ap. Ovid. F. IV, 135. Vide Dorvill. ad Charit. p. 12. seq. et Jacobs. ad Anth. T. VIII, 139. X. 178.

v. 7. *grata protervitas*] ἐπίχαρις λαμυρία Graecorum, v. Lobeck. Phryn. p. 271. 760.

v. 9. *Et voltus nimium lubricus adspici*] Possis cogitare voltum lubricum simpliciter de „mobili oculorum petulantia“ (v. Petron. 126. cll. Cic. de N. D. II, 57.) intelligendum esse, ut iam Homerus Il. III, 397. Veneri tribuit ὄμματα μαρμαίροντα, ipsaque dea eam ob caussam ἑλικοβλέφαρος audit (Hes. Th. 18. Hym. Hom. V, 19.), et Asclepiades in Anth. Gr. Ep. XV, 4. I, p. 214. Br. γλυκεροῦ βλέμματος ἀστεροπὰς multique alii multa similiter praedicarunt de voltu vel mobili vel molli, vid. Mitscherlich. Sed altera et propria illa verbi lubricus explicatio mihi certe longe praestare videtur et propter adiectum v. adspici, quod minime otiosum est, et quod magis convenit cum Graecis exemplaribus: „Suavis et lubricus oculorum tuorum splendor, o Glycera, efficit, ut quivis adspiciens in illo quasi ὀλισθηρῷ οἴμῳ labatur.“ Etenim oculus eroticis scriptoribus est etiam via, qua amor per diffusam inde venustatem in amatoris animum invadit et iecur occupat. Commentarii instar sunt hi versus

1) Schol. Pindar. Nem. δ' 129.: Πάριος δὲ λίθος ἐστὶν ὁ καλούμενος λύγδινος.

Musaci 94 sq.: *Ὀφθαλμὸς ὁ' ὁδός ἐστιν· ἀπ' ὀφθαλμοῖο βολάων Κάλλος ὁλισθαίνει*[1]) *καὶ ἐπὶ φρένας ἀνδρὸς ὁδεύει*, et Aristaenet. Epist. II, 5: *Ἔρως καὶ μέχρι τοῦ ἥπατος διελήλυθεν εἰσρυείς*. Fundus autem huius comparationis iam in Platonis Phaedro quaerendus videtur p. 251. b.: *Λεξάμενος γὰρ τοῦ κάλλους τὴν ἀποῤῥόην διὰ τῶν ὀμμάτων ἐθερμάνθη·* ubi plura ex Eroticis profert Heindorf. — Structura quoque Graecae elegantiae plena est: *βλέμμα σφαλερὸν ἐπιβλέπεσθαι, ἐποφθαλμιᾶσθαι*. Cfr. C. IV, 2, 59: niveus videri, et v. Exc. IV, 4.

v. 9 seq. *In me tota ruens Venus Cyprum deseruit*] Haec composuisse videtur ex Euripide, Hippol. 443. D.:

*Κύπρις γὰρ οὐ φορητόν, ἢν πολλὴ ῥυῇ* (v. ad C. I, 7, 7),

et ex Alcmane, Fragm. 19. Schn.:

*Κύπρον ἱμερτὰν λιποῖσα καὶ Πάφον περιῤῥύταν*,

quod manifestius imitatus est in C. I, 30. init. Vide omnino ad C. I, 28, 30.

v. 12. *nec quae nihil attinent*] *τὰ μηδὲν ὠφελοῦντα*. Anacreont. 36, 3. ap. Bergk. 53. p. 730:

*τί δέ μοι λόγων τοσούτων,*
*τῶν μηδὲν ὠφελούντων;*

quae iam vetus Scholiastes Horatianis composuit.

v. 16. *Mactata veniet lenior hostia*] Quum saepe cruditi ex Batavis interpretes dixissent venire simpliciter poni pro esse, ut Graecum *ἔρχεσθαι* pro *εἶναι*: recte monuit H. Peerlkampius Romanos poetas, Graecorum imitatores, nunquam usurpasse venire, quando sententia unice postularet v. esse, et venire semper suam vim servare. Venus h. l. Cyprum deserens et tota in Horatium ruens ad eum venire debuit. Plane similiter Anacreon Fragm. 2, vs. 6.: *σὺ δ' εὐμενὴς Ἔλθ' ἡμῖν*. Cfr. Eurip. Med. 630. alibi.

## Carm. I, 20.

Argumentum huius schedulae poeticae, quam quasi invitatoriam Maecenati suo scripsit, a docta Graecismi ratione, ut opinor, alienum fuit, nec quicquam inest quod transmarinae

1) h. e. verführerischer Liebreiz entgleitet, entströmt den Augen.



expeditionis indigeat. Nam iocosa montis imago secus dicta est, v. ad C. I, 12, 3.

## Carm. I, 21.

Est hymnus in Latoidas, Dianam et Apollinem, qui dii *ὁμότροφοι* una cum matre Latona a Graecis in hymnis componi solebant, et saepe etiam, quum Sol et Luna propter almam lucem et salubrem aeris temperiem, quae ab iis oriuntur, mortalibus essent dii salutares, *σωτῆρες*, vel dii averrunci, *ἀλεξίκακοι*, *ἀλεξίμοροι*, *ἀποτροπαῖοι*, iidem vel *Προστατηρίων* vel *Ἐπικουρίων* cognomine coniunctis sacris una colebantur: unde *πάρεδροι*, *σύνναοι* dicti sunt[1]). Sed is cultus Romanis iam antiquitus receptus, vid. Liv. V, 13, et nuperrime etiam coniuncti erant hi tres Romae in templo Palatino, quod Augustus dedicaverat, cf. Propert. II, 31, 11 seq. Neque admodum probabile est carmen Horatianum Graeci alicuius imitationem esse. Nam quum multi Graecorum poetarum et in Apollinem et in Dianam hymni, veluti Homerici et Callimachi et Tragicorum, nobis relicti sint: nullus tamen in iis exstat locus, ex quo imitationis vestigia colligere possimus, nisi forte Sophoclis in Trachiniis, de quo vide infra. Nihil vero praeter epicam illam veterum Hymnorum compositionem ac sollemnes quasdam loquendi formulas ab Homero usque propagatas imitatus est Horatius; cetera carmen habemus vere Romanum, quod Frankius in Fastis Hor. p. 163. recte rettulit ad memoriam victoriae Actiacae, etsi in eo ab vero aberrasse videtur, quod decantatum esse statuit in prima celebratione ludorum Actiacorum quinquennalium a. u. c. 726. Immo simulat pocta se tanquam Musarum sacerdotem virginum puero-

1) Homer. Hymn. in Apoll. Del. 158 sq., H. in Apoll. Pyth 21 sq., H. in Dian. IX. Francke init., H. in eandem XXVII, vs. 3. et vs. 19 sqq., Aeschyl. Sept. 145. sqq., Soph. Trach. 205—215. O. R. 161 sqq. O. C. 1091 sqq., Pind. Nem. IX, 4. alibi. — De *Προστατηρίων* et *Ἐπικουρίων* Apollinis et Dianae nominibus ac muneribus v. Hermann. ad Sophocl. Trach. 208. Schneidew. ad eiusd. El. 637, et Orell. ad huius Carm. vs. 13; de coniunctis eorum et matris Latonae sacris adeunda sunt quae Welckerus ad Pind. l. c. congesta cum Dissenio communicavit in Boeckhii editione p. 453.

rumque choros ducere lisque quummaxime praecipere, ut Dianae et Apollinis laudes canere incipiant: sic fore ut hic bellum, famem pestemque a nomine Romano in sempiternos eorum hostes, „Persas atque Britannos", avertat. Tenendum vero Caesarem Octavianum ab Actio victorem reversum in honorem Apollinis, cui victoriam se debere putaret, ludos Actiacos a. 726. instituisse et eius templum aperuisse (v. Propert. l. c. init., cll. Dio Cass. LIII, 1.) et eodem iam anno expeditiones in Britannos et Arabes praeparasse: ad quae ipsa Horatium respexisse facili coniectura adducimur ut credamus.

v. 2. *Intonsum — Cynthium*] Hom. Il. XX, 39: *Φοῖβος ἀκερσεκόμης ἠδ' Ἄρτεμις ἰοχέαιρα Λητώ τε κτλ.*, quo uno loco *ἀκερσεκόμης* legitur apud Homerum. Praeterea in Hom. Hymn. in Apoll. Del. 134, in Hesiodi Fragm. XC. Goettl., bis apud Pindarum Pyth. III, 14. et Isthm. I, 7: *τὸν ἀκειρεκόμαν Φοῖβον*, saepius in posteriorum Hymnis tanquam perpetuum quoddam Apollinis praeconium reperitur. Intonsus vero Apollo est propter aeternam iuventutem. Alebat enim Graeca iuventus decus capitis usque ad constantem aetatem, ubi adulti solebant primum crinem detonsum ipsi Apollini *κουροτρόφῳ* et fluviis consecrare, vid. Dissen. ad Pind. P. IV, 82. Cfr. Hom. Hym. in Apoll. Pyth. 272: *χαίτῃσ' εἱλυμένος εὐρέας ὤμους*, et Hor. Epod. 15, 9. Tibull. I, 4, 37.

v. 3. *supremo Iovi*] Ex formularum usu a Graecis recepto: *Διὶ ὑψίστῳ*, *Διὶ ὑπάτῳ*, *Διὶ πανυπερτάτῳ*, Pind. Nem. I, 60. B., Aeschyl. Ag. 509. D., Callim. II. in Iov. 91. al.

v. 4. *Dilectam penitus*] Reddidit Homericum illud *περὶ κῆρι* vel *κηρόθι μᾶλλον φιλεῖν*. Od. XV, 245: *Ἀμφιάραον, Ὃν περὶ κῆρι φίλει Ζεὺς — παντοίην φιλότητα*. Cfr. ibid. vs. 370. Il. XIII, 430. XXIV, 61. 423. al. Adamaverat autem Juppiter et dilexerat Latonam ex animo, et plus quam alias concubinas propter liberos ex ea susceptos. Hom. Hymn. in Dian. XXVII, 19: *Ὑμνεῦσι Λητὼ καλλίσφυρον, ὡς τέκε παῖδας, Ἀθανάτων βουλῇ τε καὶ ἔργμασιν ἔξοχ' ἀρίστους*, et Hymn. in Apoll. Del. 14: *Χαῖρε, μάκαιρ' ὦ Λητοῖ, ἐπεὶ τέκες ἀγλαὰ τέκνα*, et alibi. Homerus quidem similiter de Arete, Alcinoi uxore, Od. VII, 69: *περὶ κῆρι*[1]) *τετίμηταί τε καὶ ἔστιν Ἔκ τε φίλων παίδων ἔκ τ' αὐτοῦ Ἀλκινόοιο.*



v. 5—8. *Vos luetam fluviis et nemorum comam*[2]) cet.] Primum poeta ipsam Dianam laudat, deinde eius nemora accuratius describit, quandoquidem inprimis est dea *ἀγροτέρα*, *ἄγρῃ τερπομένη* s. venatrix, et quae agrorum silvarumque honoribus atque omni amoenitate et solitudine delectetur, solis Nymphis comitibus *ἀγρονόμοις*. Res notissima ex Hom. Od. VI, 102 sqq., Hom. Hym. in Dian. XXVII. F. v. 4 sqq., Orph. Hym. XXXI, 4 sq. aliis locis. Cfr. Catull. 34, 9 sqq. Laetam autem fluviis eandem vocat ut *Ἄρτεμιν ποταμίαν* et *λιμνᾶτιν*. Pind. Pyth. II, 6 sq.: *Ὀρτυγίαν —, Ποταμίας ἕδος Ἀρτέμιδος:* ubi Dissen.: „Diana in Peloponneso multis locis cum lacubus, fontibus, fluviis colebatur coniuncta, et inter fluvios quidem nominatim cum Cladeo et Alpheo, unde *ποταμία* dicta". Itaque Diana *Ἀλφειώα* cum Alpheo eandem habebat aram Olympiae, vid. eundem in Boeckhii editione ad Nem. I, 1. Scite Fischer in libro singulari, quem scripsit de Beherophonte a. 1851., Dianam sive *Σελήνην* in meridionalibus terris magnam vim habere dicit ad pluviam gignendam, ad aquam parandam etc. — *nemorum comam*] Frequenti apud Graecos de arboribus tropo etiam in prosa oratione: *κόμην*, *φόβην*, vid. Orell. et cfr. C. IV, 3, 11. 7, 2.

v. 9 sqq. Iam inverso ordine collocationis primum Apollinis sedes et loca carissima, tum ipsum deum celebrat. Atque ut virginum fuit Dianam cantare (vs. 5—8), ita hunc invicem mares iubentur laudibus tollere, plane ut apud Sophoclem in Trach. 205. Dindorf.:

*Ἀνολολύξατε δόμοις*
*ἐφεστίοις ἀλαλαγαῖς*
*ὁ μελλόνυμφος, ἐν δὲ κοινὸς ἀρσένων*

---

1) *Περὶ κῆρι*, non *πέρι κῆρι*, scribendum et interpretandum esse nunc recte praecipiunt Grammatici et Homeri Interpretes, quum proprie sit „vom Herzen umschlossen", hoc est „herzinnig", quod Horatius dixit penitus.

2) Comam, non coma, legendum. Bernhardy in rec. ed. Orell.: „Eine gleiche Vertheilung (vergl. Strophe 3) heisst uns das Lob der Diana von ihren Attributen scheiden, die sorgfältig ausgeschmückt werden (v. 6—8)."

ἴτω κλαγγὰ τὸν εὐφαρέτραν
Ἀπόλλωνα προστάταν·
ὁμοῦ δὲ πωλᾶνα παιᾶν'
ἀνάγετ', ὦ παρθένοι,
βοᾶτε τὰν ὁμόσπορον
Ἄρτεμιν Ὀρτυγίαν, ἐλαφαβόλον, ἀμφίπυρον,
γείτονάς τε Νύμφας.

Hoc est „Celebrate aedibus domestica exclamatione quisquis nubilis est[1]) (i. e. tenerae virgines), unaque marium intercinat acclamatio, celebrate, inquam, mares, Apollinem insignem pharetra, tutelarem, simulque paeanem, virgines, dicite, dicite alta voce Dianae, eodem genitae partu Ortygiae, cervos iaculantis, taedarum lumina utraque vibrantis manu, vicinasque Nymphas." Quae quum non uno modo cum Horatianis convenire appareat, commode ad eius explicationem converti possunt, nec temere fortasse credideris ipsi obversata esse. Itaque Horatius praeter cetera loca Latoidis sacra natalem praedicat Delon Apollinis, ut ille canit Ἄρτεμιν Ὀρτυγίαν, i. e. Deliam. Delos enim Athenaeo IX, p. 392. et aliis auctoribus (v. Spanh. ad Call. H. Apoll. 59.) prisco nomine Ortygia, quod idem fuisse gemellorum nutrici Strabo XIV. p. 948. prodidit. Neque vero Delos solum Ἀπόλλωνος κουροτρόφος, quam Callimachus H. Del. 2. vocat, sed etiam Dianae (cf. ad vs. 13.) quos uno partu in Cyntho monte editos ferunt. Res vulgo credita et notissima. Erant sane, ut auctor Hymni Homerici in Apoll. Del. 15. sq., si verus is locus, qui unum Apollinem in Delo, Dianam vero in Ortygia natam esse dicerent, sive illa Delo adiacebat insula (Strab. X. p. 480.) sive lucus erat prope Ephesum, eodem nomine appellatus (id. XIV. p. 639.), nec deerant qui ambo in „luco Ortygia" genitos mallent (Tacit. Annal. III, 61.): sed vide quae Dissenius ad Pind. Nem. I, 1. in Boeckhii editione p. 350 sq. explicuit, atque Horatius

1) Ita Hermannus, alii fortasse rectius ἀνολολύξεται δόμος — ὁ μελλόνυμφος, i. e. „tota domus ululabit et quidem puellae quae sunt in domo laetos illos clamores tollent." Item in re simili Eurip. El. 691: ὀλολύξεται πᾶν δῶμα.



certe volgarem illam fabulam sequitur, quum etiam in C. III, 4., natalem silvam Delii Apollinis dignis laudibus ornet, idemque in C. III, 28. celeris spicula Cynthiae memoret, quam Ovidius M. I, 694. Ortygiam deam vocat. Cfr. Propert. II, 31, 5: „Tum medium claro surgebat mormore templum (Palatinum), et patria Phoebo carius Ortygia". Hinc Delos liberis Latonae carissima et Apollini quidem carior etiam quam „sacra nemore nobilia Tempe". Hom. Hym. in Apoll. Del. 143: Πολλοί τοι νηοί τε καὶ ἄλσεα δενδρήεντα· — — Ἀλλὰ σὺ Λήλῳ, Φοῖβε, μάλιστ' ἐπιτέρπεαι ἦτορ.

— Insignis autem humerum Apollo pharetra ut qui „nunquam humeris positurus sit arcum", C. III, 4, 60. Est vero quasi proprium ac perpetuum illius praeconium ab Homero traditum: ἀργυρότοξος, κλυτότοξος Ἀπόλλων, ut Il. I, 37. IV, 101. et alibi, coll. Il. I, 45:

τόξ' ὤμοισιν ἔχων ἀμφηρεφέα τε φαρέτρην,

quod tantum abest, ut Horatius spreverit aut suo arbitrio immutaverit in hoc praesertim carmine, ut fideliter servasse putandus sit, siquidem ipsum deum, non humerum eius insignem pharetra dixit. Rectissime enim Bentleius: „Respondent, inquit, haec superioribus, Vos dicite Dianam, laetam fluviis; vos Apollinem insignem humerum pharetra. Insignis humerum Hellenismus notissimus est, Nostro quoque familiaris: Nec Mauris animum mitior anguibus, et alibi." Vide Exc. IV, 1. His iam adiice quod Sophocles, Horatii, ni fallor, exemplum, eundem appellavit εὐφαρέτραν: quod verbum quum ἅπαξ λεγόμενον sit et ipsum quoque ex Homero effictum esse pateat, ad amussim respondet Horatianis. Cfr. Carm. Sec. 61: fulgente decorus arcu Phoebus, quibus ἀργυρότοξον Ἀπόλλωνα, et C. I, 12, 23: metuende certa Phoebe sagitta, quibus ἑκηβόλον Ἀ. reddidit. Qui sic construunt, ut nuper Nauckius rursus: „Laudate humerum (Apollinis) insignem pharetra", et Graecam imitationem negligunt et frustra etiam ex Carm. III, 28, 10. proferunt „Neptunum et virides Nereidum comas"[1]) quum ibi additus sit genitivus, hic desideretur.

1) Hoc est „Neptun und die Nereiden in grünem Haar".

v. 12. *Fraterna lyra*] quam a fratre Mercurio inventam muneri accepit, quum ipse illi virgam aurcam dedisset, v. ad C. I, 10, 6. et 18. Sollemnis vero attributorum, quae singulorum deorum propria sunt, in eorumdem hymnis mentio. Homer. Hymn. in Apoll. Del. vs. 131: *Εἴη μοι κίθαρίς τε φίλη καὶ καμπύλα τόξα.* Callim. H. Apoll. 19: *εὐφημεῖ καὶ πόντος, ὅτε κλείουσιν ἀοιδοὶ ἢ κίθαριν ἢ τόξα, Λυκωρέος ἔντεα Φοίβου.*

v. 13. *Hic bellum lacrimosum, hic* cet.] Ut Graeci poetae modo ambo *ἀλεξικάκους* vel *ἐπικουρίους Θεούς*, modo alterutrum, pro suo quisque consilio, invocant et orant mala ut abigant aut avertant: ita Horatius h. l. uni Apollini, singulari illi Augusti principis custodi, averruncandi partes omnes demandat. Sola Diana invocatur ut auxilio veniat apud Orph. H. in eandem XXXV, 13 sqq., contra solus Apollo in Sophocl. Ai. 702 sqq.: *ἄναξ Ἀπόλλων ὁ Δάλιος ἐμοὶ ξυνείης*, et in eiusd. Electr. 637 sqq.: *κλύοις ἂν ἤδη, Φοῖβε προστατήριε κτλ.* Quamquam ne Dianae quidem societatem excludi necesse est, quum saepe poetae veteres ex pluribus eum solum cuius primariae sunt partes nominent, cf. supra vs. 10. et Epist. I, 19, 33. ubi vid Orell.

— *bellum lacrimosum*] Epitheton ab Homero petitum, Il. III, 132. 165. V, 737: *πολύδακρυν Ἄρηα, πόλεμον πολύδακρυν, πόλεμον δακρυόεντα.* Cfr. Virg. A. VII, 604: lacrimabile bellum. Hoc paulum variarunt posteriores, ut Anacr. Fr. 28. B.: *δακρυόεσσαν αἰχμάν*, Aeschyl. Suppl. 681: *δακρυογόνον Ἄρη*, Eurip. Hel. 1115: *δακρυόεντα πόνον.*

v. 14. *famem pestemque*] coniungit ex more Graecorum scriptorum, qui *λιμὸν* et *λοιμὸν* vel propter annominationem libenter copulant, ut Hesiod. *Ἔργ.* 242: *τοῖσιν δ' οὐρανόθεν μέγ' ἐπήγαγε πῆμα Κρονίων, Λιμὸν ὁμοῦ καὶ λοιμόν·* quod dictum Cruquius iam excitat.

## Carm. I, 22.

Simile est Carm. I, 17. argumentum, ubi se securitatem suam pii vatis (Virg. A. VI, 662.) et innocentis singulari Fauni s. Panos gratiae ac tutelae debere dicit Pindari exemplo, et similius etiam Carm. III, 4. vs. 9—36, ubi hoc ipsum Camenis



dat, ut iam infans a palumbibus sacrae lauri myrtique frondibus contectus tuto a saevis bestiis in aperto dormierit, quum alios auctores Graecos tum eundem Pindarum secutus (vid. Orell. ibid. ad vs. 13.), ad cuius imitationem se omnino in sublimioribus carminibus melicis composuit. Hic vero de deorum numine ac tutela ne verbum quidem, nec quicquam aut ab illo aut ex aliis exemplaribus Graecis transtulit nisi Sapphus locum, in quo desinit. Dissimilis vero et plane propria Horatii est ratio huius carminis. Nam quum Orphei fabulam, ut opinor, aut Amphionis (A. P. 391 sqq.) aut multa alia vel ex Pindaro vel ex aliis auctoribus recordari posset, nihil eorum quae alibi fecit hic fecit, sed potius quid ipse de condicione poetae sentiat exprimit eosque animi sui sensus cum Aristio Fusco amico suo communicat et suam ipsius vitam commemorat et tanquam Musarum sacerdos se ipsum quasi exemplar sanctitatis proponit (Prop. III, 1, 3.), omissa exemplorum vetustate. Ac pro more suo severitatem et gravitatem cum ioco et facetiis coniunxit. Nam spretis subito gravitatis partibus Lalagen suam se semper amaturum esse hilariter pronunciat. Itaque in Sapphus poetriae locum celeberrimum excurrit, quem non tam suum fecit quam citavit, vel propter fictum Lalages nomen, de quo vide Exc. II.

v. 1. Integer vitae et sceleris purus sunt duo genitivi poetici et Graecanici, sed diversi illi dissimili ratione, quum alter relationis, alter separationis vel privationis vim habeat: „wer unsträflich in Hinsicht auf den Wandel und schuldlos ist“. Vid. Exc. IV, 3.

v. 6. *inhospitalem Caucasum*] Ita h. l. et Epod. I, 12. scripsisse videtur Aeschylo auctore, qui in Prom. vs. 20. eundem Caucasum appellat *ἀπάνθρωπον πάγον*, h. e. scopulum longe remotum ab hominibus et ab omni cultu humano, ideoque *ἄξενον* sive inhospitalem, ut saepe Euripides in Iph. T. 94: *ἥκω εἰς γῆν ἄξενον*, ib. 218: *ἀξείνου πόντου οἴκους ναίω*, porro vs. 253. 341, et alibi. Sed cave ne Mitscherlichio credas, hoc ipsum epitheton *ἄξενος* ab Aeschylo illi regioni adiectum esse. Nec ita legitur nunc apud illum, nec Horatius primus hoc verbum inhospitalis formavit, quum iam Varro Scytharum inhospitalem vastitatem (ap. Nonium s. v. Vastitas) memoravisset, fortasse secundum eundem

Aeschyl. Prom. vs. 2. Herm.: *Σκύθην ἐς οἶμον, ἄβροτον εἰς ἐρημίαν.*

v. 8. *Lambit Hydaspes*] De tropo verbi vide ad C. I, 31, 8.

v. 13. *Quale portentum*] Ut Homerus saepe, Od. X, 168. 219. alibi: *δεινὸν πέλωρον*, i. e. *μέγα χρῆμα θηρός.* Od. IX, 190: *Καὶ γὰρ θαῦμ' ἐτέτυκτο πελώριον*, de ingenti Polyphemo. Hom. H. Apoll. Pyth. v. 124: *τέρας ἄγριον*, de Typhone dracone. Eurip. Hipp. 1214: *Κῦμ' ἐξέθηκε ταῦρον, ἄγριον τέρας*, itemque Virg. A. VIII, 295: tu Cresia mactas Prodigia.

v. 14. *Daunia in latis*] Sic prorsus legendum, quamquam Critici et Interpretes recentiores quodammodo pugnant inter se atque contendunt, ut Horatium forma donent „semigraeca" Daunias. Verumtamen iam Bentleius ostendit hoc non esse consuetudinis Romanae in regionum nominibus ipsius Italiae, eique Bernhardyi auctoritas accessit in cens. ed. Orellianae sic iudicantis: „Daunias wäre eine vereinzelte, aber zugleich der Analogie widersprechende Bildungsweise. Pelias hasta, Parthis tellus mit ähnlichen Adiectiven folgt der Alexandrinischen Sprachkunst; ein Nomen von solchem Gepräge mag aber schwerlich bei einem ächt italischen Lokale aufzuweisen sein, denn das muthwillig geschaffene Appias (Ovid. A. A. I, 82.) geht wie bei demselben Dichter Nymphae Tiberinides (Fast. II, 597.) auf eine Quellgottheit zurück."

v. 15. sq. *leonum Arida nutrix*] Homericum est, qui poeta saepe vocat Idam *μητέρα θηρῶν*, Il. VIII, 47. XIV, 283. XV, 151. *Θηρὸς* enim nomen, quamquam aliarum quoque ferarum commune est, proprie tamen de leone dici passim notant litterati veteres (vid. Wolf. ad Muret. V. L. XVII, 2. cf. v. c. Il. III, 449. X, 184. Pind. I. V, 46.), atque hoc ipsum habes in Anth. Gr. III. p. 184. Br.: *Μῆτερ ἐμὴ, γαίη Φρυγίων, θρέπτειρα λεόντων* — ut mirum non sit, quum illa regio tam multos leones habeat, cur iis potissimum ad currum Phrygia mater utatur. Arida autem epitheton non cum Jubae tellure sed cum apposita voce coniunxit, ut quae h. l. in actione versaretur. Nutrit enim tellus tanto saeviores bestias quo ipsa aridior est. Cf. Exc. IV. Append.



v. 17. *pigris campis* [1])] *ἀργοῖς χωρίοις* quibus opponitur *σπουδαίη τις χώρη* apud Herodotum, quem locum profert Nauck.

v. 19. sq. *malusque Juppiter urget*] De malo Jove vide ad C. I. 1, 25; urget autem, ut Graeci etiam in prosa oratione *πιέζειν* (schwer auf etwas liegen, lasten). Herod. I, 142: *τὰ μὲν ὑπὸ τοῦ ψυχροῦ τε καὶ ὑγροῦ πιεζόμενα, τὰ δὲ ὑπὸ τοῦ θερμοῦ τε καὶ αὐχμώδεος.* In quibus hoc quoque notandum videtur *τὸ αὐχμῶδες* idem esse quod Horatius supra dixerit Syrtes aestuosas[2]). Sic enim ille de Africae solitudine ipsi regioni Syrticae, quam Nasamonum gens incolit, adiacente in Lib. II, 32: *τά δ' ὑπὲρ θαλάσσης τε καὶ τῶν ἐπὶ θάλασσαν κατηκόντων ἀνθρώπων θηριώδης ἐστὶ ἡ Λιβύη. τὰ δὲ καθύπερθε τῆς θηριώδεος ψάμμος τέ ἐστι καὶ ἄνυδρος δεινῶς καὶ ἔρημος πάντων.* Quae plane respondent Virgilianis in Aen. IV, 41: „inhospita Syrtis; Hinc deserta siti regio"; ut illius descriptionem utrique poetae obversatam esse fortasse non temere coniicias.

v. 23. *Dulce ridentem Lalagen amabo,*
*Dule loquentem*] ex Sapph. Fr. 2, 3 sqq.:
*— — — ἁδὺ φωνείσας ὑπακούει,*
*καὶ γελαίσας ἱμερόεν.*
Vide Prooem. p. VII. sq., ubi hoc Latinum iam factnm invenies a Catullo eodem modo „dulce ridentem". Horatius vero pro consilio suo, ut *Λαλαγῆς* nomen iocose redderet in eoque nomine desineret, verborum ordinem invertit, quod idem in Carm. I, 12. init. et alibi saepe fecit. Est autem illud „dulce ridere" Hellenismus celeberrimus, de quo v. Exc. IV, 1. Ut hoc loco subsistamus in verbo ridendi, illustria sunt e Graecis Homer. Il. VI, 484: *δακρυόεν γελάσασα.* Il. II, 270: *ἡδὺ γέλασσαν.* Od. XIV, 465: *ἁπαλὸν γελάσαι.* Od. VIII, 163: *ἀχρεῖον δ' ἐγέλασσεν.* Pind. P. IX, 38: *χλαρὸν γελάσσαις.*[3]) Apoll. Rh. III, 1008: *νεκτάρεον μειδή-*

---

1) Die trägen, starren, untragbaren Flächen des Nordens.
2) Die sonnenverbrannten, glühenden Steppen des Südens.
3) *Χλαρὸν* (= *λιαρὸν*) *γ.*, i. e. *ἡδὺ* s. *ἁπαλὸν γελάσας*, de habitu leniter reprehendentis et absque severitate. Addit enim Pindarus

σασαν alia. Ex Latinis cf. Ovid. A. A. 513: ridenti mollia ride.

## Carm. I, 23.

Principium huius carminis ad Anacreontis exemplum vel expressum vel conformatum esse recte sane observarunt Interpretes inde ab Henrico Stephano, qui primus (ad Anacr. p. 162.) cum his versibus:

*Vites hinnuleo me similis, Chloë,*
*Quaerenti pavidam montibus aviis*
*Matrem non sine vano*
*Aurarum et siluae metu.*

contulit illius Fr. 49. Bergk., 31. Schneidew. p. 355:

*— — οἷά τε νεβρὸν νεοθηλέα*
*γαλαθηνὸν, ὅστ' ἐν ὕλῃ κεροέσσης*
*ἀπολειφθεὶς ὑπὸ μητρὸς ἐπτοήθη.*[1])

Sed num totum odarium e Graeco fluxerit, quae Mitscherlichii

---

ἀγανᾷ ὀφρύϊ,· ut fere idem sit quod Virgilii illud in Aen. I, 255: subridens voltu, quo — serenat (lind anlächelnd).

1) Bergkius in Anacr. Reliqq. p. 162. haec in trimetros Jonicos divisit; qui versus ne manci ab initio essent, iis ἀγανῶς praeposuit ex Schol. Pind. Ol. III, 52: *Τέτακται δὲ καὶ παρὰ Ἀνακρέοντι. Ἀγανῶς οἷά τε κτλ.* Ceteri qui eosdem citant ad unum omnes *Οἷά τε νεβρὸν κτλ.*, omissa illa voce. Hinc Bentleius ad h. l. sic disponit:

*Ἄτε νεβρὸν νεοθηλέα γαλαθηνὸν, ὅστ' ἐν ὕλῃ*
*Κεροέσσης ἀπολειφθεὶς ὑπὸ μητρὸς ἐπτοήθη.*

ut sint duo tetrametri Jonici a minore κατὰ τὸν ἀνακλώμενον χαρακτῆρα, hoc metro:

∪ ∪ — —, ∪ ∪ — —, ∪ ∪ — ∪, — ∪ — ∪
∪ ∪ — —, ∪ ∪ — —, ∪ ∪ — ∪, — ∪ — ∪

cf. Anacr. Fr. 38. Schn. et Munkii „Metrik" p. 123 sq. Quod ipsum nunc Bergkius quoque probare videtur, quandoquidem in Poet. Lyr. Gr. ed. I, p. 677. rescribendum esse suspicatur: *Ἀγανωστὶ . . . . Ἄτε νεβρὸν κτλ.* Ceterum illustris hic locus de cervabus cornugeris apud poetas, acris controversiae caussa fuit inter Aristophanem Byzantium et Zenodotum. Schol. Pind. l. c.: *Ζηνόδοτος δὲ μετεποίησεν Ἐροέσσης, διὰ τὸ ἱστορεῖσθαι τὰς θηλείας κέρατα μὴ ἔχειν, ἀλλὰ τοὺς ἄρσενας. οἱ μέντοι γε ποιηταὶ πάντες κέρατα ἐχούσας ποιοῦσιν·* ideoque saepe citatus antiquitus et nobis servatus.



sententia est, vehementer dubito. „Abhorret enim hoc a consuetudine Horatii, qui exordia carminum, clausulas, sententias cet." Graecis lyricis aliisque scriptoribus repetere solet, non totam unquam argumenti tractationem. Atque hìc quidem praeter initium nihil fere aliunde mutuatus videtur nisi loquendi quasdam formulas Homericas, quibus orationem distingueret. Summa vero poematii festivitas in eo cernitur quod clausula „Atqui non ego te cet." superioribus illis „Vitas me" ita adiuncta est ἐξ ἀπροσδοκήτου, ut subridenti poetae quivis haec legens arridere cogatur, quum iam quid rei sit tanto planius perspiciat. Quod inventionis genus, nisi fallor, ipsius Horatii proprium est. Chloes denique nomen a poeta electum est, quoniam bene congrueret cum natura puellae et aetate. Est enim χλόη idem quod *ποίη νεοθηλής*. cf. Exc. II.

v. 5. sq. *veris inhorruit Adventus foliis*] Iam supra dictum est ad C. I, 3, 36. illustrem hanc et celeberrimam apud Graecos circuitionem esse, qua illi abstracta, quae vocant, per casum genitivum cum concretis arctissime iungere et in unum quasi corpus conflare solerent. Et de hoc quidem loco Bernhardy in Synt. Gr. p. 53. haec adnotat: „Die Augusteischen Dichter haben manches nachgeahmt, besonders Properz, wie amor oder error Herculis; III, 1, 57: Pyramidum sumtus ad sidera ducti [cf. Hor. III, 30, 2: regali situ Pyramidum altius]; Virg. Ge. I, 143: ferri rigor; Aen. XI, 607: adventus virum, wie Hor. C. I, 23: adventus veris, woran Bentley ebenso sehr anstiess als an Tibull. I, 1, 27: canis aestivos ortus vitare." Quid autem? num ver potest intelligi quummaxime adveniens, quum iam adsint folia novella? Immo vero „veris adventus" et Graeco modo dictum est et ex lege sermonis Latini intelligendum ver quod cum Favoniis comitibus et Ornithiis iam advenerit, perfecto adveniendi tempore.[1]) Verte: „ob des Frühlings Dasein durch die Blätter rauscht, ob cet."

v. 8. *genibus tremit*] Nota loquendi formula Homerica: ὑπὸ δ' ἔτρεμε γυῖα (Il. X, 390.); ὑπό τε τρόμος ἔλλαβε

---

1) Sic in Ciceronis Archiana recte legitur „ipsius adventus admiratioque", id est, admiratio illa quam habuit ubique, postquam advenit.

γυῖα (Il. III, 34.), et quum alibi saepe tum de cerva Il. XI, 117:

— αὐτὴν γάρ μιν ὑπὸ τρόμος αἰνὸς ἱκάνει.

v. 9. sq. *non ego te — ut — leo frangere persequor*] Hoc quoque prorsus Homericum est, repetitum vel ex eodem loco Il. XI, 113 sq.:

Ὡς δὲ λέων ἐλάφοιο ταχείης νήπια τέκνα

ῥηϊδίως συνέαξε λαβὼν κρατεροῖσιν ὀδοῦσιν κτλ.

vel ex similibus comparationibus Il. XI, 175 sq. et XVII, 63 sq.: τῆς (βοὸς) δ' ἐξ αὐχέν' ἔαξε-πρῶτον. De structura autem, quae in controversia versatur, vid. Exc. IV, 4. §. 3.; hic vero notandum, vel ex Homericis exemplis apparere te non ex persequendi, sed ex frangendi verbo pendere.

v. 12. *Tempestiva — viro*] idem quod matura viro (Virg. Aen. VII, 53.); opp. altera ex parte cruda marito (C. III, 11, 12.), immitis uva (C. II, 5, 10.), ex altera autem uvis passis aridior (ut Lucilius ap. Non. I, 38.; cf. Claudian. in Eutrop. Lib. I, v. 111. „passa rugosior uva"), omnia de Graecis. Sic enim illi, ducta quum ab aliis fructibus tum ab uvis similitudine, Herod. I, 107: ἀνδρὸς ὡραίην, id. I, 196.: γάμων ὡραῖαι, et Aristoph. Eccl. 896: ἐν ταῖς πεπείροις, i. e. in maturis puellis; tum de puella nondum nubili s. immatura ὄμφαξ, et de exsucca ac vieta ἀσταφίς. Anthol. Gr. II, 289. Br.: εἴη μήτ' ὄμφαξ, μήτ' ἀσταφίς· ἡ δὲ πέπειρος Ἐς Κύπριδος θαλάμους ὥρία καλλοσύνη. Hinc Horatius etiam absolute nec sine grato verborum lusu C. III, 19, 27.: Tempestiva petit Rhode, id est, ὡραία Ῥόδη s. Ῥοδεία, cuius „rubeant labra rosis." Vide omnino Mitscherl. ad C. II, 5, 9. sqq. et Jacobs. ad Anth. Gr. l. c. T. IX, p. 331. et T. VIII, p. 14. (ὡραίους θαλάμους, i. e. ὡραίων), et confer etiam quae de venusta translatione verbi carpendi dicta sunt ad C. I, 11, 8.

## Carm. I, 24.

Praeclarum hoc carmen lugubre (μέλος θρηνητικὸν sive θρηνώδης ᾠδή), de morte Quintilii Vari Cremonensis (C. I, 18, 1. A. P. 438.) ad Virgilium datum[1]), ut non potest in

1) Franke F. H. p. 164: „a. 730 conscriptum est, siquidem Quintilius idem est, de quo Hieron. Chron. Euseb. ad Ol. 189. (a. u. c. 730. 24. a. Chr.) haec prodidit: Quintilius Cremonensis, Virgilii et Horatii familiaris, moritur."



dubium vocari quin ab ipsa „benigna vena ingenii" Horatiani profluxerit, ita „Graiae tenui spiritu Camenae" totum imbutum ac temperatum esse quivis facile concedet, qui modo paulo accuratius inspexerit. Poeta enim quum nuperum communis amici decessum deplorandum atque consolandum sibi proposuisset, id scilicet ante omnia spectavit, ut iustissimo Virgilii, Quintilio coniunctissimi, dolori dignissimis et verbis et sententiis responderet. Itaque tralaticio ac sollemni more a Musarum invocatione exorsus tragoediae potissimum Musam in partes vocat rogatque deam, ut se dignam naeniam docere atque adeo ipsa sibi praeire velit: in his veterum Lyricorum ex iisque, nisi fallor, Stesichori exemplum secutus (v. 2. sqq.) Deinde postquam exstincti amici singulares virtutes dulcissimo moerore descripsit, iam ipsum Virgilium appellans eum praeter cetera Euripidis verbis (v. 9. sqq.) et Homeri (v. 15. sqq,) consolatur; denique in sententia acquiescit et sapientissima et quum aliorum tum vero eiusdem Euripidis dictis celebratissima. Dicit enim fatales calamitates patienter ferendas atque ipsa patientia levandas esse, quoniam non modo irritum sed nefas putandum sit hominibus deorum decreta corrigere velle (v. 19. sq.). Eandem fere sententiam Virgilius suam fecerat et in Aeneide inseruerat hoc modo:

Nate Dea, quo fata trahunt retrahuntque sequamur;
Quidquid erit, superanda omnis fortuna ferendo est.[1])

Itaque et ipsius quodammodo sententia afflictum amicum nunc consolatur Horatius, et eorum potissimum verbis alloquitur, quibus non graviores illi aut acceptiores auctores afferre potuit. Novimus enim praecipuum Virgilii studium Homeri ex ipsius carminibus, in quibus haec ipsa quoque Latinis versibus

1) Ea de re Donatus in Vit. Virg. §. 75. haec scribit: „Solitus erat dicere; Nullam virtutem commodiorem homini esse patientia, ac nullam asperam adeo esse fortunam, quam prudenter patiendo vir fortis non vincat. Quam sententiam in quinto Aeneidos [v. 709. sq.] inseruit: Nate dea cet." Quae unde sumpta sint, Donatus nescit, nec tamen dubito quin ipse quoque Virgilius ex Graecorum studiis hauserit. Vide infra.

illustraverat; de Euripide autem Donatus refert quod ipsum per se satis credibile est illius sententiis ita fuisse deditum, ut semper in ore haberet.[1])

v. 2. *cari capitis*] Usitata Graecis loquendi formula, qua ipsum hominem cum intimo caritatis sensu dicunt, ut iam Homerus Il. VIII, 281: *Τεῦχρε, φίλη κεφαλή.* Il. XVIII, 114. ait Achilles: *Νῦν δ' εἶμ', ὄφρα φίλης κεφαλῆς ὀλετῆρα κιχείω Ἕκτορα.* Unde traditam acceperunt Tragici. Eurip. Rh. 903: *ὦ φιλία φιλία κεφαλὰ, τέκνον, ὤμοι.* Soph. Ant. 1. 899. 915: *ὦ κασίγνητον κάρα*, et alibi. Contra exsecrantis sunt *μιαρὰ κεφαλή, ὦ κακαὶ κεφαλαί* cet. De Latinis imitatoribus v. Burm. ad Propert. II, 18, 86. Virgilius autem v. c. in Aen. IV, 613: Infandum caput.

— *Praecipe lugubres cantus, Melpomene*] Quum vulgo explicarent „Tu me doce, o Melpomene, lugubres cantus, dum eos praeis, ut mortem Quintilii digno carmine defleam", de sententia huius loci longe alio modo exposuit Godofr. Bernhardy in cens. rec. Peerlkampii[2]), et ita quidem ut Apollonii verba in exordio Argonauticorum:

*Νῦν δ' ἄν ἐγὼ γενέην τε καὶ οὔνομα μυθησαίμην*
*ἡρώων, δολιχῆς τε πόρους ἁλὸς, ὅσσα τ' ἔρεξαν*
*πλαζόμενοι· Μοῦσαι δ' ὑποφήτορες εἶεν ἀοιδῆς.*

id est, „Musae vero hos cantus hominibus interpretentur s. praecipiant", et consimilem Catulli locum Carm. LXVIII, 45. seqq. Horatio obversata esse statueret. Quae si Horatius secutus est, sic prorsus interpretandum videtur: „Non possum reticere, deae, quanto in moerore et luctu sim tam cari capitis desiderio: sed dicam vobis, vos porro haec dicite

1) Vit. Virg. §. 66: „Eius bibliotheca non minus aliis doctis patebat ac sibi illudque Euripidis antiquum saepe usurpabat [Or. 735] *Τὰ τῶν φίλων κοινά*". Adde §. 72. sqq.

2) „Die Verehrer des Dichters werden dem Leidener Herausgeber zürnen, dass dieses Gedicht seinen kunstreichen Anfang verlieren und mit einem stürmischen Ergo anheben solle, weil Peerlkamp praecipe nicht verstand: Aufforderung an die Muse, dieses Lied vielen Tausenden zu verkünden (cf. Ovid. Trist. II, 364, Catull. 68, 45: sed dicam vobis, vos porro dicite multis Millibus) nach Apollon. I, 22."



multis millibus, quo fama mortui in omnibus locis magis atque magis notescat." Ita enim fere Catullus. Haec igitur interpretatio initio quidem adeo probata mihi fuit, ut unice veram esse arbitrarer. Nam et ingeniosa mihi videbatur et ita comparata erat, ut optima sententia inde existeret, et plurimum, uti par fuit, summi viri auctoritas apud me valebat. Sed postquam exemplaria Graecorum quae Noster solet sequi consului, sententiam mutavi. Nam ut mittam hoc ipsum multis millibus vel simile quippiam in Horatii verbis desiderari, nec ex Ovidii loco, Trist. II, 364.[1]), quicquam aliud grui posse quam quod satis constat illud Musa praecipit cantum idem esse quod „mandat, tradit, docet cantum re ante praemonstrata": ea quae iam sequuntur

v. 3. sq. *cui liquidam pater Vocem cum cithara dedit*, quum caussam adiiciant et manifestam veterum Lyricorum imitationem prodant, facili coniectura adducimur ut credamus etiam haec ipsa de quibus agitur Praecipe lugubres cantus aut ab iisdem aut ab Homero potius quam ab Apollonio et Catullo repetenda esse. Procul dubio enim in epitheto liquidam hos ipsos auctores sequitur, quum iam Homerus sic, Od. XXIV, 62: *τοῖον γὰρ ὑπώρορε μοῦσα λίγεια*, cll. Hymn. Hom. XVII, 1: *ἀείσεο, Μοῦσα λίγεια*, itemque saepe Lyrici vetustiores dicant de „acuta voce" Musarum *ἀρχεσιμόλπων*, vid. Alcmanis frr. 7. 47. ap. Schneidew. Sed inprimis huc pertinere videtur Stesichori Fr. 17. Schn. p. 333:

*Ἄγε Μοῦσα λίγει', ἄρξον ἀοιδᾶς, ἐρατῶν ὕμνους*
*Σαμίων περὶ παίδων ἐρατᾷ φθεγγομένα λύρᾳ,*

et eiusd. Fr. 18.: *Δεῦρ' ἄγε Καλλιόπεια λίγεια.*
Unde fluxit etiam Carm. III, 4. initium: dic age tibia Calliope melos cet. Platonis autem ille locus in Phaedr. p. 237. A.: *Ἄγετε δή, ὦ Μοῦσαι, εἴπερ δι' ᾠδῆς εἶδος λίγειαι, εἴτε διὰ γένος μουσικὸν τὸ Λιγύων*[2]) *ταύτην ἔσχετ' ἐπωνυμίαν,*

1) Quid nisi cum multo Venerem confundere vino
Praecepit Lyrici Teia Musa senis?
Lesbia quid docuit Sappho nisi amare puellas?

2) Heindorfius hoc *γένος μουσικὸν τὸ Λιγύων* ad canoros illos apud Ligures cygnos refert, de quibus veteres multa fabulabantur. Alii ipsam gentem Ligusticam intelligi malunt, quae can-

ξύμ μοι λαβέσθε τοῦ μύθου, quum Socraticae irrisionis plenus sit, si non ipse quoque ex vetustiore aliquo poeta expressus est, eundem certe colorem refert. Videlicet hoc proprium ac perpetuum cognomen invenerant Musae λίγειαι s. argutae (C. IV, 6, 25. coll. Epist. II, 2, 90.), quibus Juppiter ipse hanc facultatem tribuisset. Sic Alcm. Fr. 28: Μῶσ' ἄγε, Καλλιόπα, θύγατερ Διὸς, Ἄρχ' ἐρατῶν ἐπέων κτλ.

Ac praecipuas Musarum λιγειῶν partes fuisse in lugubribus naeniis docet iam Homeri locus ex Odyss. supra citatus. Nam quae ibi memoratur μοῦσα λίγεια est lamentabilis et acuta cantio Musarum Achillem lugentium et ceteris mulieribus praecinentium. Idque apertius arguit Homeri Scholiastes ad Il. Σ. vs. 570:[1]) ἐστι δὲ μέλος θρηνητικὸν ὁ λίνος μετ' ἰσχνοφωνίας ᾀδόμενος. — ἐθρηνεῖτο γὰρ οὗτος (ὁ Λίνος) παρὰ τῶν Μουσῶν οὕτως· „ὦ Λίνε θεοῖς τετιμημένε, σοι γὰρ πρώτῳ μέλος ἔδωκαν ἀθάνατοι ἀνθρώποισι φωναῖς λιγυραῖς ἀείσαι· Φοῖβος δέ σε κότῳ ἀναιρεῖ, Μοῦσαι δέ σε θρηνέουσιν.“ Vides λίνον quoque de eiusmodi lugubri cantu dictum, qui tenui voce canebatur et cuius etiam, quam Lino heroi mortuo cecinerunt Musae, formula profertur. Addit Scholiastes priscum illud in Linum carmen, cuiusmodi carmina λινῳδίας dixerunt, ad Orpheum poetam referri[2]). Confer etiam Theocr. Adoniaz., Id. XV, 135: λιγυρᾶς ἀρξώμεθ' ἀοιδῆς. Nam ibi quoque lugubre canticum dicitur, quod continuo cantrix sic praeit mulierum choro repetendum: Ἔρπεις, ὦ φίλ' Ἄδωνι, κτλ. Denique Stesichori Fr. 17., quod Horatio h. l. et C. III, 4. observatum esse suspicor, ipsum quoque exordium est „lugubris cantus“ in Rhadinam puellam et Leontichum, eius amatorem, infelicissimi amo-

---

tionibus unice dedita ex arte nomen traxerit ac prope fabula facta sit. Hoc Stallbaum comprobat, ut insit stridulae loquacitatis notatio.

1) τοῖσιν δ' ἐν μέσσοισι πάις φόρμιγγι λιγείῃ
ἱμερόεν κιθάριζε, λίνον δ' ὑπὸ καλὸν ἄειδεν
λεπταλέῃ φωνῇ κ.τ.λ.

2) De vera ratione lini carminis et Lini herois vid. Lobeck. Agl. p. 822 et Bernhardy. Hist. lit. Gr. T. I, p. 204. ed. alt.



ris documenta, quum a Corinthi tyranno interfecti essent: quod prodiderunt Strabo VIII, 347. et Pausan. VII, 5, 6.

Referunt autem poetae vel meminerunt (sic enim simulant, v. Virg. Ecl. VII, 19 sq.), quae Musae ipsos docuerunt, v. Hom. Od VIII, 480 seq., XXII, 347 sq. et Theocr. Hymn. in Diosc., Id. XXII, 221: Ὑμῖν δ' αὖ καὶ ἐγὼ λιγειῶν μειλίγματα Μουσῶν, Οἷα αὐταὶ παρέχουσι — τοῖα φέρω.

Denique ex iis omnibus quae vidimus intelligetur Horatium h. l. rogare Musam liquida voce praeditam, ut sibi praecinat flebilem cantum vocemque fidibus iungat. „Praecipe, inquit, cantum, Melpomene, quem ego docilis percipiam (A. P. 336.), dic modos, quos quum ego referam homines aures mentesque applicent (C. III, 11, 7.). Nam vobis, pergit dicere, o Musae argutae, hunc ipsum cantum in hoc praesertim lugubri genere carminum cum fidibus canoris (C. I, 12, 11. φόρμιγγι λιγείῃ) pater dedit.“ Cfr. C. I, 26, 8.

Ceterum Latine iam dixerat Lucretius IV, 981. „liquidum citharae carmen“ (λιγυρὰν ἀοιδὰν Theocr. XVII, 113., οἶμον λιγὺν Pind. O. IX, 47.) et idem ib. 552. „liquidam cygni querelam“ (Aeschyl. Ag. 1146: λιγείας ἀηδόνος.); et Virg. Buc. VII, 24. argutam fistulam.

v. 5. *perpetuus sopor*] Item longum somnum appellat mortem C. III, 11, 38., ut Moschus in Epitaphio Bionis Id. III, 110: ἄμμες — Ὁππότε πρᾶτα θάνωμες, ἀνάκοοι ἐν χθονὶ κοίλᾳ Εὕδομες εὖ μάλα μακρὸν ἀτέρμονα νήγρετον ὕπνον, id est, tum nos longus atque adeo infinitus sopor urget. Tritissimae comparationis auctor iam exstitit Homerus Il. XI, 241: κοιμήσαιο χάλκεον ὕπνον Οἰκτρός. Quod Virgilius Latinum fecit Aen. X, 745: ferreus urget Somnus.

v. 6. *Iustitiae soror*] Virtutes sorores Pindaro quoque in simili dicto Ol. XIII, 6. (v. Orell.); sed illa stirpis prosopopoeia tam late patet per utramque linguam et latius per Latinam propagata est, ut vix liceat affirmare hunc vel illum locum ad certum aliquod exemplum expressum videri, planeque inutile sit quaerere, quinam omnes e Graecis Αἰδῶ, Δίκην, Πίστιν, Ἀλήθειαν personas fecerint et quo quamque cognationis vinculo cum aliis coniunxerint. Ac Fidei quidem iam Numa sollemne instituit, Livio auctore I, 21. §. 4., et omnes

virtutes perinde atque cupiditates omnes sorores ac sociae iam Ciceroni Parad. VI, 1., or. in Cat. II, 11, §. 25. (Peerlkamp.)

v. 9 sq. *Multis ille bonis flebilis occidit,*
*Nulli flebilior quam tibi, Virgili.*] Cum his confer Euripidis ex Alcest. v. 264: (ὁδὸν προβαίνεις)
οἰκτρὰν φίλοισιν, ἐκ δὲ τοῖς μάλιστ' ἐμοὶ
καὶ παισὶν, οἷς δὴ πένθος ἐν κοινῷ τόδε
His enim versibus Admetus Alcestidem suam, quae se pro ipso voluntariae morti obtulerat, iamiam moribundam alloquitur; deinde eius interitum ita deflet, ut nihil miserabilius fieri possit, nec ullo pacto eius dolor placari queat priusquam Hercules, ut est in fabulis, amici vicem miseritus ad inferos descendit et optimam coniugem ab Orci faucibus creptam ipsi restituit. Quae Horatio obversata esse, ut praetermittam manifestam verborum similitudinem, hoc etiam mihi persuasit, quod et locus celeberrimus fuit et plurima eiusdem fabulae imitatio apud eundem. Cfr. ad v. 13. et vide omnino Prooem. p. XV. seqq. Quid quod Horatius etiam in ipso dicendi genere Euripideum colorem consulto ita servavit, ut quilibet agnoscere posset? Ita enim ille loqui solet, velut in Andr. 141. ubi chorus: οἰκτροτάτη γὰρ ἔμοιγ' ἔμολες, γύναι Ἰλίας, οἴκους. vel in Hipp. 1398., ubi morienti Hippolyto sic Diana: ἐμοὶ γὰρ δύσποτμός γ' ἀπόλλυσαι, hoc est, nam mihi tristi sane morte peris, vel ut Horatius „flebilis occidis“. Haec quidem, si Valckenario credimus, a priore manu poetae; postea vero, quum eandem fabulam iterum doceret, rescripsit ἀτάρ μοι προσφιλὴς ἀπόλλυσαι: quae nunc vulgo leguntur.

v. 11. *frustra pius*] Ad sententiam faciunt Eurip. Alc. 985 seq. et Herc. f. 297 seqq., cll. Hor. C. IV, 7, 23 seq., Epist. I, 14, 6 sq. et Virg. Aen. VI, 405.

v. 13. sq. *Quid si Threicio blandius Orpheo*
*Auditam moderere arboribus fidem?*][1]) Euripides in Alc. nonnullis interiectis Admetum sic pergentem facit v. 357:

1) Quid si— —fidem? num cet. ex optimis Codd. legendum esse comprobat Bernhardy in cens. ed. Orell.: „Quid si c. Coni.



Εἰ δ'' Ὀρφέως μοι γλῶσσα καὶ μέλος παρῆν,
ὥστ' ἢ κόρην Δήμητρος ἢ κείνης πόσιν
ὕμνοισι κηλήσαντά σ' ἐξ Ἅιδου λαβεῖν,
κατῆλθον ἄν κ.τ.λ.
Idem eodem fere modo in Iph. A. 1211 — 1214. similiterque in Bacch. 551 sq., in Med. autem sic v. 543: Ὀρφέως κάλλιον ὑμνῆσαι μέλος: e quibus omnibus vere videor mihi persuasisse Horatium ut in superioribus sic in his quoque Euripidem secutum inde potissimum celebratum illud Ὀρφέως μέλος ad Virgilium transtulisse, qui nuper in extremis Georgicis Orphei descensum ad inferos et „miserabile eius carmen de rapta bis coniuge“ Latinis versibus illustrasset. Hinc etiam blandiendi caussa Graecam formam adiectivi Θρηΐκιος propter sonum suavem ac leniter defluentem Latinae (C. I, 25, 11: Thracio vento) praetulit, ut Epod. 13, 3.

v. 15. *vanae imagini*] Recordare Homericas illas animas et umbras in Orco volitantes, quae quum succo et sanguine careant tum etiam sensuum et consiliorum expertes sunt. Il. XXIII, 72: ψυχαὶ, εἴδωλα καμόντων, ibid. 104: ψυχὴ καὶ εἴδωλον, ἀτὰρ φρένες οὐκ ἔνι πάμπαν. Od. XI, 476: νεκροὶ Ἀφραδέες — βροτῶν εἴδωλα καμόντων. Adde Od. X, 521. et XI, 29: νεκύων ἀμενηνὰ κάρηνα, cll. v. 393; X, 495: τοὶ δὲ σκιαὶ ἀΐσσουσιν, cll. XI, 207: μητρὸς ἐμῆς ψυχὴ — σκιῇ εἴκελον ἢ καὶ ὀνείρῳ, Ἔπτατ'· cuius rei caussa affertur ibid. v. 219 sqq. Quae quum multi quasi certatim et multiplici imitatione expresserunt scriptores Latini, tum eo potissimum quo Horatius modo Lucret. IV, 39: simulacraque luce carentum, itemque Virg. Ge. IV, 472: umbrae ibant tenues simulacraque luce carentum; id Aen. VI, 292: tenues sine corpore vitas — cava sub imagine formae; ibid. 401: exsangues umbras; denique Ovid. F. V, 463: elapsa rogi flammis et inanis imago. Est igitur vana imago Horatio idem quod Homeri illud εἴδωλον καμόντος vel ψυχὴ, σκιῇ εἴκελον ἢ καὶ ὀνείρῳ, umbra et imago, inane corporis simulacrum, non ipsum corpus sed ludibrium quoddam, vel ut Virgilius eadem ipsa vertit in Aen. II, 795:

in halblaut hingeworfenen Hypothesen, s. Burm. in Anthol. Lat. T. II, p. 271.“ Cfr. Hor. C. III, 9, 17. Sat. II, 3, 159. 219. 7, 41.

„imago Par levibus ventis volucrique simillima somno.“ Cfr. ad C. I,4, 17. et C. I, 10, 18.

v. 16. *virga horrida* Mercurii ψυχοπομποῦ eadem est quae aurea illa, de qua vidimus ad C. I, 10, 18; horrida vero h. l. dicitur propter mortis et Orci atrocitatem (vid. Hom. Il. XX, 65. cll. Virg. Aen. VIII, 245.). Ita iam Hom. Il. V, 47. στυγερὸς σκότος, de mortis umbra. Adde Aeschyl. Sept., 335: διαμεῖψαι στυγερὰν ὁδόν, i. e. tristem istam ingredi viam s. „calcare viam leti.“ Tum Leonidae Tar. Ep. 59,2. in Br. Anal. I, 235: ὀκρυόεσσα βᾶρις, de cymba Charontis. Denique Pindarus, quem Orellius comparat, virgam hanc Diti Patri ipsi tribuit vocatque ἀκινήταν ῥάβδον, Ol. IX, 33. D.: οὐδ' Ἄιδας ἀκινήταν ἔχε ῥάβδον, Βρότεα σώματ' ἃ κατάγει κοίλαν πρὸς ἀγνιὰν Θνασκόντων. Cfr. Propert. II, 20, 72: tristia vela ratis; Virg. Aen. I, 547: crudelibus occupat umbris, cll. Hor. C. II, 3, 24: victima nil miserantis Orci. Vid. omnino Exc. IV, 4. Append.

v. 17. *Non lenis precibus*] est Homeri illud Il. IX, 158:

Ἄιδης τοι ἀμείλιχος ἠδ' ἀδάμαστος.

Cfr. Aeschyl. Fr. Niob. 147, 1. D. (168. Herm.): Μόνος θεῶν γὰρ Θάνατος οὐ δώρων ἐρᾷ· quod ipsum quoque dictum saepe usurpatum esse veteribus Aristophanes in Ranis v. 1392. et Scholiastae testantur (vid. Herm.). Adde Virgilii illud Ge. IV, 470. ab eodem Homero translatum: Nesciaque humanis precibus mansuescere corda. Horatius vero, quod alibi ipse quoque „Regi horrendo“ vel eius satelliti aut ianitori tribuit, h. l. in Mercurium confert, quippe illorum vices nunc occupantem, quo magis formidabilis appareat.

— *fata recludere*] De infinitivi ratione vid. Exc. IV, 4. §. 2. Cogitat autem poeta, si quid video in loco difficili, quem leviter tangunt Interpretes, Euripidis verba in Alc. v. 259: ἄγει μέ τις νεκύων ἐς αὐλάν — πτερωτὸς Ἄιδας, [1]) hoc loco ut alibi secutus, de aula illa, qua nos mortui includimur omnes (C. II, 18, 31. III, 11, 15.): sed pro loco ubi versantur mortui fata posuit ad eiusdem Euripidis exemplum, cui Orcus est ὅρος κείμενος fr. 108, 4. Hinc illa „rapacis

1) Hoc est „volucre Fatum“ Horatii C. II, 17, 24., coll. Sat. II, 1. 58.



Orci finis destinata“ ap. Hor. C. II, 18, 30. [1]) Est igitur: „Non exorabilis deus ut nobis fata recludat: ut nos, quum semel occiderimus fatis perfuncti (Epod, XVII, 62; C. II, 13, 16.), aula sua ac dicione reclusa in hanc lucem remitti patiatur.“ [2]) Hoc pro more suo imitatus videtur Propertius II, 15. extr.:

Sic nobis, qui nunc magnum speramus amantes,
Forsitan includet crastina fata dies.

coll. eiusd. El. IV, 11, 2 sqq.:

Panditur ad nullas ianua nigra preces.
Quum semel infernas intrarunt funera leges,
Non exorato stant adamante viae.

ubi pro fatis „ianuam nigram“ dicit et mox etiam „fuscam aulam“ Orci commemorat: quum volgarius sit ianua leti. Vid. Hertzberg., qui ex Ovid. Trist. 111, 2. extr.: mei interitus fores, et plura ex Graecis profert de adamantina ianua Orci.

v. 18. *nigro gregi*] Ut omnia apud inferos tristia et nigra sunt, ita ipsi quoque manes ἀμαυροὶ νέκυες Sapphoni (vid. ad C. I, 4, 17.), quoniam quam incolunt „domus Plutonia“ luce caret, situ tenebrisque obsita est. Vid. Hom. Od. X, 512., XI, 57., Il. XX, 64 sq.: quae reddit Virg. Aen. VI, 462., Ge. IV, 468., Aen. VIII, 242 sqq. Cfr. Prop. l. c. IV, 11, 2. et v. 5. Grex autem mortuorum est Homeri illud Od. XI, 34. 638: ἔθνεα νεκρῶν. Cfr. Silius It. XIII, 524: „Hic tenebras agitant volitantque per umbras Innumeri quondam populi.“

v. 19. *Durum: sed levius fit patientia,*
*Quidquid corrigere est nefas.*] Erat Graeco-

1) Operae pretium est Graeci poetae verba subiicere, quoniam sic demum Horatii locum, quae est crux Interpretum, plane perspicias. Sunt autem haec:

Ὦ πολύμοχθος βιοτὰ θνητοῖς,
— — — — — —
— — — — — —
κοὐκ ἔστιν ὅρος κείμενος οὐδεὶς,
εἰς ὅντινα χρὴ τελέσαι θνητοῖς,
πλὴν ὅταν ἔλθῃ κρυερὰ Διόθεν
θανάτου πεμφθεῖσα τελευτή.

2) „Unerbittlich des Schicksals eherne Pforten wiederaufzuschliessen“, d. i. des nus gesetzten Zieles, des Todes.

rum sententia in consolando sollemnis, veterum poetarum dictis ad posteritatis memoriam consecrata, et inchoata quidem ab Homero, perfecta a tragicis. Praecivit igitur iam Homerus Il. XXIV, 49:

*Τλητὸν γὰρ Μοῖραι θυμὸν θέσαν ἀνθρώποισιν.*

Hunc secutus Archilochus Fr. 48. Lieb., 8. Schn. p. 174:

*Κήδεα μὲν στονόεντα* [1]) — — —
— *ἀλλὰ θεοὶ γὰρ ἀνηκέστοισι κακοῖσιν,*
*ὦ φίλ', ἐπὶ κρατερὴν τλημοσύνην ἔθεσαν*
*φάρμακον.*

Tum tragici poetae sententiam traditam suo modo exornarunt, quum fati necessitatem et divinam voluntatem iustas patientiae caussas adderent. Ita iam Aeschylus in Prom. 103:

(*τὸ πῆμα στενάχω*)· *τὴν πεπρωμένην δὲ χρὴ*
*αἶσαν φέρειν ὡς ῥᾷστα, γιγνώσκονθ' ὅτι*
*τὸ τῆς ἀνάγκης ἔστ' ἄδηριτον σθένος.*

Accessit Sophocles in Terei Fr. 521. D.:

*Ἀλγεινά, Πρόκνη, δῆλον· ἀλλ' ὅμως χρεὼν*
*τὰ θεῖα θνητοὺς ὄντας εὐπέτως φέρειν.*

Euripides vero quum alibi saepe tum in Hel. 252., ubi chorus Helenae:

*Ἔχεις μὲν ἀλγεῖν', οἶδα· συμφέρον δέ σοι*
*ὡς ῥᾷστα τἀναγκαῖα τοῦ βίου φέρειν.*

respondet haec v. 268: *ὅστις μὲν οὖν* — — —
*πρὸς θεῶν κακοῦται, βαρὺ μέν, οἰστέον δ' ὅμως.*

et in Or. 1023:

— — *οἰκτρὰ μὲν τάδ', ἀλλ' ὅμως*
*φέρειν ἀνάγκη τὰς παρεστώσας τύχας.*

et in Phoen. 1762:

*ἀλλὰ γὰρ τί ταῦτα θρηνῶ καὶ μάτην ὀδύρομαι;*
*τὰς γὰρ ἐκ θεῶν ἀνάγκας θνητὸν ὄντα δεῖ φέρειν.*

et in Andr. 1269:

— — — — *τὸ γὰρ πεπρωμένον*
*δοκεῖ σ' ἐκκομίζειν· Ζηνὶ γὰρ δοκεῖ τάδε.*

Quae si cum Horatianis comparamus, ante omnia in oculos incurrit haec ita plane conformata esse, quemadmodum modo apud poetas Graecos legimus, ut quum de Graeca eorum

1) Hom. Od. IX, 12.



origine non amplius dubitare possimus, tum illud etiam plane perspiciamus, quam prave nonnulli nefas interpretentur „*ἀδύνατον.*“ Cfr. ad C. I, 11. init. et Epod. XVII, 69: „sed vetant leges Jovis.“ Jam vero si de auctore quaerimus, Archilochi locus, quem Jacobsius ad Anthol. Gr. T. VI. p. 149. cum Horatio comparavit, non plenam sententiam continet. Deest enim, quod post Tragicos deesse non debuit nec omisit Horatius, fas deum. Quodsi illius sententiam secutus est Horatius, certe cum Tragicorum dictis coniunxit; ex his autem Euripidem malim quam Sophoclem Nostro obversatum esse, quoniam ille princeps sententiarum parens et erat et habebatur ab omnibus, nec ab aliis magis quam ab Horatio. Vid. Prooem. p. XVI sqq. Ac de Virgilio supra vidimus quantum satis est. Itaque nisi me omnia fallunt, hoc fere dicit Horatius: „Si Graecum poetam audimus, cuius sententias tu ipse quoque vehementer comprobas, Virgili, durum hoc sane est, sed tamen fatalia tanquam deorum decreta patienter ferenda sunt; patientia vero optima malorum medicina.“ Sunt in isto quidem genere diiudicationis arbitraria pleraque et incerta, sed aliquid tamen ad veritatem proficere possumus comparationis diligentia et exemplorum similitudine. Ut igitur h. l. Virgilium, ita in splendido exordio Carm. II, 3. Dellium et in exitu Carm. IV, 12. eundem Virgilium verbis alloquitur Euripideis, petitis ex Iph. A. vs. 919 sqq. et vs. 924 sq. [1]),

1) Sic enim Achilles ibi grandem orationem suam exorditur:
*Ὑψηλόφρων μοι θυμὸς αἴρεται πρόσω,*
*ἐπίσταται δὲ τοῖς κακοῖσί τ' ἀσχαλᾶν*
*μετρίως τε χαίρειν τοῖσιν ἐξωγκωμένοις.*
cf. Fr. inc. 170. D. (Prooem. p. XVI.)
Horatii autem verba sunt hoc modo C. II, 3.
Aequam memento rebus in arduis
Servare mentem, non secus in bonis
Ab insolenti temperatam
Laetitia, moriture Delli
Pergit Achilles ibidem paucis versibus interiectis:
*Ἔστιν μὲν οὖν ἵν' ἡδὺ μὴ λίαν φρονεῖν,*
*ἔστιν δὲ χὤπου χρήσιμον γνώμην ἔχειν·*
quae magis, ut opinor, respondent Horatianis C. IV, 12:
Misce stultitiam consiliis brevem:
Dulce est desipere in loco.

non ita profecto facturus, si illa amicis „doctis sermones utriusque linguae“ aut ignota aut ingrata fuissent. Silent Interpretes Horatii ad utrumque locum vel proferunt „quae nihil attinent“ ad consilium poetae: et in altero tamen loco eos melius docere potuit Seneca de Tranq. An. 15: „Si Graeco poetae credimus, aliquando et insanire iucundum est.“ Ita enim scriptores Latini saepissime de Euripide, cuius ab „ore rotundo“ pleraque id genus repetere consueverunt.

## Carm. I, 25.

In hoc carmine, ut in Od. III, 10., poeta ad genus carminum respexit, quae Graeci *παραχλαυσίθυρα* vocabant (v. vs. 7 seq.). De argumento eorum fortasse sufficiant, quae Mitscherlichius paucis adnotat: „Solebant iuvenes noctu ad puellarum fores excubare (*θυραυλεῖν*), de duritie puellae queri (*ἄδειν τὸ παραχλαυσίθυρον*), querelis convicia admiscere, vi denique aditum sibi facere.“ Qui plura desiderat, is adeat doctam Ruhnkenii notam ad Tim. p. 145. et Interpretes ad Aristoph. Eccles. 960 — 976. et ad Theocr. Id. III. et XXIII., quae iusta *παραχλαυσίθυρα* sunt, quum Horatiana non eo consilio efficta esse appareat, ut ab ipso aliove decantarentur. Ceterum eam rem iam satis longo tempore a Graecis in Romanos mores translatam fuisse Plauti exemplum probat in Curc. I, 2, 60.

v. 3 sq. *amatque Ianua limen*] Ianua tenaciter servat sive urget limen, quasi amplexa teneat, Graece *φιλεῖ τόν βηλόν*. Callim. Ep. 40: *ἡ μίτρη μαστοὺς ἐφίλησε*. Theogn. 352: *Ἀ δειλὴ πενίη — μὴ δή μ' οὐκ ἐθέλοντα φίλει*. Sic saepius Virgilius amare litus, focos: nos similiter unzertrennlich sein. Vid. Wernsd. in Rutil. Itin. I, 522. et Mitscherl. ad h. l.

v. 11 sqq. *Thracio bacchante magis* cet.] Post omnia tamen, quae a recentioribus interpretibus in hunc locum scripta legi, unus Mitscherlichius mihi videtur rectum vidisse. Nam non dubito, quin Horatius ante oculos habuerit Ibici

quam aut Calliae Comici aut Menandri illa in Mein. Fragmm. Com. Gr. p. 949., quamquam huius quoque quae afferunt (v. Orell.) ex eodem Euripide adumbrata videntur.



Regini carmen, in quo item furor Amoris cum tempestate Thracii Borcae comparatur, Fr. 1, 6 sqq. Schneidew. p. 337:

— — — — — *ἐμοὶ δ' Ἔρος*[1])
*ὀνδεμίαν κατάκοιτος ὥραν, ἄθ' ὑπὸ στεροπᾶς φλέγων*
*Θρηΐκιος Βορέας, ἀΐσσων παρὰ Κύπριδος ἀζαλέαις*
*μανίαισιν*
*ἐρεμνος*[2]), *ἀταρβὴς*[3]) *κραταιῶς παιδόθεν*[4]) *φυλάσσει*
*Ἀμητέρας φρένας.*

Quod unum si interim concesseris, Horatio Ibyciam imaginem obversatam fuisse, iam mutata distinctione cetera omnia necessario sic expedienda erunt: „Misere excruciabere, o Lydia: quum magis etiam quam Thracius ventus, quando vehementissime furit, amor tibi et libido circa iecur saeviet“. Ita magnus Bentleius et Horatius optime conciliantur, ut non opus sit illius coniectura bacchata, h. e. „quum tu magis bacchabere quam ventus Thracius sub interlunia“. Nam etiam sic omnia plane sibi constare videas, siquidem poeta primum aestum Amoris cum impetu Boreae comparat, deinde ipsam Lydiam, furiatam illam libidine et per angiportus cursitantem, cum equa confert amoris aestu incensa, quas verni afflatu venti furiari (*ἐξανεμοῦσθαι, ἱππομανεῖν*) posse veteres credebant (Virg. G. III, 272 sqq. ibique Servius). At vero saepe imitatus est Ibycum poetam: compara C. IV, 1, init. cum Ibyci fragm. 2. Schneidew., unde etiam equum Ibycium transtulit Epist. I, 1, 8; porro Epist. I, 6, 38 cum Fragm. 4, 3., et quod gravius etiam in hac re momentum esse debet, hoc ipsum Fragm. 1. iterum respexit in sententiarum conformatione

1) In antegressis poeta dixerat: „Verno tempore omnia laetissime efflorescunt“; iam pergit dicere: „mihi autem perpetua quaedam hiems atque procellae creantur per Amorem nullo tempore cessantem.“

2) *ἐρεμνός*, ut *λαῖλαψ ἐρεμνή*, quia nubes et tenebras obducit. Schneidew.

3) Libri *ἀθάμβησι*. Emendavit Schneidewinus: *ἀταρβὴς*, coll. Hom. Il. XIII, 299: *ἅμα κρατερὸς καὶ ἀταρβής*.

4) Recordare celebratum illud „de tenero ungui meditari amores“, de quo Unger. Valg. p. 401 seqq. Alii emendant *πεδόθεν*. Totum versum sic scribit Muellerus Hist. Litt. Grr. I, 207: *ἀτέμβησι κραταιῶς πεδόθεν σαλάσσων ἡμ. φς.*

C. II, 9., quae in utroque carmine plane eadem est nec admodum volgaris. Idem vel similis locus Ibyci poetae offendit etiam Ciceronem, qui quidem in Tusc. IV, 33. ita scripserit: „Maxime vero omnium flagrasse amore Reginum Ibycum apparet ex scriptis". Eademque vehementioris amoris cum impetuosissimo vento comparatione usa est Sappho poetria, teste Maximo Tyrio XXIV. p. 297: *Ἐκβακχεύεται Σωκράτης ἐπὶ Φαίδρῳ ὑπὸ τοῦ Ἔρωτος, τῇ δὲ Σαπφοῖ ὁ Ἔρως ἐτίναξε τὰς φρένας, Ὡς ἄνεμος κατ' ὄρος δρυσὶν ἐμπεσών.* Similis denique difficultas constructionis, quae maxime deterruit Interpretes ab vera ratione ineunda, certe inest in C. I, 32. initio et in C. I, 35. vs. 6. De singulis ipsi videant Interpretes, quibus ego hoc unum adiecisse contentus ero, illud magis absolute positum, pro eo quod volunt „vehementius quam alias solet", nusquam legi apud Nostrum. Itaque quum illa, quae Orellii explicatio est, recte reiecta sit, si haec quoque displicuerit: nihil profecto aliud relinquetur, nisi ut miram Dillenburgeri rationem amplectamur: „Flebis magis quam Thracius ventus, quum sub interlunia bacchatur".

v. 17. *hedera virens* est *κισσὸς θάλλων, ζώων, ἀείφυλλος* (Theocr. 26, 4). Cfr. C. I, 36, 16.

v. 19. *Aridas frondes*] est trita Graecis allegoria, qua vietam senectutem describunt. Archil. Fr. 85. Schn., *Οὐκέθ' ὅμως θάλλεις ἁπαλὸν χρόα· κάρφεται γὰρ ἤδη*, Cfr. Aeschyl. Agam. 79 seq. et Jacobs. ad Anth. Gr. XI, 220. — *hiemis sodali*] Sic Homerus: *ἑταῖρος* et *ἑταίρη* vel *συνήορος* (Il. IX, 2; Od. XVII, 271, VIII, 99; Hom. H. Merc. 31.).

v. 21. *Hebro*] Hebrus ponitur pro fluvio quocunque frigido iam apud Alexandrinos. Theocr. VII, 111:

*Εἴης δ' Ἠδωνῶν μὲν ἐν ὤρεσι χείματι μέσσῳ*
*Ἔβρον πὰρ ποταμὸν τετραμμένος ἐγγύθεν ἄρκτου.*

Itemque saepius Virgilius Ecl. X, 65; Aen. I, 317, ubi v. Wagn. (Orelli.)

## Carm. I, 26.

„Musa, cui totus deditus res extra me positas nihil curo, celebra Lamiam meum! Nempe nobili adolescentulo sine nimio labore gratificari voluit hoc odarium [ut Carm. III, 17.] ei mittens, quum iuniorem amicum poësi hac nova (v. 10.) delectari probe sciret." Orelli. Et principium quidem carminis, quo res Parthicas, tum a. u. c. 724 et 725 agitatas [1]), tangit, ad leve illud genus Anacreonticum (vid. ad C. I, 5.) conformavit; deinde Euripidis vel qui iisdem vestigiis iam insiterat Lucretii (vs. 6 seqq.), tum Pindari (vs. 9 sq.) meminit; denique promittit Musae amicae auxilio fretus se hoc Lamiae nomen novo suo genere lyrico, „Aeolio carmine" puta, quod ipse ab Alcaeo et Sapphone accepit et „princeps ad Italos deduxit modos" (C. III, 30, 13.), immortalitati consecraturum.

v. 1. *Musis amicus*] Musis carus ut poeta et propter ipsam facultatem poeticam. Theocr. Id. VII, 95: *ὑπάκοισον, ἐπεὶ φίλος ἔπλεο Μοίσαις.* Cfr. eiusd. Id. XI, 6. et Epigr. XIX, 4:

*Ἦ ῥά μιν αἱ Μοῦσαι καὶ ὁ Λάλιος ἠγάπευν Ἀπόλλων,*
*Ὡς ἐμμελής τ' ἔγεντο καὶ ἱδέξιος*
*Ἔπεά τε ποιεῖν πρὸς λύραν τ' ἀείδειν.* [2])

Tum vero etiam se cum Musis versari, quum studiis poeticis sint dediti, et singulari earum tutela gaudere poetae contendunt. Homer. Hymn. XXXII, 20: *ἀοιδοί, Μουσάων θεράποντες*, coll. Virg. Aen. IX, 774 seqq. Musarum favorem ac tutelam intelligit Horatius, vid. C. III, 4, 25. et ad C. I, 22.

v. 2 seq. *tristitiam tradam in mare portare ventis*] Propter speciem similitudinis comparari potest Pseudo-Anacreon. Fr. 2. F., 61. Bergk. p. 737. v. 9 sqq.:

*Ἐμῶν φρενῶν μὲν αὔραις* *λύρην δ' ἑλὼν ἀείδω*
*φέρειν ἔδωκα λύπας,* *ἐρωτικὰς ἀοιδάς.*

nec tamen quicquam de imitatione praestare ausim. Vide ad C. I, 6. init. Verum sic solent Graeci loqui, ut quidquid confestim vel irritum vel procul esse volunt id ventis auferendum tradant, vel etiam in maria aut nubes abiiciant, vel deni-

---

1) Ut patet ex C. III, 8, 19. coll. Virg. Ge. II, 497. et Lachmanni demonstratione in Frankii Fastis Hor. p. 239.

2) Est epitaphium Archilochi, quod alii Leonidae Tarentino tribuunt. Vid. Jacobs. ad Anal. Br. I, 381. et in Anthol. Pal. VII, 664.

que utrumque coniungant. Celeberrimae locutionis fundus Homer. Il. VI, 346 seq., et Od. VIII, 409: ἄφαρ τὸ φέροιεν ἀναρπάξασαι ἄελλαι. Unde Apollon. Rhod. Argon. I, 1334: ἀλλ' ἀνέμοισι λώομεν ἀμπλακίην, et Eurip. Tr. 419: Ἀργεῖ' ὀνείδη — ἀνέμοις φέρεσθαι παραδίδωμ'. Idem Herc. f. 650: γῆρας μισῶ· κατὰ κυμάτων δ' ἐρρόοι, — κατ' αἰθέρ' ἀεὶ πτεροῖσι φορείσθω. Similiter ut h. l. Theocritus Id. XXII, 167: τὰ δ' ἐς ὑγρὸν ᾤχετο κῦμα Πνεῦμ' ἔχοισ' ἀνέμοιο, et ornatius etiam Pindarus P. VI, 11 sqq.: unde fluxit Hor. C. III, 30, 3 seq. De Latinis imitatoribus cfr. Tibull. I, 4, 21 seq., id. I, 5, 35. et Ovid. Tr. I, 2, 15., ubi celebratum illud „Notus iactat vota"; Catull. XXX, 10. et Tibull. III, 6, 27 sq., ubi venti et nubes memorantur. Videatur omnino qui multa huius generis ex utrisque collegit Cerda ad Virg. Aen. IX, 313., tum Jacobs. Animadv. in Anthol. Gr. IX, 213. XI, 237., et Dissen. ad Pind. l. c. Itaque ut Horatius hoc loco colorem Anacreonticum et usitatum Graecis loquendi genus leviter ac libere adumbravit, ita hoc ipsum H. Heine imitatus est; „Ich wollt', meine Schmerzen ergössen Sich all' in ein einziges Wort; Das gäb' ich den lustigen Winden, Die trügen es lustig fort." (Nauck.)

v. 4. *quis Rex metuatur*] ὅντινα δείσαντες ἐξεπλάγησαν βασιλέα οἱ πρόςχωροι (Soph. Ph. 226.). Recte enim Nauck: „welcher König der kalten Zone sich unter der Bärin furchtbar macht."

v. 6 sqq. *O quae fontibus integris*
*Gaudes, apricos necte flores,*
*Necte meo Lamiae coronam*] Horatio haec scribenti, iudice Peerlkampio, obversari potuit Euripidis Hippol. vs. 73.:

Σοὶ τόνδε πλεκτὸν στέφανον ἐξ ἀκηράτου
λειμῶνος, ὦ δέσποινα, κοσμήσας φέρω,
ἔνθ' οὔτε ποιμὴν ἀξιοῖ φέρβειν βοτὰ
οὔτ' ἦλθέ πω σίδηρος, ἀλλ' ἀκήρατον
μέλισσα λειμῶν' ἠρινὸν διέρχεται·

Αἰδὼς δὲ ποταμίαισι κηπεύει δρόσοις: quem locum celeberrimum primus Muretus V. L. VIII, 1. cum Horatianis comparavit, recte de prato poesis sive Musarum horto interpretatus, unde Graecorum poetae iam antiquissimi libenter



ac saepe dicunt se flosculos suos decerpere.[1]) Sic enim Euripides Hippolytum quoque de hymno, quo Dianam celebraverat, tanquam de corona quadam loquentem facit, eamque ex intacto quodam prato collectam dicit, ut isti flores quos ipse Pudor lymphis irrigaverit vere integri, id est, purissimi et illibati esse debeant. Addit in sequentibus illinc flores carpere non fas esse nisi iis qui natura valeant et sine magistrorum doctrina ipsi sapiant (cfr. Pind. Ol. II, 94. B. Plat. Phaedr. p. 245. A.). Quae Horatianis plane similia esse appareret. De multis autem, quibus Euripidea videntur obversata esse figurato sensu accepta, nunc unius verba profero Lucretii, qui bis eodem modo Lib. I, 917 sqq. et IV, init.:

Avia Pieridum peragro loca, nullius ante
Trita solo; iuvat integros accedere fontes,
Atque haurire: iuvatque novos decerpere flores,
Insignemque meo capiti petere inde coronam,
Unde prius nulli velarint tempora Musae.

---

1) Aristoph. Ran. 1299 sq.: ἵνα μὴ τὸν αὐτὸν Φρυνίχῳ Λειμῶνα Μουσῶν ἱερὸν ὀφθείην δρέπων. Pind. Ol. IX, 29. B.: Ἐξαίρετον Χαρίτων νέμομαι κᾶπον: ubi Schol. τὴν ποιητικήν. Plato. Jon. p. 534. B.: ἐκ Μουσῶν κήπων τινῶν καὶ ναπῶν. Ex his hortis pratisque carminum flores progigni prima fortasse Sappho dixit, quod dictum iam ad C. I, 4, 17. usurpavimus. Hinc enata etiam suavis poetarum cum apibus comparatio apud Platonem in Jon. l. c. et in Leonidae Tarentini Epigr. 81., Anal. Br. I, 241., Stoll. Anthol. I, 83.: unde Lucretius III, 39. et Horatius C. IV, 2, 27. profecerunt. Haec minus ad rem et in transcursu; sed Leonidas ipse quoque, ut mihi quidem videtur, Euripidis memor sic:

Παρθενικὰν νεαοιδὸν ἐν ὑμνοπόλοισι μέλισσαν
Ἥρινναν, Μουσῶν ἄνθεα δρεπτομέναν,
Ἄιδας εἰς ὑμέναιον ἀνάρπασεν.

Itaque utrum ipse iam Euripides quae scripsit de florum corona ceperit proprio sensu, an figurato de hymno, an utroque simul (ut in Scholiis Philochorus), profecto ad hanc quaestionem parum refert, quoniam satis constat ea ab imitatoribus veteribus in sensus figuratos translata esse, cuius rei exempla plura profert Valckenaer. p. 135. Sed vide omnino Fr. Jacobsii Animadv. in Anthol. Gr. T. VI, p. 1 sq. et et Dissen. ad Pindari l. c., Ol. IX, 26. p. 112.

Nam ex hoc quoque fonte Horatius suum hortulum irriguum fecisse potest, sicut Virgilius inde transtulit persimilem locum Georg. III, 291 293, quod Servius testatur et res ipsa confirmat. Vide Lachmannum ad Lucret. I, 927. Cfr. etiam Propert. III, 1, 3. et 6., ubi Hertzberg. consulendus est. Quod enim Euripides purum pratum, Lucretius autem et Horatius integros fontes appellant, id Propertius in eadem re sacrificii similitudine usus purum fontem dicit, ad Callimachi sui exemplum[1]). Itaque utut est, sive Euripidem sive Lucretium sive quem alium imitatus est Horatius, hoc certe patet tradita semel allegoria eum, qui cetera secutus sit, integrorum fontium nomine non simpliciter Hippocrenen aut Aganippen aut Pimpleam aut ceteros fontes Musarum intelligere potuisse, sed ipsorum poetarum ingenia. Qui quum Musarum vel ex fonte illo perenni furorem hauriant vel ex horto flores decerpant (C. I, 7, 7.), ipsi sine ulla magistrorum arte ac disciplina suo ex pectore quasi divinos versus fundere et vero priva ac nova carmina condere dicuntur. Significat autem Horatius novum et a nemine praeoccupatum genus lyricum suum, quod ipse interpretatur vs. 10 sq. Apertius, ut assolet, Virgilius l. l.: „iuvat ire iugis qua nulla priorum Castaliam molli devertitur orbita clivo.“ Proinde etiam qui sibi aliisque ex poetica facultate ornamenta quaerunt, ea ex his Musarum floribus necti aiunt carminaque sua coronas vocant, ut Pindarus quum alibi saepe tum in Ol. IX, 74. B.: ἄνθεα δ' ὕμνων νεωτέρων, et in Pyth. XII, 5.: σὺν εὐμενείᾳ δέξαι στεφάνωμα τόδε. Idem de se ipse sic loquitur Ol. VI, 86: ἀνδράσιν αἰχματαῖσι πλέκων Ποικίλον ὕμνον. Adde ex Antipatri Sidonii suavissimo Epigr. in Sapphonem 70, 3 sq. (Stoll. Anth. I, 85.), ἃς μέτα Πειθὼ Ἔπλεκ' ἀείζωον Πιερίδων στέφανον. Inde in vulgus receptum, ut poetae στεφάνους πλέκειν aeque dicerentur ac πλέκειν ὕμνους. Quod imitatus Horatius dixit: *Necte flores*, *Necte meo Lamiae coronam*, *Pimplea dulcis:* in quibus facile concedo Horatium praecipue respexisse ad Pindarum, cuius manum etiam in sequentibus

v. 9 sq. *Nil sine te mei Prosunt honores*

agnoscimus. Nam recte iam Rutgersius in Notis ad h. l.: „Quod honores pro carminibus dixit, imitatus est Pindarum, qui frequentur τιμὰ pro ἔπαινος usurpavit.“ Sunt vero κλυταὶ τιμαί, quibus heroas suos ornat et ad immortalitatis memoriam consecrat, Nem. IX, 10: — — ὧν ἐγὼ

μνασθεὶς ἐπασκήσω κλυταῖς ἥρωι τιμαῖς,

non secus atque ipse Horatius C. IV, 9, 25 sqq.

Ceterum Musae apud Alexandrinos saepe *Πιμπληίδες* (Apollon. Arg. I, 25.) et *Πιμπληιάδες* (Orph. Fr. 46.), a *Πιμπλείᾳ* s. *Πιμπληίδι*, monte et fonte Pieriae (Strab. IX, 25. p. 410., Schol. Apoll. ad l. c.) cognominatae: unde Pimplei hic quoque maluit Bentleius. Sed Codd. Latinam formam tuentur. (Orell.)

v. 11. *Lesbio plectro*] Vide Proocm. p. XVIII.

## Carm. I, 27.

Est μέλος quoddam „παροίνιον καὶ ἐρωτικόν“, quo quae in laeto convivio cum amicis celebrato παρ' οἴνῳ et παρ' οἶνον (s. in vino et ad vinum) facta sint lyrice ac potius dramatice describit, „et in medias res, non secus ac notas, auditorem rapit.“ Sodales enim vino iam calidos ipse a rixis retinet et ad hilares iocos revocat, ludicra quaestione uni ex iis Graeco quodam bibendi more (v. ad vs. 9.) proposita, talia omnino convivium decere indicans. Anacreontis autem exemplum, quod et in exordio et in toto genere carminis sequeretur, ante oculos ei fuisse iam veteres Scholiastae prodiderunt. „Ode προτρεπτικὴ est ad hilaritatem, cuius sensus sumtus est ex Anacreonte in libro tertio.“ Porphyrio. Similiter Commentator Cruquianus, qui idem ipsum iam locum „ex Anacreonte libro tertio“ protulit et primus cum Horatianis comparavit. Hunc Henricus Stephanus, Lambinus ceteri secuti sunt. Eadem cum initio eiusdem carminis servavit Athe-

1) Hymn. in Apoll. 110 sqq.:

Δηοῖ δ' οὐκ ἀπὸ παντὸς ὕδωρ φορέουσι Μέλισσαι,
ἀλλ' ἥτις καθαρή τε καὶ ἀχράαντος ἀνέρπει
πίδακος ἐξ ἱερῆς ὀλίγη λιβάς, ἄκρον ἄωτον.

Sunt verba Apollinis profitentis se purum modo et castum carmen laudare: „ceu Cereri, inquit, non e quovis flumine aquam ferunt Melissae, sed si qui purus et nulla sorde inquinatus erumpit ex sacro fonte liquidus latex, summus flos, hunc libant.“

naeus X, 427. A. Sunt autem hoc modo, Fr. 62. Bergk., 40. Schneidew.:

Ἄγε δὴ, φέρ' ἡμῖν, ὦ παῖ,
κελέβην, ὅχως ἄμυστιν
προπίω, τὰ μὲν δέκ' ἐγχέας
ὕδατος, τὰ πέντε δ' οἴνου
κνάθους, ὡς ἀνυβριστὶ
ἀνὰ δηῦτε βασσαρήσω. [1])

* * *

Ἄγε δηῦτε μηκέθ' οὕτω
πατάγῳ τε καὶ λαλητῷ
Σκυθικὴν πόσιν παρ' οἴνῳ
μελετῶμεν, ἀλλὰ καλοῖς
ὑποπίνοντες [2]) ἐν ὕμνοις.

Quae Horatio obversata esse probabiliter sane illi monuerunt: certe in Anacreontis vs. 5 sq. summa sententia huius carminis inest; deinde inter illius vers. 7—11. et ea quae in hoc exordia leguntur (v. 1 — 8.) manifesta etiam verborum similitudo intercedit; tum ad eadem Noster aliis locis respexit, cfr. ad C. I, 18, 11. et I, 38, 1. coll. C. III, 19, 10 seq., sed hoc quoque loco illud praecipue observandum est, Horatium initium tantum carminis a Graeco fonte derivasse, cetera suis viribus et suo modo pertractasse; ac quae secutus sit liberis vertigiis persecutum esse. Eodem modo in extremo carmine (v. 19 sqq.) Anaxilae comici locum, Homeri simul et Hesiodi memor, imitatus videtur.

v. 2. *scyphis Pugnare Thracum est* cet.] Auctor carminis Anacreontei XLII., ipse quoque Anacreontis memor, haec sic expressit vs. 13 sq.: *Στυγέω μάχας παροίνους Πολυκώμους κατὰ δαῖτας.* Pro Scythica autem Anacreontis Horatius Thracum substituit compotationem, quam perinde damnare et abominari poterat. Nam plena sunt Graecorum scripta vel antiquissima, eos inprimis potui fuisse deditos, quippe qui non solum *πολυπότται* (Athen. X, 442., Aelian. III, 15.), sed etiam *ἀκρατοπότται* sicut Scythae essent. Plato de Legg. I. p. 637 extr.: *Σκύθαι δὲ καὶ Θρᾷκες ἀκράτῳ παντάπασι χρώμενοι, γυναῖκές τε καὶ αὐτοὶ, καὶ κατὰ τῶν ἱματίων καταχεόμενοι καλὸν καὶ εὔδαιμον ἐπιτήδευμα ἐπιτηδεύειν νενομίκασιν.* Praeterea amabant *τὸ ἀμυστίζειν* (C. I, 36, 14), nec vino solum. Etenim iam Archilochus eos propterea notaverat, quod etiam *βρῦτον*, h. e. *κρίθινον οἶνον* (Xenoph. Anab. IV, 5, 26.), immodice haurirent, Fr. 28. Schn.: *Ὥσπερ πρὸς αὐλὸν βρῦτον ἢ Θρῄξ ἀνὴρ Ἢ Φρὺξ ἐβρυζε.* Quapropter temulentiae infamia flagrabant adeo, ut fere in proverbio esset *μεθύων ὥσπερ Θρῇξ ἀνὴρ* eorumque Bacchus etiam male audiret (vid. ad C. I, 18, 9.)

v. 3. *verecundum Bacchum*] Dixerat enim Anacreon *ἀνυβριστὶ βασσαρήσω.* Adiectivum *προληπτικῶς* additum puta, cll. C. I, 18, 7. et Epod. 11, 13.

v. 5. *Medus acinaces*] „Persico vocabulo *ἀκινάκης* propter priorem eius ignorationem inde a bellis Persicis usi sunt Graeci. Sophocl. Fr. 899. D., Plato de Rep. VIII. p. 553. C.“ Orelli. Adde Herod. VII, 54: *Περσικὸν ξίφος, τὸν ἀκινάκην καλέουσι.* Quo incurvo gladio accincti Persae mensis accumbebant. De eorum vinolentia idem Herod. I, 133: *Πέρσαι οἴνῳ κάρτα προσκέαται — . μεθυσκόμενοι δὲ ἐώθασι βουλεύεσθαι τὰ σπουδαιέστατα τῶν πρηγμάτων.*

v. 6. *Immane quantum discrepat*] „Hoc genus loquendi Graecorum proprium est. Sic enim loquuntur illi *θαυμαστὸν ὅσον* [sive *θαυμάσιον ὅσον, ἴλικον, ἀμήχανον ὅσον* cet.] Et tale illud Aristophanis in Ranis: *εὐθὺς γὰρ ἡμάρτηκεν οὐράνιον ὅσον.*“ Lamb. Estque haec locutio Latinis etiam in pedestri oratione concessa, ut mirum, nimium quantum cet. Vide Herm. ad Vig. p. 128. — *Vino discrepat*] V. Exc. IV, 2.

v. 9 sqq. *Voltis severi me quoque sumere*
*Partem Falerni? dicat* cet.] Erat Graecorum consuetudo combibonum deos amicos amicas consalutandi in eorumque honorem potandi, de qua Asconius in Cic. Verr. I, 26: „Est autem Graecus mos, ut Graeci dicunt, *συμπιεῖν κυαθιζομένους*, quum merum cyathis bibunt, salutantes primo deos, deinde amicos nominatim. Nam toties merum bibebant,

1) *Ἀναβασσαρεῖν* ita dictum est ut *ἀναβαχχεύειν.* Post v. 6. autem quaedam omissa esse ab Athenaeo ipse indicat: dicit enim: *Καὶ προελθὼν τὴν ἀκρατοποσίαν Σκυθικὴν καλεῖ πόσιν.* Bergk.

2) *Ὑποπίνειν* non est se inebriare, sed sensim atque paulatim bibere: postea vero significavit largius vino se invitare, ut Aristoph. in Avibus v. 494: *κληθεὶς ὑπέπινον ἐν ἄστει Κάρτι καθεῦδον.* Id.

quoties deos et caros suos nominabant.“ Quod ad amicas attinet, quum animi paulo plus incaluissent vino, placebat ut ordine suae quisque nomen puellae diceret in eiusque honorem poculum meracei vini vel exhauriret vel infunderet in terram quasi libaret. Interdum etiam fiebat ut tot pocula meracei haurirent, quot litteras haberet nomen amatae. Hoc omnino erat *ἐπίχυσίν τινος λαμβάνειν*, vel *ἐπιχεῖσθαι ἄκρατόν τινος* (Bernh. Synt. Gr. p. 164), et inde celebratum illud in Graecorum compotationibus *ἔγχει τῆς* vel *τοῦ* —, quod Horatius C. III, 8, 13. et III, 19, 9. Latine reddidit. Ut duobus exemplis de multis Graecorum contentus sim, Theocritus hoc modo in Id. XIV, 18:

*Ἤδη δὲ προϊόντος, ἔδοξ' ἐπιχεῖσθαι ἄκρατον*
*ὥτινος ἤθελ' ἕκαστος· ἔδει μόνον ὥτινος εἰπῆν.*

Meleager autem in Epigr. XCVIII. init. (Anal. Br. I, 28.) sic:

*Ἔγχει καὶ πάλιν εἰπὲ, πάλιν, πάλιν Ἡλιοδώρας·*
*εἰπὲ, σὺν ἀκρήτῳ τὸ γλυκὺ μίσγ' ὄνομα.*

Item iam Alcaeus fr. 31, 4. Vid. omnino Wuestemann. ad Theocr. Id. II, 151. et Welcker. ad Theogn. v. 315 (487.) p. 100. In mores Romanos Graecorum illum morem satis mature receptum esse probat Plaut. Pers. V, 1, 20. et Stich. V, 4, 27. — *Opuntiae Migillae*] Vide Exc. II.

v. 12. *quo Vulnere, qua pereat sagitta*] Saepe Graeci *τόξον*, *βέλος Ἔρωτος*, unde amantes *τραῦμα*, vulnus habere sive saucii esse (Virg. A. IV, 1 sq.), atque adeo perire dicuntur. Similiter Euripides in Hippol. v. 392. ubi Phaedra: *Ἐπεί μ' ἔρως ἐτρωσεν.* Tum nutrix v. 440: *Κἄπειτ' ἔρωτος οὕνεκα ψυχὴν ὀλεῖς;* Idem Troad. 255: *Ἔρως ἐτόξευσ' αὐτὸν ἐνθέου κόρης.* Hinc *οἱ Ἔρωτες τοξόται* (Xenoph. Mem. I, 3, 13.), cfr. ex Anthol. Gr. Philodemi Ep. XV, 3. et Meleagri Ep. XVII, 1 sq. cum Hor. C. II, 8, 15. et Propert. II, 12, 9.

v. 15. *adurit*] Cfr. ad C. I, 19, 5. et I, 33, 6.

v. 17. *peccas*] Sic etiam Graeci saepissime *ἁμαρτεῖν* usurpant de iis qui amoris „culpae succumbunt“ (Virg. Aen. IV, 19.). Sed ante omnia conferendus Eurip. Hippol. 507. ubi nutrix rursus: *Εἴ τοι δοκεῖ σοι, χρῆν μὲν οὐ σ' ἁμαρτάνειν· Εἰ δ' οὖν, πιθοῦ μοι*, hoc est, „siquidem hoc tibi videtur, nempe *τὸ σωφρονεῖν* s. *μὴ πέρα προβαίνειν*, peccare non debebas, sed amori reluctari: si tamen sic stat sententia,



aliud meum nunc sequere consilium.“ Mox etiam memorat vs. 509. *φίλτρα θελκτήρια ἔρωτος*, Thessala venena Horatii, quae itidem h. l. solvendi vim habent, ut ait ille vs. 512: *ἅ σε παύσει νόσου τῆσδε.* Cfr. Propert. II, 1, 51. et de peccandi verbo Hor. C. I, 33, 9. Sat. I, 2, 63.

v. 19 sqq. *Quanta laborabas Charybdi* cet.] Imperf. Graecorum more dictum videtur. Ita enim illi interdum primum affectum loquentis indicant, quum rei summam conficiunt. Soph. Ph. 978: *ὅδ' ἦν ἄρα ὁ ξυλλαβών με*, i. e. is erat igitur, id quod antea non existimabam et nunc factum doleo, qui me caperet. Similiter Ai. 693: *Ἔφριξ' ἔρωτι, περιχαρὴς δ' ἀνεπτόμαν.* Vide Buttm. gr. Gr. §. 137. not. 10., Bernh. Synt. p. 373 sq. cll. Lübker. ad C. I, 37, 4: nunc tempus erat. — Festive autem amorem puellae rapacis et avarae Charybdin vocat, voracem sane illam Homericam (Odyss. XII, 104 sqq. coll. Virg. III, 420 seqq.) intelligens, sed in figurato hoc sensu comicorum Graecorum, ni fallor, exemplum secutus. Anaxilas certe, mediae comoediae poeta, plane similiter omne meretricum spurcum genus cum Chimaera, Scylla, Harpyiis, Charybdi aliisque monstris perniciosis comparaverat in *Νεόττιδι* apud Athen. XIII. p. 558., Fr. 21. Meineck. in Fragmm. Com. Gr. p. 670:

*Ὅστις ἀνθρώπων ἑταίραν ἠγάπησε πώποτε,*
*οὐ γένος τις ἂν δύναιτο παρανομώτερον φράσαι;*
*τίς γὰρ ἦ δράκαιν' ἄμικτος, ἢ Χίμαιρα πύρπνοος,*
*ἢ Χάρυβδις, ἢ τρίκρανος Σκύλλα, ποντία κύων,*
*Σφίγξ, ὕδρα, λέαιν', ἔχιδνα, πνηνά θ' Ἁρπυιῶν γένη,*
*εἰς ὑπερβολὴν ἀφῖκται τοῦ καταπτύστου γένους;*
*οὐκ ἔνεσθ', αὗται δ' ἁπάντων ὑπερέχουσι τῶν κακῶν.*
*ἔστι δὲ σκοπεῖν ἀπ' ἀρχῆς πρῶτα μὲν τὴν Πλαγγόνα,*
*ἥτις ὥσπερ ἡ Χίμαιρα πυρπολεῖ τοὺς βαρβάρους.*

et paucis interiectis v. 18 sq.:

*ἡ δὲ Φρύνη τὴν Χάρυβδιν οὐχὶ πόρρω που ποιεῖ,*
*τόν τε ναύκληρον λαβοῦσα καταπέπωκ' αὐτῷ σκάφει;*

E quibus intelligi licet Charybdis comparatione maxime rapacitatem puellae improbae, Chimaerae vero omnino venenum ac pestem istius amoris significari. Hoc manifestius etiam ab eo-

dem Anaxila transtulit Lucilius in Br. Anal. II, 336., Anthol. Pal. II, 387, Epigr. 88, 1.: *Οὔτε Χίμαιρα τοσοῦτον ἔπνει κακὸν, ἢ καθ' Ὅμηρον, — οὐχ Ἀρπυιῶν τὰ περισσά, (ὅσον σὺ Τελέσιλλα)*: quamquam proprie oris foetorem dixit. Haec omnia autem Mitscherlichii iam diligentia comparavit, unde Orellius profecit, et recte quidem, si me consulis. Neque enim profecto dubito, quin Horatius v. 23 sq.:

Vix illigatum te triformi
Pegasus expediet Chimaera

eodem respexerit, quamquam ipse quoque simpliciter ad Homerum nos reiecit. Quippe quum triformem Chimaeram diceret, non plus sibi voluit quam Lucilii illud est „*ἢ καθ' Ὅμηρον*“, Il. VI, 181 sq.:

*πρόσθε λέων, ὄπιθεν δὲ δράκων, μέσση δὲ χίμαιρα,*
*δεινὸν ἀποπνείουσα πυρὸς μένος αἰθομένοιο.*

Intellexit enim sine dubio *πυρπνέουσαν* illam et „*ἀμείμακέτην, πολέσιν κακὸν ἀνθρώποισιν*“, ut ait idem Homerus Il. XVI, 329., non vero „variam et inconstantem“. Eandemque eundem secuti Euripides Jon. 203. *πυρπνέουσαν τρισώματος ἀλκάν*, Pindarus Ol. XIII, 87. B. *πῦρ πνέουσαν*, Anaxilas l. c. *πυρπνόον, πυρπολοῦσαν* vocant. Ad Homerum etiam respexit, quod illigatum dixit, sc. flexibus Chimaerae, quae *ὄπιθεν δράκων* est. Quod autem Pegasi ope a Bellerophonte occisam significat, id nescit Homerus, addunt Hesiodus, Pindarus, Euripides, quorum ille in Theog. 325:

*Τὴν μὲν Πήγασος εἶλε καὶ ἐσθλὸς Βελλεροφόντης.*

## Carm. I, 28.

### *Ad umbram Archytae.*

De Archilochi aut Lyrici alicuius Graeci imitatione, quae ab Horatio facta videri possit, iam refutavit Orellius in Excursu. „Certe, inquit, si Horatius, quod nos prorsus ignoramus, Graecum aliquod secutus est exemplar, lyricum non fuit, quum post novem Lyricos vixerit Archytas, aequalis Platonis; sed *εἰδύλλιον* vel etiam epigramma Alexandrinae aetatis. Verum significationes illae litoris Matini et Venusiae in Graecum poetam profecto non cadunt, sed propriae videntur Horatii“. Addo, ne illud quidem verisimile esse, Horatium



Alexandrini nescio cuius poetae vestigia pressisse. Neque enim illos omnino nimis adamaverat, nec admodum probabile esse mihi videtur, eum in hoc potissimum carmine, in quo dulcis patriae pueritiaeque memoriam recordari ac gravissima sententia (v. 15 seq.) populares suos imbuere vellet, istos esse subsecutum. Quid multa? Nihil profecto reliquum esse video, nisi ut aut neminem hac ode expressum statuamus aut ad Homerum veluti sacram ancoram confugiamus, qui sane haud spernendum praebuit exemplar in Necyia v. 51 sqq. Et vero ad Homericum illum Elpenorem Horatius suo more modoque respexit, ut non solum nobiliorem et aptiorem personam substituerit scenamque in litus patrium transtulerit, sed etiam cetera omnia plane ad suum propositum accommodaverit. Idem exemplum secutus est Virgilius in Aen. VI, 337 sqq., sed memorabili et proprio utriusque ingenii discrimine. Aliquanto manifestius, ut opinor, ille Palinurum suum ex Homerico Elpenore expressit, quam hic Archytas ab Horatio adumbratus est: verumtamen ne sic quidem omnia imitationis vestigia ita prorsus deleta sunt, ut agnosci nequeant. Servavit enim poeta formam colloquii, quidquid nonnulli contra disputant; item prior loquitur nauta ille Venusinus v. 1 — 20., sive ipse poeta est sive quisquis sub hac persona latet; respondet umbra Archytae, cuius ultima verba v. 30 sqq. vel nolenti tibi urgentis et instantis Elpenoris preces in memoriam redigent. Denique totum hoc carmen in eadem persuasione nititur, qua Homericus ille locus de Elpenoris umbra scriptus et Necyiae insertus est. Verissime enim Duentzer: „Vides philosophum celeberrimum, qui de divinitate animae humanae somniaverat, hic nihil aliud agentem, quam ut corpore sepulto umbra Stygem transmittat (cf. Virg. Aen. VI, 325 sqq.), non sine *εἰρωνείᾳ* ab Horatio induci, quem de Archytae naufragi morte iam puerum Venusiae saepe audivisse verisimile est.“ Cfr. infra ad vs. 2.

Ceterum hoc carmen etiam eo nomine insigne est, quod Graecae dictionis formis abundat. Eamque ob caussam et propter versum 24., nondum perfectae artis documentum, primitiis poetae in hoc lyrico genere annumerandum esse censeo.

v. 1. *numeroque carentis arenae*] Erat proverbii instar apud Graecos *ψάμμος ἀριθμὸν περιφεύγει* (Pind. Ol. II, 108. B.):

quod ipsum philosophi Pythagorei acriter impugnabant. Vide Orell.

v. 2. *cohibent pulveris exigui parva munera*] Saepenumero Graeci in epigrammatis *κατέχει* vel *κέκευθε κόνις τινά*, ut Antipater Sid. in Br. Anal. II. p. 27. extr. (Stoll. Anthol. I, 85.): *Κατέχει Πίνδαρον ἅδε κόνις.* Quod ipsum si ad Horatii locum explicandum adhibere vellemus, inde profecto sententia existeret, quae nec cum iis quae vs. 24. leguntur constaret nec ullo pacto cum tota ratione carminis componi posset. Recordandum vero Horatium h. l. de morte loqui vi tempestatis in undis illata, quae veteribus iam inde ab Homero poeta atrocissima visa sit, quoniam iustis religiosis careret (vid. ad C. I, 3, 17.). Hac igitur opinione ductus pulveris exigui parva munera non de exiguo spatio quod mortuus occupat (Dillenb.), nec de tumulo (Orell.), sed de „iniiciendo ter pulvere" intelligere debuit: quae munera Archytae adhuc denegata cohibent eum, hoc est, qui quidem vivus adeo supra fas mortalibus concessum evagatus fuisset (C. I, 3, 26.), is iam mortuus eo inopiae redactus est, is ita coercetur, ut ne ultimum quidem conquiescere possit. Ideoque ipse ea munera v. 23 sq. et 35 sq. etiam atque etiam efflagitat. Ita prorsus explicandum videtur. cf. ad v. 23. Quamquam quod hic locus Interpretes tantopere turbare potuit, in eo ne ipse quidem poeta omni culpa liberandus videtur. Nam statim ab initio indicare debuit, id quod infra demum cognoscimus, inhumatum esse Archytam, quem hoc loco docemur nil nisi mortuum iacere.

v. 7. *Occidit et*] Fundus huius consolationis, quod iam Muretus et Lambinus notant, est Homeri Il. XVIII, 117 sqq. et XXI, 107 seqq., ubi Achilles bis eodem argumento utitur, mortem aequo animo esse ideo ferendam, quod multi praestantiores viri eam iam obierint. Ipsius autem verba in illo loco, qui ad haec propius accedit, sunt hoc modo:

*οὐδὲ γὰρ οὐδὲ βίη Ἡρακλῆος φύγε κῆρα,*
*ὅς περ φίλτατος ἔσκε Διὶ Κρονίωνι ἄνακτι·*
*ἀλλά ἑ μοῖρ' ἐδάμασσε καὶ ἀργαλέος χόλος Ἥρης.*
*ὡς καὶ ἐγών — κείσομαι.*

Cum quibus conferas v. 7. 9. 20 sq., cll. C. I, 16, 22.

— *conviva deorum*] (*Τάνταλος*) *Οὗτος ὁ πρὶν μακάρεσσι συνέστιος.* Wagn. ex Corn. Galli Epigr. II, 1., Anthol. Gr. II, 106. Br. Similiter Pindarus Ol. I, 54. B.: *Εἴ τιν' ἄνδρα θνατὸν Ὀλύμπου σκοποὶ Ἐτίμασαν, ἦν Τάνταλος οὗτος.* Punitur autem in Tartaro, ut ait Eurip. Orest. 8. sqq., *ὅτι θεοῖς ἄνθρωπος ὢν Κοινῆς τραπέζης ἀξίωμ' ἔχων ἴσον Ἀκόλαστον ἔσχε γλῶσσαν, αἰσχίστην νόσον.* (Mitscherl.)



v. 8. *Tithonusque remotus in auras*] Cfr. Hom. Hym. in Ven. 218: *Ὣς δ' αὖ Τιθωνὸν χρυσόθρονος ἥρπασεν Ἠώς, — θεοῖς ἐπιείκελον* etc. Nam deinde ibidem illa fabula narratur, quam Horatius tangit C. II, 16, 30. Addunt Eurip. Troad. 855: *Ὃν ἀστέρων τέθριππος ἔλαβε χρύσεος ὄχος ἀναρπάσας.* Quamquam igitur hoc ipsum ut multa alia de Tithono poetae fabulantur, nihil tamen certius est quam illum morte abreptum esse. Est enim Horatio a poetis fictum, quod Tithonus in caelum remotus dicitur. Ita recte Duentzer.

v. 9. *Jovis arcanis Minos admissus*] Haec convertit ab Homero Od. XIX, 179:

*Μίνως — — Διὸς μεγάλου ἀριστῆς.*

Idem Minos Homero Od. XI, 568: *Διὸς ἀγλαὸς υἱός.*

v. 10. *Panthoiden*] Homer. Il. XVI, 808:

*Πανθοίδης Εὔφορβος, ὃς ἡλικίην ἐκέκαστο*
*ἔγγεΐ θ' ἱπποσύνῃ τε πόδεσσί τε καρπαλίμοισιν.*

Occiditur a Menelao Il. XVII, 9 — 60. Ipsum Pythagoram, *μετεμψύχεως* auctorem et Archytae praeceptorem, ut gravissimum documentum ultimo loco affert. Affirmaverat enim ille se Troianis temporibus fuisse Euphorbum, Panthoi filium, et in Euphorbo quidem mortuum esse, sed ita ut „morti nihil praeter nervos atque cutem concederet." Cuius rei ut fidem faceret Pythagoras clipeum in templo Junonis prope Mycenas affixum se olim gestasse contendit, cui a pariete detracto ipsum Euphorbi nomen inscriptum repertum est. Haec Diogenes Laërt. VIII, 5., Scholiastes Sophoclis ad Electr. v. 62. aliique tradunt. Vid. Lambin. ad h. l. et Lehmann. ad Lucian. Ver. Hist. II, 293. pg. 676., et cfr. Ovid. Met. XV, 160 sqq.

— *habent Tartara*] Hom. Il. II, 699: *ἔχεν κάτα γαῖα μέλαινα.* Il. III, 243: *τοὺς δ' ἤδη κάτεχεν φυσίζοος αἶα.*

v. 11. *Orco demissum*] Recordare Homericum illud Il. I, 3: *ψυχὰς Ἄϊδι προΐαψεν*, Cfr. Sat. II, 5, 49.; Virg. Aen. II, 398; IX, 527.

v. 13. *Nervos atque cutem morti concesserat atrae*] Homeri meminit, qui hoc ipso modo in Necyia v. 218 sqq.:

*Ἀλλ' αὕτη δίκη ἐστὶ βροτῶν, ὅτε κέν τε θάνωσιν·*
*οὐ γὰρ ἔτι σάρκας τε καὶ ὀστέα ἶνες ἔχουσιν,*
*ἀλλὰ τὰ μέν τε πυρὸς κρατερὸν μένος αἰθομένοιο*
*δαμνᾷ, ἐπεί κε πρῶτα λίπῃ λεύκ' ὀστέα θυμός.*

— *morti atrae*] Homericum quoque epitheton morti attribuit. Il. II, 834: *Κῆρες μέλανος θανάτοιο*, et v. 859.: *κῆρα μέλαιναν*. Adde Il. XVI, 350: *θανάτου δὲ μέλαν νέφος ἀμφεκάλυψεν*, cll. Tibull. I, 1, 70: Iam veniet tenebris Mors adoperta caput. Hinc nigri isti ignes C. IV, 12, 26.; Virg. Aen. IV, 384.; Ovid. F. II, 561. Cfr. quae dicta sunt ad C. I, 24, 18.

v. 15 sq. — — . *Sed omnes una manet nox*
*Et calcanda semel via leti.*] Fundus communis huius sententiae, qua nihil frequentius apud Graecos ipsumque Horatium (v. Lambin.) legitur, quaerendus iam apud Homerum. Nam Il. VI, 488. ait Hector Andromachae suae:

*Μοῖραν δ' οὔ τινά φημι πεφυγμένον ἔμμεναι ἀνδρῶν,*
*οὐ κακὸν οὐδὲ μὲν ἐσθλόν, ἐπὴν τὰ πρῶτα γένηται.*

Adde Il. XXI, 109. ubi Achilles Hectori morituro:

*Πατρὸς δ' εἶμ' ἀγαθοῖο, θεὰ δέ με γείνατο μήτηρ·*
*ἀλλ' ἔπι τοι καὶ ἐμοὶ θάνατος καὶ μοῖρα κραταιή.*

Hinc proverbii fere locum obtinuit vel Simonidis illud fr. 105. Schn.:

*Θανάτῳ πάντες ὀφειλόμεθα.* (Hor. A. P. 63.).

vel Euripidis Alc. 419. 782., Andr. 1272., Aeg. fr. 6. D.:

*Πᾶσιν ἡμῖν κατθανεῖν ὀφείλεται*

vel Menandri Mein. pag. 196:

*Κοινὸν τὸν ᾅδην ἔσχον οἱ πάντες βροτοί.*

quod Orellius comparat cum C. II, 18, 32. Idem cum posterioribus verbis huius loci composuit e Plat. Phaedone p. 108. A.: *ὁ Αἰσχύλου Τήλεφος ἁπλῆν οἶμόν φησιν εἰς Ἅιδου φέρειν*. Et vero Aeschyli dictum quum multi alii recordati sunt (v. Herm. ad Aeschyl. Fr. 252.), tum Dionysius Hal. in Arte rhet. c. 6. sic interpretatus est: *μία γὰρ καὶ ἡ αὐτὴ οἶμος, κατὰ τὸν Αἰσχύλον, εἰς Ἅιδου φέρουσα*. Ex eiusdemque Aeschyli Sept. 335: „*διαμεῖψαι στυγερὰν ὁδὸν*“ iam supra ad C. I, 24, 16. cum nostro loco contuli. Praeterea cfr. ad vs. 30. Verum trita, credo, Graecis phrasis *ὁδὸν εἰς Ἅιδου προβαίνειν* (Eur. Alc. 263.), vel *διαμεῖψαι*, nec minus usitatum illud *οἶμος* vel *ἀτραπὸς Ἅιδου*. Anal. Br. I, 491: *εὖτε σιδηρείην οἶμον ἔβης Ἄϊδεω*. cf. Lucret. II, 915., Tibull. I, 3, 50., Liv. XXXI, 18. ap. Orell. Atque in hac praesertim sententia multa similiter certe dicta ex aliis Graecorum scriptis proferre possem, si quidem ista comparatio ad rem faceret. Nunc unius Antripatri Sid., „hominis ingeniosi ac memoris“ (ut ait Cicero de Orat. III, 50.), exemplo utor, quod exstat in Anthol. Gr. II, 6. Br., Epigr. I, 2:

*Εἰς Ἅιδην μία πᾶσι καταίβασις· εἰ δὲ τάχιον*
*ἡμετέρη, Μίνω θᾶσσον ἐποψόμεθα.*
*πίνωμεν· καὶ δὴ γὰρ ἐτήτυμον εἰς ὁδὸν ἵππος*
*οἶνος, ἐπεὶ πεζοῖς ἀτραπὸς εἰς Ἅιδην.*

Omnes, Antipater ait, Orco debemur; si quis habet, quod ad cursum accelerandum valeat, is Mino acitus videbit. Potantes vero hoc assequuntur, ut celerius viam leti conficiant, nec ut reliqui pedibus, sed quasi equo vecti.

Itaque de primaria huius carminis sententia ego quidem nihil amplius affirmare ausim, nisi quod satis patet ad similia Graecorum dicta conformatam videri. Cfr. ad C. I, 4, 13. et Propert. III, 18, 22: Est mala, sed cunctis ista terenda via est.

v. 17. *Dant alios Furiae torvo spectacula Marti* cet.] Jam variae mortes describuntur. De Furiis quae in proeliis versantur cf. Hom. Il. IV, 440 sq. et XVIII, 535 sqq., coll. Virg. Aen. VII, 324 sqq. Torvus autem Mars est *βλοσυρὸς* s. *βλοσυρώπης Ἄρης* (ut Hesiod. Scut. v. 147.), *αἵματι ἀνδροφόνῳ χαίρων* (ut Orph. H. 64. audit). Mitsch.

v. 19. *Mixta – densentur funera*] Homer. Il. I, 383:

*Ἦκε δ' ἐπ' Ἀργείοισι κακὸν βέλος· οἱ δέ νυ λαοὶ*
*θνῆσκον ἐπασσύτεροι, τὰ δ' ἐπῴχετο κῆλα θεοῖο.*

v. 20. *nullum Saeva caput Proserpina fugit*] i. e. nullum caput Proserpinam fugit. Est hypallage, quae figura inprimis Alexandrinis eorumque imitatoribus placuit. Comparat Bernhardyus in cens. rec. Peerlk. Apollonii I, 689:

*εἰ καί με τανῦν ἔτι πεφρίκασι Κῆρες.*

et Propert. II, 18, 30: „Num fugere minus Thessala tela Phryges?“ Ad rem cf. Euripid. Alc. 74 sqq., ubi Mors:

*Στείχω δ' ἐπ' αὐτήν, ὡς κατάρξωμαι ξίφει·*
*ἱερὸς γὰρ οὗτος τῶν κατὰ χθονὸς θεῶν,*
*ὅτου τόδ' ἔγχος κρατὸς ἁγνίσῃ τρίχα.*

Quem locum respicere videtur Virgilius Aen. VI, 698:

Nondum illi flavum Proserpina vertice crinem
Abstulerat, Stygioque caput damnaverat Orco.

eundem ritum sacrificii Proserpinae transferens, quem apud Euripidem occupat *Θάνατος*. (Monk.)

— saeva autem Proserpina Homero est *ἐπαινὴ, ἀγαυὴ, ἀγνὴ Περσεφόνεια* (Od. XI, 47. 213. 386.) = *σεμνή*. Cfr. Sat. II, 5, 110: imperiosa Proserpina Virg. Aen. VI, 402: casta Proserpina.

v. 21. *devexi Orionis*] Apollonius I, 1201: *Εὖτε μάλιστα Χειμερίη ὀλοοῖο πέλει δύσις Ὠρίωνος.* unde translatus Virgilii locus in Aen. VII, 719: „Saevus ubi Orion hibernis conditur undis.“ (Mitsch.)

v. 23 sqq. *vagae ne parce malignus arenae*
*Ossibus et capiti inhumato*
*Particulam dare*] Ad rem et ad orationis genus Mitscherlichius apposite contulit ex Diodori Zonae[1]) Epigr. IX., quod exstat in Br. Anal. II, 82 et in Anthol. Pal. I, 425., v. 1 sq. et v. 7 sq.:

*Ψυχράν σευ κεφαλᾶς ἐπαμήσομαι αἰγιαλῖτιν*
*θῖνα, κατὰ κρυεροῦ χευάμενος νέκυος.*[2])
*ὥστ' ἔχε μὲν ψαμάθου μόριον βραχύ, πουλὺ δὲ δάκρυ,*
*ξεῖν', ἐπεὶ εἰς ὁλοὴν ἔδραμες ἐμπορίην.*

e quibus versibus de eadem re scriptis licet intelligi *ψαμάθου μόριον βραχὺ* idem esse quod Horatius dixit vagae arenae particulam. Quibus si *αἰγιαλῖτιν θῖνα* addideris, habebis non solum pulveris exigui munera sed etiam litus. Denique illud *κεφαλᾶς ἐπαμήσασθαι ψάμαθον* est capiti inicere pulverem, siquidem in talibus *ἐπαμήσασθαι* proprie significat „aggerere tumulum, congerere pulverem in mortuum“ (Apoll. Rh. I, 1305. cf. infra ad vs. 30.)

1) Fuit non ignobilis poeta epigrammaticus Sardibus natus, qui quum tempore belli Mithridatici floreret magnum etiam nomen in Asiae oratoribus ex eo bello invenit. Vid. Strab. XIII. p. 931. B.

2) Pius quidam viator, naufragi cadaver in litore offendens, illud parvo pulveris munere impertit. Jacobs.



v. 28. *Sic tibi defluat*] De particula sic vide ad C. I, 3, 1., de defluendi verbo ad I, 17, 15.

v. 29. *aequo ab Jove*] Intelligendus *Ζεὺς πλουτοδότης* idemque *κτήσιος*, de quo vid. Lobeck. Aglaoph. pag. 1239. coll. Meineck. ad Menandr. p. 182. et Hor. Ept. I, 18, 111.

v. 30. *Negligis immeritis nocituram*
*Postmodo te natis fraudem committere? Fors et*
*Debita iura vicesque superbae*
*Te maneant ipsum: precibus non linquar inultis.*] „Fraus postmodo nocitura“ est *ἄγος* Graecorum. Ita Sophocles in Antig. 256:

*λεπτὴ δ', ἄγος φεύγοντος ὥς, ἐπῆν κόνις.*

ubi Schol.: *οἱ νεκρὸν ὁρῶντες ἄταφον καὶ μὴ ἐναμησάμενοι κόνιν ἐναγεῖς εἶναι ἐδόκουν.* Fundus huius opinionis omnino est Homeri locus ex Necyia quem iam supra dictum est Horatio ante oculos fuisse. Ibi enim Elepenor Ulixem his verbis precatur v. 66. et 72 sq.:

*νῦν δέ σε τῶν ὄπιθεν γουνάζομαι, οὐ παρεόντων —.*
*μή μ' ἄκλαυτον ἄθαπτον ἰὼν ὄπιθεν καταλείπειν,*
*νοσφισθεὶς, μή τοί τι θεῶν μήνιμα γένωμαι.*

Quod fraudem etiam natis nocituram dixit, id de posteriorum sententia addidit. Nam post Homerum demum dira illa ac truculenta superstitio invaluit apud Graecos, ut delictorum a maioribus commissorum poenas a liberis, nepotibus, posteris repeti crederent. Ita iam Solon Eleg. XI, 25 — 32. Schn. et Theognis v. 203 sqq., tum saepe Tragici antiquiores. Vide omnino Lobeck. ad Agl. p. 635 sq. Sed ante omnes inspiciendus Aeschylus in Suppl., ubi Danaides Argivorum regem ut se in tutelam recipiat neve Aegypti filiis, quorum servitutem ac matrimonium fugerant, dedere velit multis et supplicibus verbis orant, dein etiam atque etiam monent ut piaculum caveat (v. 375: *ἄγος φυλάσσου*) et ut Jovis, supplicum praesidis et summi iudicis vindicisque, omnia humana ac divina iura tuentis, iram ac potentiam reformidet,

v. 381: *τὸν ὑψόθεν σκοπὸν ἐπισκόπει.*

v. 385: *μένει τοι Ζηνὸς ἱκτίου κότος*
*δυσπαράθελκτος παθόντος οἴκτοις*[1]).

1) Schol.: *τοῖς θρηνοῖς τῶν πασχόντων συμμαχεῖ ὁ τοῦ Διὸς χόλος.*

v. 402: — — — τάδ' ἐπισκοπεῖ
Ζεὺς ἑτερορρεπὴς, νέμων εἰκότως
ἄδικα μὲν κακοῖς, ὅσια δ' ἐννόμοις.
Addunt v. 426: γνῶθι δ' ὕβριν ἀνέρων
καὶ φύλαξαι κότον.
Denique in haec verba prorumpunt, vs. 433:
Ἴσθι γὰρ, παισὶ τάδε καὶ δόμοις
ὁπότερ' ἂν κτίσῃς, μένει ἀποτίνειν[1])
ὁμοίτατον θέμιν.
τάδε φράσαι δίκαια Διόθεν κράτη.
„Scito enim, ait Aeschylus, utrumcunque horum constitueris, illud certe manere fixumque esse liberis tuis et domo, ut ipsi debitas vices ac poenas pendant. Haec igitur iusta Jovis imperia, s. iustam divinarum legum potentiam, diligenter considera et perpende.“

Haec iam Abreschius et Mitscherlichius cum Horatianis composuerunt. Ac mirum in modum non solum huius verba „Debita iura vicesque superbae te maneant ipsum“ etc. cum Aeschyli verbis consentiunt, sed sententia etiam plane eadem est, quum uterque poeta iustas illas poenas dicat quae maleficis aut impiis divinitus constitutae sint. Easdem vices Horatius appellat, quoniam in sceleratos regeruntur. Vide Bentl. ad Epod. V, 87. Accedit quod Horatius ea quae deinceps leguntur apud Aeschylum vs. 438 — 441. in Carm. I, 35, v. 17 sqq. imitando expressisse videtur. Denique sic statuendum censeo Horatium totum locum partim ex Homeri partim ex Aeschyli loco citato composuisse. Etenim saepe fecit, id quod imitatoris est, ut vel duo proverbia vel duorum auctorum dicta in unum conflaret. Ut hoc loco duo exempla tanquam species subiiciam: Sat. I, 9, 20:

Demitto auriculas, ut iniquae mentis asellus,
Quum gravius dorso subiit onus.

ex communi Graecorum proverbio τὰ ὦτα κάτω βαλεῖν sive ἐπὶ τῶν ὤμων ἔχειν (Plat. de Rep. X. p. 613. C.) et ex altero illo apud Tyrtaeum Fr. 5. Schn.: ὥσπερ ὄνοι μεγάλοις ἄχθεσι τειρόμενοι, coniunxit. Item in Epist. II, 1. v. 199 sq.:

Scriptores autem narrare putaret asello
Fabellam surdo.

duo proverbia coniunxit: surdo narrare fabulam, Terent. Heaut. II, 1, 10. et Graecorum illud ap. Zenob. V, 42: Ὄνῳ τις ἔλεγε μῦθον· ὁ δὲ τὰ ὦτα ἐκίνει. Adde Prooem. not. 30. ubi carminis III, 12. initium partim ab Alcaeo, partim a Sappho repetitum esse vidimus. Denique confr. ad C. I, 16, 12 sqq., 19, v. 9 sq., 24, v. 19 sq., 26, v. 6 — 10., eiusd. v. 17. et 23 sq., 32, v. 13 sqq., 34, v. 12 sq., et Conspectum locorum Graecorum cum Hortatio collatorum.

1) Codd.: μένει δρεικτείνειν, unde Critici emendarunt ἀντιτίνειν, ἀποτίνειν (Schütz.), Ἄρει 'κτίνειν, δορὶ τίνειν. Quorum hoc recepit Hermannus, illud Dindorfius, essetque utrumque fere idem quod ferro lucre. Horatiana maxime favere videntur scripturae ἀποτίνειν.



## Carm. I, 29.

Festivum poematium ad Icciu m amicum datum est, quum iussu Augusti Aelius Gallus expeditionem in Arabiam felicem pararet, quam anno 730. suscepit, sed improspero eventu. Miratur poeta quomodo belli lucrique studium etiam hominem umbratilem et philosophum (cf. Epist. I, 12.) abripere potuerit, ut pro libris arma sumere et relicta philosophia aspera bella tentare vellet. Cuius lepidae irrisionis infortunium ut a bono Iccio amoliantur, Interpretes fere statuunt, Horatium non tam ipsum hominem quam saeculi labem atque stultitiam deridere ac castigare voluisse. Verumtamen vel Graecismi ratio (v. 1. 5. 9. 11.), quae a tam communis argumenti carmine aliena erat, satis probat doctum amicum, non volgus hominum tangi. Ac tulit Iccius, ut opinor, contemtae virtutis bellicae iniuriam, uti par fuit sapienti, aequo animo.

v. 1. *beatis Arabum gazis*] Beatae gazae Homericum quiddam sonant, siquidem pro opulentis eodem modo vocantur quo Homerus dicit Il. IX, 68: ἀνδρὸς μάκαρος κατ' ἄρουραν, vel Od. XVII, 419: οἶκον ἐν ἀνθρώποισιν ἔναιον Ὄλβιος ἀφνειόν. Nam proprie ipsi Arabes beati sunt, quoniam „intacta Arabia“ erat. cf. Propert. II, 10, 16., coll. Hor. C. III, 24, 1. et vide Exc. IV, 4. Append.

v. 2. *acrem militiam paras*] Ut Homerus Il. II, 440. IV, 352. alibi: ἐγειρομεν ὀξὺν Ἄρηα. XI, 836: ὁ δ' ἐν πεδίῳ Τρώων μένει ὀξὺν Ἄρηα. cf. C. III, 2. init.

v. 4. *regibus*] de uno rege. cf. Sat. I, 7, 34. Sophocles de uno Theseo Oed. Col. 294: *τοὺς δὲ τῆσδε γῆς Ἄνακτας.* (Ducntz.)

v. 5. *Quae virginum barbara*] quaesita Graeci sermonis elegantia pro „quae virgo barbara“ vel „quae virginum barbararum“, ut *φίλ' ἀνδρῶν, ὦ τάλαινα παρθένων.* Vide Bernh. Synt. Gr. p. 155. Cfr. Sat. II, 1, 61.

v. 9. *doctus sagittas tendere*] Homericum illud *τόξων εὖ εἰδώς*, coll. Od. XVIII, 262: *ῥυτῆρας ὀϊστῶν.* XXI, 173: *ῥυτῆρα βιοῦ τ' ἔμεναι καὶ ὀϊστῶν.* Virg. Aen. V, 508: telumque tetendit. IX, 590; celerem intendisse sagittam.

v. 10 sqq. *Quis neget arduis Pronos relabi posse rivos Montibus*] *Ἄνω ποταμῶν*, ait Hesychius, *παροιμία ἐπὶ τῶν ἐπ' ἐναντία γενομένων κέχρηνται καὶ Αἰσχύλος καὶ Εὐριπίδης.* Aeschyli locus deperditus est, sed servatus Euripidis in Medea 411:

*Ἄνω ποταμῶν ἱερῶν χωροῦσι παγαί,*
*καὶ δίκα καὶ πάντα πάλιν στρέφεται.*

unde haec ab Horatio sumpta esse recte iam Lambinus vidit.[1]) Cfr. Epod. XVI, 27. Ceterum hoc proverbium Graecorum de rebus *ἀδυνάτοις* vel naturae ordinem pervertentibus post Horatium poetae Latini studiose arripuerunt. Ovid. Trist. I, 8, 1.; Her. V, 31. alii.

## Carm. I, 30.

Hoc carmen in Glycerae omni venustate affluentis laudem (cf. ad C. I, 19, 5. et C. IV, 1, 9 seqq.) quum componeret Horatius, obversatus ei videtur Alcmanis *Εἰς Ἀφροδίταν ὕμνος κλητικός*, cuius particula exstat Fragm. 19 Schneidew., 10 Bergk.:

*Κύπρον ἱμερτὰν λιποῖσα καὶ Πάφον περιῤῥύταν.*

1) Göbel ap. Mützell. 1851. p. 299: „Das später so beliebte Bild vom Zurückweichen der Flüsse zu ihren Quellen ist euripideisch. Medea. 411. Hor. I, 29, 10: Quis cet. Der Cyniker Diogenes weiset noch bei Anwendung desselben Bildes auf Euripides hin (Diog. Laert. VI. 36.); Cicero citirt ad Attic. XV, 4. dasselbe einfach mit den beiden ersten Worten: *ἄνω ποταμῶν*, setzt also voraus, dass sein Freund das Uebrige wisse.“



Huc spectavit Menander rhetor in Walzii Rhet. T. IX. p. 135: *Μέτρον μέντοι τῶν κλητικῶν ὕμνων ἐν μὲν ποιήσει ἐπιμηκέστερον· ἅμα μὲν γὰρ ἐκ πολλῶν τόπων ἔξεστιν τοὺς θεοὺς ἐπικαλεῖν ὡς παρὰ Σαπφοῖ καὶ τῷ Ἀλκμᾶνι πολλαχοῦ εὑρίσκομεν· τὴν μὲν γὰρ Ἄρτεμιν ἐκ μυρίων ὀρέων, μυρίων δὲ πόλεων, ἔτι δὲ ποταμῶν ἀνακαλεῖ· τὴν δὲ Ἀφροδίτην Κύπρου, Κνίδου, Συρίας πολλαχόθεν ἀλλαχόθεν ἀνακαλεῖ.* cf. Soph. Ai. 693 seqq. Simile quiddam habet etiam, quem Mitscherlichius et Orellius comparant, Anacreontis *Εἰς Διόνυσον ὕμνος κλητικός*, Fragm. 2. Schn. et Bergk, in quo poeta deum invocat, ut sibi in conciliando amore Cleobuli auxilietur: verumtamen, quum neque ulla manifesta imitationis vestigia apud Nostrum deprehendantur, et alius deus invocatus sit, et totum argumentum minus aptum ac decorum, animus inclinat potius vel ad Alcmanem vel ad Sappho, cuius eodem de genere versiculus servatus est, Fragm. 6 Schn.:

*Ἦ σε Κύπρος ἢ Πάφος ἢ Πάνορμος,*

sed magis ad illum, quem respexit etiam C. I, 19, 10. cf. ad vs. 2. et ap. Suidam: *καὶ ὢν ἐρωτικὸς πάνυ, εὑρετὴς γέγονε τῶν ἐρωτικῶν μελῶν.*

v. 1. *regina* Cnidi] *ἄνασσα, δέσποινα, μεδέουσα Κνίδου*, ut Diana *Αὐλίδος ἄνασσα* Eurip. Iph. Aul. 434, de Diis *ἐγχωρίοις*. cf. I, 3, 1. III, 26, 9. 28, 13.

v. 2. *Sperne dilectam Cypron*] Hoc ex Alcmane (vide supra) expressum esse iam Muretus V. L. 10, 19 s. f. recte putavit. Assentit Schneidew. Ceterum fundus huius compositionis Cypri et Paphi est Hom. Od. VIII, 362 sq., quam Aeschylus quoque imitatus est, Fragm. 325. Herm.: *Κύπρου Πάφου τ' ἔχουσα πάντα κλῆρον*, et Euripides Bacch. 400: *Ἰκοίμαν ποτὶ Κύπρον, Νῆσον τᾶς Ἀφροδίτας — Πάφον θ'*. ubi consulendus Schoene. Adde Dissen. ad Pind. Isthm. VII, 1.

v. 5. *Fervidus puer*] Cupido, *ὁ δριμὺς Ἔρως*, cui *ὄμματα δριμύλα καὶ γλογόεντα* tribuuntur Mosch. Eidyll. 1, 8. (Wagn.)

v. 6. *solutis Gratiae zonis*] „d. i. *Χάριτες ἀχίτωνες* und Aehnliches in steter Zeichnung der Göttinnen, s. Böttiger Aldobr. Hochz. S. 146 fg.“ Bernhardy. in cens Peerlk.

v. 7. *Juventas*] Sic *Ἥβη*, quam Romani Juventutem appellaverunt (Cic. Tusc. I, 26, 65. cll. Hom. Il. IV, init.), Ve-

neri comes haeret in Hom. Hymn. in Apoll. Pyth. 17: "Ἁρμονίη θ' Ἥβη τε Διὸς θυγάτηρ τ' Ἀφροδίτη Ὀρχεῦντ'. cf. ad C. I, 4, 5.

v. 8. *Mercuriusque*] ὁ λόγιος καὶ ψιθυριστὴς Ἑρμῆς una cum Gratiis et persuadendi Dea tanquam assiduus quidam comes Veneris (πάρεδρός τε καὶ σύνεδρος) memoratur. Bernh. l. c.: „Mercurius Begleiter der Venus s. Bergl. in Arist. Pac. 455., Harpocr. v. Ψιθυριστὴς Ἑρμῆς, Sen. de Benef. I, 3." cf. ad C. I, 10, 1.

## Carm. I, 31.

Hoc carmine quid poeta αὐτάρκης a deo, poetarum praeside atque custode, petere debeat, exponit, sua vota avidis volgi precibus opponens, ut Pindarus Nem. 8, 37 (63):

— — — — — χρυσὸν εἴχονται, πεδίον δ' ἔτεροι
ἀπέραντον· ἐγὼ δ' ἀστοῖς ἀδὼν[1]) καὶ χθονὶ γυῖα καλύψαιμ',
αἰνέων αἰνητά, μομφὰν δ' ἐπισπείρων ἀλιτροῖς.

Pindari locum iam Lambinus ad vs. 3. indicavit. Hunc secuti Mitscherlichius et Orellius utriusque poetae verba contenderunt. Nec sane potest dubitari, quin Horatius consimile illius argumentum in eadem re arripuerit et tanquam exemplum quoddam, quod ipse sequeretur et dilatando explicaret, universe spectaverit, sicut ea quae deinceps apud Pindarum leguntur in Carm. I, 12, v. 45 videtur respexisse: sed singula suo modo dixit, utpote in carmine quam maxime ipsius proprio, cuius caussa fuit Apollo nuper dedicatus. Vide ad C. I, 21.

v. 8. *Mordet*] „Exquisita translatione flumina ripas mordere, lambere, rodere [radere], stringere, lavere, terere dicuntur, quoniam aquis praeterlabentibus terrae aliquid semper demitur. cf. Carm. I, 22, 8. II, 3, 18. Virg. Aen. VIII, 63." Dillenb. In ea quoque re principes Graecorum poetae, qui ita de fluminibus ὑποτρώγειν, ὑποξύειν, ξαίνειν. Confer Callimachi Epigr. XLVI. Bentl. vs. 3 sq.:

— — — πολλάκι λήθει
Τοῖχον ὑποτρώγων ἰσύχιος ποταμός.

Hoc est „saepe latenter murum subrodit quietus amnis", vel

1) h. e. probatus, werth (ἀνδάνω).



ut Horatius „quieta mordet aqua". Vide omnino Jacobs. ad Anthol. Gr. T. X. p. 401. et Ruhnk. Ep. Crit. 151 sq.

v. 9. *Calena falce*] Adiectivum transfertur a vino ad falcem. Cfr. C. I, 9, 8., I, 20, 9., III, 16, 34. et vid. Exc. IV, 4. Append.

— *quibus dedit Fortuna*] sc. hoc ipsum. Ita enim Homerus Od. I, 390: καί κεν τοῦτ' ἐθέλοιμι Διός γε διδόντος ἀρέσθαι. Il. XXII, 285: Ἕλκεσσον, Εἴ τοι ἔδωκε θεός. Hinc Sophocles Oed. R. 1080 sq.: παῖδα τῆς Τύχης τῆς εὖ διδούσης. coll. Hor. Sat. II, 6, 49: Fortunae filius.

v. 13. *Dis carus ipsis*] Quum diligere dii antiquitus crederentur vel eos, quos incolumes praestarent in periculis (Hom. Il. XXII, 41.; XXIV, 749.), vel eos, quibus divitias concessissent (Hom. Il. II, 668.; Hesiod. Opp 120.; Theogn. 653.), non sine gravi ironia epicum illud θεοῖσι φίλος, φίλος μακάρεσσι θεοῖσι ad mercatorem traduxit. Nimium profecto, ait, dii immortales isti favent, cui praeter omnium rerum abundantiam etiam illud concessisse videantur ut impune per maria currat (cf. C. I, 3, 26.). Eadem ironia Lucianus in Vera Hist. II, 28. utitur nos ad ipsum Homerum reiiciens[1]).

v. 15 sq. *Me pascunt olivae* etc.] Ad rem cfr. Hesiod. Opp. 41. et Aristoph. Plut. 543 sqq., cll. Epod. II, 55 seqq. „Eandem sententiam „ὁ παμφάγος Ἀλκμὰν" sic expressit Fragm. 13. Schneidew. de se:

οὔτι γὰρ ἠῢ τετυγμένον ἔσθει,
ἀλλὰ τὰ κοινὰ γὰρ, ὥσπερ ὁ δᾶμος
ζατεύει." Orelli.

v. 17. *Frui paratis*] Non concupiscere plura sed frui iis quae adsunt (Sat. II, 6, 13.; Epist. I, 18, 107.), hoc est quasi caput sapientiae Horatianae, quam ipse Epist. I, 4, 7. fruendi artem appellat. Debet autem eam sententiam, ut id genus pleraque, Euripidi, qui sapientissimus poeta idem

1) Ipsius verba sunt haec: Τῇ δὲ ἐπιοίσῃ προσελθὼν πρὸς Ὅμηρον τὸν ποιητήν, ἐδεήθην αὐτοῦ ποιῆσαί μοι δίστιχον ἐπίγραμμα καὶ ἐπειδὴ ἐποίησε, στήλην βηρύλλου λίθου ἀναστήσας ἐπέγραψα πρὸς τῷ λιμένι. τὸ δὲ ἐπίγραμμα ἦν τοιόνδε·
Λουκιανὸς τάδε πάντα φίλος μακάρεσσι θεοῖσιν
Εἰδέ τε καὶ πάλιν ἦλθεν ἐὴν ἐς πατρίδα γαῖαν.

a diis sibi exoptat et aliis commendat saepissime. Vide Prooem. pag. XVII seq. Inde etiam popa apud Menandrum Comicum in *Κόλακι* pag. 101. Meineck. omnibus convivis praeter cetera „*τῶν ὄντων νῦν ἀγαθῶν ὄνησιν*“ precatur.

v. 18. *Latoë*] Graece *Λητῷος* a volgari forma *Λητώ*, et *Λατῷος* a lyrica forma *Λατὼ* dicitur. Ovidius formis Letoia, Letois, Letoias utitur; Latous in Varronis versibus et Latoa vates apud Senecam legitur. Illud N. Heinsius Advers. p. 169. e vetutissimo codice Horatii h. l. praeferebat. Difficile est statuere, utrum verum sit. Verumtamen in ea quoque re aliquid dandum videtur auribus, quibus Dorica forma meo quidem iudicio h. l. gratior accedit. Adde quod Pindarum et Euripidis locum e choro sequitur. Cfr. II, 17, 14: centimanus Gyas.

v. 19 seq. *nec turpem senectam Degere nec cithara carentem.*] Quod Horatius, qui se vatem sive Apollinis sacerdotem professus erat, hic deum *κιθαρῳδὸν* (cf. Hom. Il, I, 603.) precatur[1]), id Euripides ut sibi contingat Musam orat Herc. fur. 676:

*Μὴ ζῷην μετ' ἀμουσίας,*
*ἀεὶ δ' ἐν στεφάνοισιν εἴην·*
*ἔτι τοι γέρων ἀοιδὸς*
*κελαδεῖ Μναμοσύναν.*

Adde qui huic germanus est locus Erechth. Fragm. 13. Dind.:

*Μετὰ δ' ἡσυχίας πολιῷ*
*γήρᾳ συνοικοίην,*
*ἀείδοιμι δὲ στεφάνοις κάρα*
*πολιὸν στεφανώσας.*

Quae recte cum Horatianis comparant. Simile aliquid etiam Theognis Eleg. 790 sqq. sibi precatur: sed multo probabilius esse videtur Horatium ad Euripidem respexisse in clausula, ut exordium carminis a Pindaro deduxerat. Hos solet sequi; illum num ullo loco secutus sit plus quam dubium est. Vid. Prooem. p. XXIII. et cf. ad C. I, 26, 1. et C. IV, 3. extr.

1) Ita Schillerus noster, Horatii fortasse memor, de Regino Ibyco, quem ipse quoque dis amicum et pium vatem appellat:

Ihm schenkte des Gesanges Gabe,
Der Lieder süssen Mund Apoll.



## Carm. I, 32.

Sapphus secutus exemplum, Fragm. 24. N. (63. Schneidew., 70. Bergk.):

*Ἄγε δῦα χέλυ μοι λέγε, φωνάεσσα δὲ γίγνεο,*

barbiton suum salutat eiusque tamquam Musae opem invocat, ut sibi usque obsecundare velit, quum praesertim maius aliquod carmen lyricum (fortasse I, 12., vid. ad vs. 2.) meditetur. Eodem respexit C. III, 11, 3 seqq., quos versus iam Fulvius Ursinus cum Sapphico comparavit. Hunc locum ad idem exemplum expressum esse recentiores interpretes viderunt, in quibus Schneidewinus et Orellius. cf. ad vs. 3.

v. 1. *Poscimur.*] Alia ratio est loci Pindarici, quem Orellius profert ex Isthm. ζ, 10. (VII, 5. B.):

*— — τῷ καὶ ἐγώ, καίπερ ἀχνύμενος*
*θυμὸν, αἰτέομαι χρυσέαν καλέσαι*
*Μοῖσαν — — — —:*

quamquam eiusdem carminis initium in huius clausula vs. 15 sq. imitatione expressum esse recte concedas. Hic vero Horatius se posci dicit non ut ille ab amicis iubetur vocare Musam in domum victoris, sed quoniam res ipsa carmine celebranda eum incitat. Huc sane pertinent Stat. Ach. I, 539: „Nos vocat iste labor“; Ovid. Met. V, 333: „Poscimur, Aonides“; Fast. IV, 721: „Palilia poscor. Non poscor frustra, si favet alma Pales“. Sed miror ab interpretibus omissum esse, qui magis etiam appositus erat, eiusdem Ovidii locum ex Met. II, 144: Non est mora libera nobis: Poscimur.[1])

— *si quid lusimus: age dic*] sollemnis in precationibus formula vel antiquissima. Homer. Il. I, 40: *εἰ δή ποτε - ἔκηα, τόδε μοι κρήηνον ἐέλδωρ.* XI, 138: *εἰ μὲν δὴ - ἔστον, νῦν μὲν δὴ τίσετε.* Vide Naegelsbach. ad Il. I, 61. et eiusd. Exc. I, 12. p. 167., coll. Hor. C. III, 18, 5. C. S. 37.

v. 2. *Lusimus tecum quod et hunc in annum*
*Vivat et plures:*] Ut Graecis *παίζειν*, ita Latinis ludere proprium omnino est in amore et rebus ludicris ver-

1) Verte cum Voigtio meo, qui illum locum mihi indicavit: „So sei es denn gewagt meinem Drange zu folgen.“ Ex Goethii Iphigenia Nauckius apposite confert: „Du forderst mich.“

bum. Philodemi Ep. XIX, 5: *παίζειν ὅτε καιρός.* Hor. Epist. I, 14, 36: „nec lusisse pudet, sed non incidere ludum.“ Tum de quovis carmine hilariore usurpatur, ut Pind. Ol. I, 16: *οἷα παίζομεν φίλαν Ἄνδρες ἀμφὶ θαμὰ τράπεζαν.* ubi poetas vides qui saepe in conviviis et commissationibus familiariter coniuncti quum alia tempestiva animi caussa luderent tum scoliis se oblectarent: quod Callimachus dicit Ep. 37. *οἴνῳ καίρια συγγελάσαι.* cf. Virg. Ecl. I, 10., Hor. Sat. I, 10, 37. Sed ut etiam scolia plerumque argumentum habebant ludicrum et amatorium, ita *παίζειν* praecipue in levis amatorio genere carminum frequentatum. Vide ad C. I, 6., coll. Hertzberg. ad Propert. I, 10, 9. et, qui *παίζειν* de cantu vel carmine illustrat, Ruhnk. ad Tim. p. 222. Neque tamen ideo caducum aliquod carmen intelligendum est, quale Nauckius[1]) aliique Horatii verba perperam construentes intelligunt. Sic enim Nostro, qui in his rebus fere omnibus Graecos sequitur, carmina vivunt sive durant, si vivax venus leposque in iis insit. Pindarus Nem. IV, 6:

*ῥῆμα δ' ἐργμάτων χρονιώτερον βιοτεύει*
*ὅ τι κε σὺν Χαρίτων τύχᾳ*
*γλῶσσα φρενὸς ἐξέλοι βαθείας,*

ubi Scholiastes: *ὡς ἐάν γε χωρὶς Χαρίτων γράφηται ὁ λόγος ἀπόλωλε καὶ ἔσβεσται· ἐὰν δὲ μετὰ Χαρίτων, μένει πρὸς αἰῶνα εὔδια. καὶ Καλλίμαχος·*

*Ἕλλετε νῦν, ἐλέγοισι τ' ἐνιψήσασθε λιπώσας*
*χεῖρας, ἵν' εὔφημοι πουλὺ μένωσιν ἔτος.*[2])

Gratias rogat Callimachus, ut manus fragrantes in ipsius elegis abstergant, quo cunctis probati perennent. Nimirum illae (ut alibi Venus, vid. Theocr. XVII, 36 seq., coll. Hor. C. I,

1) „Dem leichten Getändel (lusimus) wird das bleibende Lied (quod vivat), dem lateinischen das lesbische gegenübergestellt.“

2) Fragm. 121. Sententiam Callimachi, quae Bentleium fugerat, perspexit Hemsterhusius ad Callim. T. I, p. 489., eique assentiunt Boeckhius ad Pindari Schol. p. 450. et Wuestemannus ad Theocr. 17, 37. Itaque illud *ἔλλετε*, i. e. *ἔρρετε*, in bonam partem accipiunt: Adeste nunc, vel Agite nunc, Gratiae. Pentameter claudicat in libris msc. uno orbatus pede: *χεῖρας.. ἵνα μοι κ. τ. λ.* Supplent *ἐμοῖς, ἵνα μοι κ. τ. λ.*, sed quod supra scriptum est, Hemsterh. et Valcken. scribunt.



13, 16.) rebus et hominibus venustatem conciliant, quin etiam ipsae, Musarum munere fungentes, inspirant vatibus „pulcrifluos cantus“ (Pind. Ol. VI, 83.), ut hi decore quasi unguento perfusi semper vigeant omnibusque gratissimi sint. Similia vide ap. Jacobs. in Anthol. Gr. T. VIII. p. 392. et VI, 42. Sed ante omnes ipse Horatius inspiciendus C. IV, 9, 9:

Nec si quid olim lusit Anacreon,
Delevit aetas; spirat adhuc amor
Vivuntque commissi calores
Aeoliae fidibus puellae.

Adde Epist. I, 19, 2., Cic. ad Att. X, 1, 1. coll. Musgravio ad Soph. O. R. 482. (*μαντεῖα ἀεὶ ζῶντα*).

— *hunc in annum et plures*] ut Theocritus in Adoniaz., Id. XV, 74: *κἠς ὥρας κἠπειτα*, i. e. in omnem posteritatem.

Itaque hoc dicit Horatius: „Si quid unquam tecum cartavi, o barbite, quod posteritatis memoria non indignum sit, sicut ea quae Anacreon olim et Sappho luserunt adhuc vigent omnibusque gratissima sunt —: agedum mihi operam tuam praesta, ut aliquando eiusmodi carmen dicam, quod Alcaei magnos et altos spiritus iusto modo assequatur. Nam quod ego, pergit dicere, graviora carmina cum levioribus coniuncturus sum, ne illius quidem Musa plenius fere sonans a laudibus vini et amoribus abhorruit. Nunc autem poscor, ut Augusti laudes celebrem, nec frustra poscor, si tu mihi cumque faves, ut illi deliciis tuis semper favisti.“ Vides non sine caussa unum Alcaeum hoc loco ab Horatio commemorari, quoniam is utrumque genus coniunxerat, eiusque „Aeolium carmen“ ipse Latio acquirere studebat. Vide Prooem. p. XIX. Est igitur hoc carmen velut prooemium quoddam, quo graviori carminum generi suo Alcaico praelusit, scriptumque videtur ante Carm. I, 12.

v. 3. *age dic, barbite, carmen*] Sunt Sapphus illa quae supra proposui. Hinc etiam C. III, 11: „tuque testudo... loquax..., Dic modos, Lyde quibus obstinatas Applicet aures.“ Et alibi apud Graecos *φθέγγεσθαι* (Theogn. 761.) et *λάλος* (Jacobs. Del. Epigr. pg. 30.) de instrumentis musicis; transfertur enim a *Μούσῃ λιγείᾳ*. Vide ad C. I, 24, 3. coll. Virg. Ecl. V, 87. VIII, 21. X, 34.

— *Barbite*] „Consulto usus est Horatius Graeco vocabulo *βάρβιτος*, quo quum Graeca eius poesis natura prodatur, certamen aliquod exoritur inter nomina Latinum et barbite et ipse „Romanae fidicen lyrae“ (C. IV, 3, 23.) ostenditur. Neque aliter positum est Graecum vocabulum C. I, 1, 34. III, 26, 4.“ Dillenb. Ceterum antiqua forma apud Graecos vel *ἡ βάρβιτος* vel *τὸ βάρβιτον*, posteriore demum aetate *ὁ βάρβιτος* masculino genere. Vide Jacobs. A. P. p. 221.

v. 5. *Lesbio primum modulate civi*] Post ea quae supra vidimus vix mireris, quod Horatium Alcaeum primum barbito usum esse dicit. Nam inventi sane laudem Terpandro deberi, Pindarus locuples nec incognitus ei auctor erat apud Athen. XIV. pg. 635. D.: *ἀρχαῖόν ἐστιν ὄργανον ἡ μάγαδις, σαφῶς Πινδάρου λέγοντος τὸν Τέρπανδρον ἀντίφθογγον εὑρεῖν τῇ παρὰ Λυδοῖς πηκτίδι τὸν βάρβιτον·*

*Τόν ῥα Τέρπανδρός ποθ' ὁ Λέσβιος εὗρεν*
*πρῶτος ἐν δείπνοισι Λυδῶν*
*ψαλμὸν ἀντίφθογγον ὑψηλᾶς ἀκούων πηκτίδος.*[1])

Terpander, si Pindaro credimus, primus a Lydis modos doctus novas quasdam fides excogitavit, ad quas canebantur scolia ab eodem inventa.[2]) Nec dubitandum, quin Pindarus perfectam illam et absolutam lyram, *φόρμιγγα ἑπτάγλωσσον* (Nem. V, 24.) sive *ἑπτάκτυπον* (Pyth. II, 70.), *ἑπτάφθογγον* aut *ἑπτάτονον χέλυν* Euripidi (Jon. 881., Alc. 446.), testudinem resonare septem callidam nervis Horatii intellexerit. Nam hanc ipsam ab illo inventam tradunt[3]), et ipse sibi vindicat, quod inventum alii Apollini tribuunt, ut Callimachus H. in Delum v. 253 sq.[1]), ad Mercurium autem, ut Horatius C. III, 11., ita auctor Hom. Hymn. in Merc. 51. refert[2]), ap. Strab. XIII, 618.[3]) Ac barbitos Terpandri ab „alta Lydorum pectide“, viginti chordis instructa, etiam eo differebat, quod plectro, non digitis pulsabatur. Igitur Terpandro satis constat sua laus: verum hoc loco Horatius illius inventum nihil curat, sed se cum Alcaeo, magno suo exemplo, contendens ab hoc barbiton ante se usurpatum atque nobilitatum esse dicit. Eandem ob caussam ex posterioribus poetis Graecis fuerunt qui eiusdem inventi laudem Anacreonti potissimum tribuerent. Vide Bergk. ad Anacr. Fr. 113., et si de lyrae origine et artificio plura desideres, adeas doctissimi Spanhemii Observ. in Callim. ed. Ern. II. p. 532—542.

v. 6. *ferox bello*] Horatius his verbis praecipue Alcaei carmina de rebus civilibus spectat, quae *στασιωτικὰ* vocant (ap. Schneidew. fr. 7—23.).

v. 7. *udo litore*] Quum udus a Latinis proprie dicatur de interno humi humore, Horatius primus, ut videtur, ausus est dicere „udum litus“, quod a mari ad ipsum litus translatum est. Namque Graeci Homerum secuti, qui quidem *ὑγρὰ κέλευθα*, *ὑγρὴν* de mari frequentasset, saepe *ὑγρὸν* pro *ἁλίκλυστον*, *ἁλίκτυπον* usurpabant. Horatium imitatus est Statius Silv. II, 2, 15: montique intervenit udum Litus. ubi v. Markland.

v. 9. *Liberum*] Significat eius *ᾄσματα συμποσιακά* (fr. 27—44.), cf. v. c. ad C. I, 18, 3. Musas autem opinor tanquam deas poeticae praesides et Jovis filias pulcricomas celebravit, quo nomine easdem Sappho praedicat Fr. 61. et 62. Schneidew.[4])

— *Veneremque et illi* etc.] *Ἐρωτικὰ* tangit (fr. 45—52. cf. ex hymnis fr. 4. et 5.).

1) Pindari Fragm. 91. Boeckh. p. 617.

2) Plut. de musica c. 28: *εἰ δὲ, καθάπερ Πίνδαρός φησι, καὶ τῶν σκολίων μελῶν Τέρπανδρος εὑρετὴς ἦν.* Scolia autem Grammatici omnino ea carmina nuncupabant, quae per vices a singulis ad citharam cantata esse animadverterent: quod in Scoliis factum traditur. Alii eadem Encomiorum, item *Παροινίων* nomine latius patente comprehendunt. Ac Pindari quidem Scolia non tantum cantata idque Lydio modo, sed simul acta et saltata esse a choro cantori parente Boeckhius probat l. c. et p. 607.

3) Suidas: *Τέρπανδρος - λυρικὸς, ὃς πρῶτος ἑπτὰ χορδῶν ἐποίησε τὴν λύραν.*



1) *Ἔνθεν ὁ παῖς τοσσάσδε λύρῃ ἐνεδήσατο χορδὰς*
*ὕστερον, ὁσσάκι κύκνοι ἐπ' ὠδίνεσσιν ἄεισαν.*

2) *Ἑπτὰ δὲ συμφώνους οἵων ἐτανύσσετο χορδάς.*

3) Fr. 1. Schn.: *Ἡμεῖς τοι τετράγηρυν ἀποστέρξαντες ἀοιδὴν*
*ἑπτατόνῳ φόρμιγγι νέους κελαδήσομεν ὕμνους.*

4) *Δεῦτέ νυν ἁβραὶ Χάριτες καλλίκομοί τε Μοῖσαι.*

*Βροδοπάχεες ἀγναὶ Χάριτες, δεῦτε, Διὸς κόραι.*

v. 11. *Lycum* memoravit Alcaeus in Fr. 48. Schn.:

*Οὐκ ἐγὼ Λύκον ἐν Μοίσαις ἀλέγω,*[1])

tummaxime fortasse cum eo stomachans, ut solent amantes. Cic. de N. D. I, 28: „Naevus in articulo pueri delectat Alcaeum.“ et Tusc. IV, 33: „Fortis vir in sua republica cognitus, quae de iuvenum amore scripsit Alcaeus!“ Huc spectat etiam Schol. Pindari ad Isthm. II, 1.: *ὅτι δὲ περὶ παιδικοῦ ἔρωτος ἦν τοῖς λυρικοῖς ἡ τῶν ποιημάτων σπουδή, δημιώδης ὁ λόγος. ταῦτα δὲ τείνει καὶ εἰς τοὺς περὶ Ἀλκαῖον καὶ Ἴβυκον καὶ Ἀνακρέοντα καὶ εἴ τινες τῶν πρὸ αὐτοῦ (Πινδάρου) δοκοῦσι περὶ τὰ παιδικὰ ἠσχολῆσθαι. Ἀνακρέοντα γοῦν ἐρωτηθέντα, φασὶ, διατί οὐκ εἰς θεοὺς γράφει ὕμνους, ἀλλ' εἰς παῖδας, εἰπεῖν ὅτι οὗτοι ἡμῶν θεοί εἰσιν.*

v. 13 seqq. Exitus carminis ad veteris hymni similitudinem proxime accedit: unde censenda elocutio.

*O decus Phoebi et dapibus supremi*

*Grata testudo Jovis*] Omnino testudo Homero est *δαιτὸς ἑταίρη* sive *δαιτὶ συνήορος* Od. XVII, 271; VIII, 99; Hymn. in Merc. 31., sicut ipsi Horatio est C. III, 11, 6: „divitum mensis et amica templis.“ Sed hoc loco potissimum respexit convivium deorum in Olympo, quale idem Homerus describit Il. I, 603 sqq.:

*Δείννυντ', οὐδέ τι θυμὸς ἐδεύετο δαιτὸς ἐίσης,*
*οὐ μὲν φόρμιγγος περικαλλέος, ἣν ἔχ' Ἀπόλλων,*
*Μουσάων θ', αἳ ἄειδον ἀμειβόμεναι ὀπὶ καλῇ.*

ubi citharam modulatur ipse Apollo, Musarum choro alternis canente. Hinc Pindarus Pyth. I, init.:

*Χρυσέα φόρμιγξ, Ἀπόλλωνος καὶ ἰοπλοκάμων*
*σύνδικον Μοισᾶν κτέανον,*

lyram commune Apollinis et Musarum instrumentum vocat. Nempe de summa vi musices dicturus ille non *ψιλὴν κιθάρισιν* praedicat, sed quae cum poesi coniuncta sit, ut optime Dissen. p. 163. Nec aliter Horatius, quum addat v. 14 sq.:

o laborum Dulce lenimen,

quae idem Dissenius p. 595. comparat cum Pindari Isthm. VII, init.:

1) i. e. *ὑμνῶ* im Liede pflegen, verherrlichen.



*Κλεάνδρῳ τις ἁλικίᾳ τε λύτρον*
*εὔδοξον, ὦ νέοι, καμάτων*
*— — — ἀνεγειρέτω*
*κῶμον, Ἰσθμιάδος τε νίκας ἄποινα.*

Nam quod Pindarus h. l. et Pyth. V, 106: *μέλος καλλίνικον λυτήριον δαπανᾶν*, carmen efficere dicit, id Horatio testudo praestat, ut virtutis laborem laude compenset. Adde quod *ἀνεγειρέτω κῶμον*, ut Ol. VII, 42: *ἔγειρ' ἐπέων οἶμον λιγύν*, est Horatii C. II, 10, 19: „Apollo suscitat Musam.“ Denique sic Horatii locum accepit vir sagacissimus, Lachmannus ad Lucret. V, 312. p. 288: qui cumque nisi cum relativis coniunctum non agnoscens hoc quoque loco emendat *o laborum Dulce lenimen medicumque salve rite vocanti.* Recordabatur videlicet ille Horatio haec scribenti eundem Pindarum obversari potuisse, qui saepe etiam carmen s. victoriae laudem (*τὸ καλλίνικον*) dixisset *ἄκος πλαγᾶν* Nem. III, 18., *ἰατρὸν πόνων* Nem. IV, 2., *φάρμακον κάλλιστον ἐᾶς ἀρετᾶς* Pyth. IV, 187. ubi vid. Dissen. Verum ingenue ut fatear, mihi Lachmanni coniectura elegantior quam verior esse videtur. Nam illud cumque vel miro Codicum et Scholiastarum consensu atque manifesto sententiarum nexu h. l. satis defenditur et sustentatur. De Latini sermonis analogia et de archaismo[1]) quaerere interpretum erit: Graece Horatii sententiam sic reddiderim: *ἀλλὰ σὺ χαῖρέ μοι ἀεί ποτε δικαίως σ' ἐπικαλοῦντι.*[2]) Sic Soph. Ant. 456. Schn.: *ἀλλ' ἀεί ποτε ζῇ ταῦτα*, i. e. „sed iura divina tamen, utcunque erit, semper manebunt“ (cf. Ai. 320.). Possis etiam vertere *χαῖρέ μοι ἐπικαλοῦντι ἀεί*, i. e. *ἀεὶ χαῖρέ μοι ἐπικαλοῦντι, ὅταν δικαίως γέ σ' ἐπικαλῶ*, ut Graeci *ἀεὶ* eleganter usurpare solent bis intelligentes. Soph. O. C. 1555: *μέμνησθέ μου θανόντος εὐτυχεῖς ἀεί*, h. e. „mei cumque mortui memineritis, utcunque ipsi felices eritis.“ Id. Phil. 148: *πρὸς ἐμὴν αἰεὶ χεῖρα προχωρῶν Πειρῶ τὸ παρόν θεραπεύειν*, „ad signa manu mea cumque data procedens, sic semper paratus agendi opportunitatem observa.“ Precatur

1) Lucret. V, 312. 583. ubi ante Lachmannum quomque explicabant pro „jedesmal“, ut Bernhardy in cens. ed. Orell.

2) Jos. Scaliger ad Lucilii Jun. Actnam. v. 6. verum suspicatus Horatii locum Graece sic reddit: *χαῖρέ μοι ποτε ἐπικαλοῦντι.*

Horatius lyram suam salutans, ut quemadmodum adhuc fecerit, sic usque sibi obsecundare velit, si rite vocet.[1]) Supra enim, id quod ad sententiam fere idem erat, simpliciter dixerat dic carmen. Sic interpretor Graeca potissimum in hymnis loquendi consuetudinem comparata. Nam quin hoc mihi salve a Graeco χαῖρε repetendum sit, vix est quod dubitemus, siquidem, ut mittam recentem testudinem ita salutari ab ipso parente Hom. H. in Merc. 31: χαῖρε... δαιτὸς ἑταίρη, Ἀσπασίη προφανεῖσα κ. τ. λ., haec ipsa sollemnis ac prope necessaria in hymnorum epilogis perorandi formula fuit, qua poetae ad deos conversi et iis quasi valedicentes uti solebant, ut quorum numinum virtutes carmine celebravissent, eorum potentiae ac benevolentiae se commendarent eamque perpetuam sibi poscerent, ultro fere pollicentes se etiam posthac ipsorum laudes persecuturos esse. Ita omnes hymni Homerici, paucis quibusdam exceptis, clauduntur, sed maxime hoc modo quo H. in Apoll. P. 367:

Καὶ σὺ μὲν οὕτω χαῖρε, Διὸς καὶ Λητοῦς υἱέ.
αὐτάρ ἐγὼ καὶ σεῖο καὶ ἄλλης μνήσομ' ἀοιδῆς.

Additur in aliis ἐμεῖο δὲ καὶ μετόπισθεν Μνήσασθ' (H. in Ap. D. 165.), λίτομαι δέ σ' ἀοιδῇ (XVI, 5. Fr. XIX, 48.), ἵλαμαι δέ σ' ἀοιδῇ (XXI, 5.), vel substituitur huic formulae ἀλλ' ἵληθι (XX, 8. XXIII, 4.), χάριν δ' ἅμ' ὅπασσον ἀοιδῇ (XXIV, 5.).

Ac ne quis Homericis istis hymnis parum tribuendum esse putet, non parvi facienda est Callimachi auctoritas, qui quum similes habeat hymnorum clausulas satis ostendit illam perorandi formulam antiquis in usu fuisse, quidquid nonnulli contra disputarunt.

H. in Jov.: Χαῖρε μέγα Κρονίδη πανυπέρτατε, δῶτορ ἐάων.
χαῖρε πάτερ, χαῖρ' αὖθι, δίδου δ' ἀρετὴν ἀφενόν τε.
H. in Dia.: Χαῖρε μέγα κρείουσα, καὶ εὐάντησον ἀοιδῇ.
H. in Cer: Χαῖρε θεὰ καὶ τάνδε σάω πόλιν — —,
ἵλαθί μοι τρίλλιστε μέγα κρείουσα θεάων.

Notum est ex Homericis hymnis, si non plerosque, nonnullos certe aliorum carminum προσόδια et προοίμια fuisse itaque vocata esse, quia scilicet iis carminibus quae caput erant totius sollemnitatis quasi prooemiabantur[1]). Quare quoniam hoc ipsum quoque carmen prooemium quoddam maioris carminis est, conferas etiam H. Hom. XIII, 3:

Χαῖρε, θεά, καὶ τήνδε σάω πόλιν, ἄρχε δ' ἀοιδῆς.

et X, 5. Χαῖρε, θεά, — δὸς δ' ἱμερόεσσαν ἀοιδήν.

Optime utique contuleris Latinum Macte virtute. Lucilius ap. Non. p. 341, 2. coll. Serv. ad Aen. IX, 641: „Macte, inquam, virtute simulque his versibus esto.“

Restat ut de additamentis, quae h. l. habentur, mihi et cumque paucis dicendum videatur, quorum alterum otiosum, alterum etiam alienum ab hoc loco Lachmannus iudicavit. Dicit enim: „volunt hoc esse ‚salve quotiens te advoco‘: at cur lyra alias ei non salveat?“ Ut iam taceam mihi utrumque ad sententiam aptissimum ac paene necessarium videri, saepenumero Graeci humanissimae illi bene precantium in salutatione et valedicendo formulae dativum adiiciunt propter hanc ipsam opinor quae formularum usu invaluit sententiam „macte esto virtute laetusque mihi adsis.“ Est idem dativus qui in χλῦθί μοι et aliis precandi formulis invenitur, vide Bernh. Synt. p. 85. et confer, si tanti est, Eurip. Phoen. 618. Hec. 426. Soph. O. C. 1137. et Melinnus hymnum in Romam ap. Schneidew. pg. 455: Χαῖρέ μοι Ῥώμα, θυγάτηρ Ἄρηος. Praeterea non raro superaddunt etiam simile aliquid, quale illud cumque est. Soph. l. c.:

σὺ δ' αὐτόθεν μοι χαῖρε καὶ τὰ λοιπά μου
μέλου δικαίως, ὥσπερ ἐς τόδ' ἡμέρας.

Cfr. eiusd. Trach. 918. et Theocr. I, 144 sq.:

— — — ὦ χαίρετε πολλάκι, Μοῖσαι,
χαίρετ'· ἐγὼ δ' ὔμμιν καὶ ἐς ὕστερον ἄδιον ᾄσω.

Itaque Horatius si non archaismum secutus est, Lachmanno sic arbitrante, certe Graecos auctores satis idoneos suae sententiae ὑπερασπιστὰς habet. Nec multum sane differt, si genus dicendi spectas, Virg. Aen. I, 330. coll. Theocr. XXII, 54.

1) „Sei du mir freundlich gegrüsst und bleib mir beständig gewogen, so oft ich (jedesmal wenn ich) mit wahrer Begeisterung dich rufe.“

1) Vide Frankii Praef. in Hymn. Hom. p. XVI sqq., coll. Bernhardyi hist. lit. Gr. T. I. §. 53, 3. et 58, 4.

## Carm. I, 33.

Leve hoc ac lepidum poematium, quo Albium Tibullum, dulcissimum elegiarum poetam et sibi amicissimum (Epist. I, 4.), de perfidia amatae puellae consolatur, quoniam sic placitum sit Veneri ludum insolentem ludere amanti, ut diversissimi ingenii et naturae homines tanquam imparia paria „iugo cogat aeneo“, ab ipso Horatio inventum esse vix est quod moneamus, nec quisquam sanus aliter statuat. Properemus igitur ad singula de Graeco ac de medio petita, quaestione illa verumne an falsum Tibulli amorem dixerit aliis relicta talia discutere cupientibus [1]). Nobis Glycera est *γλυκὺς ἔρως*, *γλυκεῖα ἡδονή*. Vide ad C. I, 19.

v. 1. *Immitis Glycerae*] ob „laesam fidem“, quamquam ipsum Glycerae nomen a dulcedine dictum cum adiectivo addito grato oxymoro pugnat: *πικρὸν Γλυκέριον*, ut *Ἔρως* apud Graecos *γλυκύπικρος* audit. Sappho Fr. 20. Schn.: *Ἔρος δηὖτέ μ' ὁ λυσιμελὴς δονεῖ, Γλυκύπικρον ἀμάχανον ὄρπετον*. Ita Amorem Orpheus quoque nominat, Lobeck. Agl. 957.; cfr. Plaut. Cistell. I, 1, 71. Pseud. I, 1, 61. II, 4, 1. Accedit quod puellae amabiles cum uvis et fructibus comparantur amatoribus decerpendis, vide ad C. I, 23, 12. coll. Hermanno ad Aeschyl. Sept. 315. et Horat. C. II, 5, 9: Tolle cupidinem Immitis uvae: ut quaesitus verborum lusus satis appareat. Etiam quae infra commemorantur nomina e Graeco fluxisse patet, quum sint *Λυκωρίς*, *Κῦρος*, *Φολόη*, *Μυρτάλη*, satis frequentia apud comicos Graecos, et videntur omnia „pro exemplis posita“ nec sine certo consilio a poeta electa esse, sicut hoc ipse in nomine Glycerae indicavit, illud Commentator Cruq. de Pholoe ad C. II, 5, 18. adnotavit. Vide omnino Exc. II. et de Cyro cf. infra ad vs. 14.

v. 5. sqq. *Lycorida Cyri torret amor, Cyrus in asperam Declinat Pholoën*] Ad eandem sententiam pertinent hi Moschi versus, quos inde a Lambino interpretes comparare coeperunt, postquam illi primum a Fulvio Ursino indicati sunt, Idyll. VI. init.:

1) In Lycoride Cornelium Gallum simile aliquid passum esse atque Tibullum in Glycera Virgilii Scholiastae ad Ecl. X, 2. tradunt.



*Ἦρι Πὰν Ἀχῶς τᾶς γείτονος, ἤρατο δ' Ἀχὼ*
*σκιρτητᾶ Σατύρω, Σάτυρος δ' ἐπεμαίνετο Λύδᾳ·*
*ὡς Ἀχὼ τὸν Πᾶνα, τόσον Σάτυρος φλέγεν Ἀχώ,*
*καὶ Λύδα Σατυρίσκον· ἔρως δ' ἐσμύχετ' ἀμοιβᾷ κ. τ. λ.*

His poeta Graecus postremo hanc subiungit sententiam v. 8.:

*Στέργετε τοὺς φιλέοντας, ἵν' ἦν φιλέητε φιλῆσθε.*

Cuius imitationis aliud exemplum, Europam Horatii Carm. III, 27, 25 sqq. ex Moschi Idyll. II. adumbratam, Lessingius in epistola ad Langium data manifestissimum et certissimum esse iudicavit [1]). Itaque illum hoc quoque loco Horatio obversatum esse, quum uterque poeta in eadem similitudine versetur, mihi satis probabile videtur. Certe haec magis inter se conveniunt, quam communis illa Callimachi sententia Epigr. XXXIII, 5 sq.:

*Χ' οὑμὸς ἔρως τοιόσδε· τὰ μὲν φεύγοντα διώκειν*
*οἶδε, τὰ δ' ἐν μέσσῳ κείμενα παρπέταται.*

quam sententiam Sat. I, 2, 107 sq. ad verbum expressit, cum hoc quidem loco congruere videatur.

— *torret amor*] ut Moschus *φλέγεν*. Quamquam verbum proprium in hac re non tam *φλέγειν* est quam *ὀπτᾶν*, Latinis imitatoribus torrere. cf. C. III, 9, 13. 19, 28. IV, 1, 12. et Propert. III, 23, 13. De Graecis Orellius profert Sapphus Fr. 13. N.: *ὀπτᾷς ἄμμε*. Adde Sophoclis Fr. 421. D. ubi Hippodamia: *Πέλοψ — ἀστραπήν τιν' ὀμμάτων ἔχει· Ἐνθάλπεται μὲν αὐτὸς, ἐξοπτᾷ δ' ἐμέ*. Theocr. Idyll. VII, 55: *Λυκίδαν ὀπτεύμενον ἐξ Ἀφροδίτας*. XXIII, 33 sq.:

*Ἦξει καιρὸς ἐκεῖνος, ὁπηνίκα καὶ τὺ φιλάσεις,*
*ἀνίκα τὰν κραδίαν ὀπτεύμενος ἁλμυρὰ κλαύσεις* [2]).

Plura vide ap. Jacobs. ad Anth. Gr. VI, 20. VII, 265.

1) Ed. Lachmanni T. III. p. 431 sq.: „Es ist unwidersprechlich, dass Horaz in dieser Ode das Idyllion des Moschus, Europa, in mehr als einer Stelle vor Augen gehabt hat. Es ist also auch höchst wahrscheinlich, dass Horaz die Europa in den Umständen angenommen habe, in welchen sie Moschus vorstellt.“ Alienum est ab hoc loco illam imitationem nunc pluribus persequi: vide praeter ea quae Orellius ad Hor. vs. 29. 33. 43. ex Moscho protulit eiusd. vs. 131. 134. 146 sq. 150 sqq.: quae ipse Lessingius ad Horatii verba *Uxor invicti Jovis esse nescis* explicanda contulit.

2) Integrum Theocriti locum exscripsi propter C. I, 25, 10: „Flebis: — quum tibi flagrans amor et libido saeviet

v. 7 seq. *prius — Iugentur caprae lupis*] Ἀδύνατον quale apud Aristophanem in Pace v. 1076:

πρίν κεν λύκος οἶν ὑμεναιοῖ. Cruq. cf. ad vs. 10.

Alia id genus exempla vide Epod. XVI, 27 sqq., C. I, 29, 10., Virg. Ecl. VIII, 27: *Iungentur iam gryphes equis.*

v. 9. *peccet adultero*] Vide ad C. I, 27, 17. coll. Sat. I, 2, 63: „in matrona pecces". Nec tamen audiendus Nauckius nescio quomodo h. l. de sexto casu praecipiens; recte vero exponunt pro dativo, quem ethicum Bernhardyus vocat, latiore verbi potestate, v. eius Synt. Gr. p. 85. et 94. coll. C. I, 32, 15.; ut sit ‚peccans se dedat, gratificetur' (ἁμαρτάνειν τινί = ἁμαρτοῦσαν χαρίζεσθαί τινί). Sic Lucilius fr. inc. Sat. 89: „non omnibus dormio". Terentium autem memini dicere in Ad. I, 2, 35: „si quid peccat, Demea, Mihi peccat", i. e. meo damno, quum h. l. sit „in gratiam adulteri". Vide Westerhov. ad illum locum, qui plura alia utriusque generis exempla collegit.

v. 10. *Sic visum Veneri*] Formula illa Homerica de deorum potestate summa et arbitraria, eaque saepe minus grata mortalibus, Il. II, 116:

οὕτω που Διὶ μέλλει ὑπερμενέϊ φίλον εἶναι.

Od. I, 82: εἰ μὲν δὴ νῦν τοῦτο φίλον μακάρεσσι θεοῖσι.

Eam Aristophanes quoque l. c. imitatur v. 1075:

οὐ γάρ πω τοῦτ' ἐστὶ φίλον μακάρεσσι θεοῖσιν.

Eandemque secutus Plautus iam dixerat in simili sententia Amph. II, 2, 5: „Ita dis est placitum", et sic saepius Virgilius, Aen. I, 283: „Sic placitum". Ovidius Met. I, 366: „Sic visum superis". Cfr. Hor. C. II, 17, 2. et Heindorf. ad Sat. II, 6, 22.

v. 11. *sub iuga mittere*] Hanc imaginem Graecis poetis perquam familiarem bene illustrat Theognis 371: *Μή μ' ἀέκοντα βίῃ κεντῶν ὑπ' ἄμαξαν ἔλαυνε Εἰς φιλότητα λίην, Κύρνε, προσελκόμενος.* Hinc τὸ ἐρωτικὸν ζεῦγος, ζεῦγος φίλιον (Eurip. Herc. f. 1403.), ξυνωρὶς etc. Vid. Valckenar. ad Phoen. p. 116. et Jacobs. ad A. Gr. X, 120. coll. Hor. C. I, 35, 28. III, 9, 18. Tibull. I, 3, 90: Veneris vinclis colla subdere.

v. 14. *grata compede*] Translatum ab amore, qui proprie ἡδύς, γλυκύς est. Eurip. Fr. Anthiop. 23. D.: ἡ φύσις γὰρ οἴχεται, Ὅταν γλυκείας ἡδονῆς ἥσσων τις ᾖ. Horat. C. IV, 11, 23: tenetque grata compede vinctum. Hinc Cypri quoque nomen explicandum videtur, quum sit ὁ κύριός τινος ὤν. Stratonis Epigr. LIII, 6: εὕδει κύριος ὤν (sc. σου) μηδὲ λόγου μεταδούς. Ov. Am. III, 7, 11: dominumque vocavit.

---

circa iecur." Nam illa simillima esse nunc video et haud scio an ita comparata sint, ut meam interpretationem quodammodo fulcire possint. Adde Asclepiadae Ep. XVIII, 4. in Br. Anal. I. 214. coll. Propert. III, 23, 35 sq. et Ovid. A. A. III, 69 sq.



## Carm. I, 34.

Horatium in hoc carmine Graecum aliquod exemplar secutum esse minus probabile videtur quam rem quae ipsi accidisset et verum animi motum illa excitatum more poetico descripsisse. Eiurat enim quodammodo Epicuri de diis sententiam olim sibi probatam (v. Sat. I, 5, 101: *deos didici securum agere aevum.* coll. infr. vs. 2.). Sed in singulis tamen veterum poetarum Graecorum orationis colorem et sententias nonnullas imitatus est, quo dignius et gravius efferret quod de se ipse palam profiteri vellet. Itaque initium ab Euripide duxit, ab eodemque etiam primariam huius carminis sententiam repetitam esse censerem, nisi par esset hanc antiquissimis eius auctoribus Homero atque Hesiodo reddere (v. ad. vs. 12.): sed ei clausulam certe et ornatum addidit Euripideum (v. ad vs. 14.). Temporis nota vs. 14 sqq. continetur.

v. 1 sqq. *Parcus deorum cultor et infrequens*
*Insanientis dum sapientiae*
*Consultus erro*] De sententia Orellius confert Lucret. V, 10. ubi Epicuri doctrina κατ' ἐξοχήν sapientia vocatur, cuius perversitatem significaturus Horatius eandem insanientem appellaverit. Verum quamquam illius potissimum sapientiam sic notatam voluit, potuit tamen Euripidis sui meminisse, qui eandem qua ipse h. l. utitur sententiam et saepius dixerat et prope iisdem verbis in Bacchis sic scripserat vs. 393 sqq. D.:

*Τὸ σοφὸν δ' οὐ σοφία,*
*τό τε μὴ θνητὰ φρονεῖν.*[1])

Quae si paulo accuratius inspexeris et cum iis contuleris quae idem poeta Chori verbis 1005 sqq. de se ipse quoque profitetur:

*Τὸ σοφὸν οὐ φθονῶ·*
*χαίρω θηρεύουσα τάδ' ἕτερα, μεγάλα*
*φανερά τ' ὄντ' ἀεὶ, ἐπὶ τὰ καλὰ βίον*
*ἄμαρ εἰς νύκτα τ' εὖ ἄγοντ' εὐσεβεῖν,*
*τὰ δ' ἔξω νόμιμα δίκας ἐκβαλόντα τιμᾶν θεούς.*[2])

et civitati commendat Heracl. 901:

*Ἔχεις ὁδόν τιν', ὦ πόλις, δίκαιον·*
*οὐ χρή ποτε τόδ' ἀφελέσθαι,*
*τιμᾶν θεούς· ὁ δὲ μή σε φάσκων*
*ἐγγὺς μανιῶν ἐλαύνει.*

non amplius opinor dubitabis, quin Horatius huc potissimum respexerit, quoniam, ut mittam h. l. quae in Prooem. p. XV sq. dicta sunt, et sententia et orationis habitus tam similis est, ut eam similitudinem vix alia idonea ratione explicari posse appareat. — Si dicendi genus speetas, Graecis et inprimis tragicis poetis perquam familiare est, ut Aeschyl. Prom. 550: *ἄχαριν χάριν*, Soph. Ai. 665: *ἐχθρῶν ἄδωρα δῶρα*, idem O. R. 1214: *ἄγαμον γάμον* (Cic. de Orat. III, 58: innuptae nuptiae), Eurip. Hippol. 823: *ἀβίωτος βίος*, Leonid. Tar. Ep. C, 3: *ἄβιος βίος*. Contraria ratione Eurip. Bacch. 65: *κάματον τ' εὐκάματον*. Ennius ap. Cic. de Am. 6: qui potest esse vita vitalis? Cic. p. Mil. 27: mentiri gloriose, multaque id genus oxymora Latini scriptores studiose imitati sunt, v. Lambin. ad h. l., qui his fere similia congessit plura et ex ipso Horat. haec C. II, 12, 26: facili saevitia. Epist. I, 11, 28: strenua inertia. I, 12, 19: concordia discors. Adde C. III, 11, 34: splendide mendax. Ceterum ut h. l. insaniens sapientia, ita *ἄσοφος σοφία* nunc apud veteres Graecos non legitur sed demum apud Gregor. Naz. (v. Orell.), nec *ἀσοφία* agnoscitur a Grammaticis (Poll. Onom. IV, 13: *ἄσοφος, εἰ καὶ μὴ ἔστιν ἡ ἀσοφία.*): ut eo magis probabile fiat unum Euripidis exemplum Horatio obversatum esse.

1) *Τὸ σοφὸν* „die klügelnde Weisheit, das afterweise Uebergreifen." Opponitur vs. 1002. *γνώμη σώφρων, θνατοῖς ἀπροφάσιστος εἰς τὰ θεῶν*, „ein Sinn der bereitwillig das den Göttern Gebührende erfüllt." Schoene.

2) „Die sich selbst genügende Weisheit neide ich Keinem; ich strebe lieber dem Anderen nach, welches hehr und klar daliegt, fromm zu sein, indem ich mein Leben stets auf das Edle hinlenke, und die Götter zu ehren, indem ich das von mir weise, was wider das Recht geübt wird." Id.



v. 3 seq. *retrorsum Dare vela atque iterare cursus*] Abreschius ad Aeschyl. p. 269. cum hoc loco comparat ex illius Agam. v. 219. D. (206. Herm.):

*φρενὸς πνέων δυσσεβῆ τροπαίαν,*

unde Horatium putat „suos hortos fecisse irriguos". Quod sive vere ille statuit, sive falsus est (cf. Eurip. l. c. ex Heracl.): hoc tamen inde conficias, Graecos scriptores plane eadem metaphora de consilii mutatione uti consuevisse, quod probatur etiam usu verbi *παλινδρομεῖν* vel *ἀνατρέχειν*.

v. 5. *Diespiter*] Antiquius Jovis nomen, quod dici pater explicatur (cf. ad C. I, 1, 25.), mihi consulto h. l. protulisse videtur, ut quodammodo Graecorum illud *Ζεὺς ὑψιβρεμέτης* exprimeret. Cfr. infra ad vs. 12. et C. III, 2, 29.

v. 7. *per purum tonantes*] Fundus antiquissimae huius opinionis Homer. Odyss. XX, 112:

*Ζεῦ πάτερ, ὅστε θεοῖσι καὶ ἀνθρώποισιν ἀνάσσεις,*
*ἦ μεγάλ' ἐβρόντησας ἀπ' οὐρανοῦ ἀστερόεντος,*
*οὐδέ ποθι νέφος ἐστί· τέρας νύ τεῳ τόδε φαίνεις.*

v. 8. *tonantes egit equos volucremque currum*] Plato Phaedr. p. 246. E.: *Ὁ μὲν δὴ μέγας ἡγεμὼν ἐν οὐρανῷ Ζεὺς ἐλαύνων πτηνὸν ἅρμα*[1]) *πρῶτος πορεύεται, διακοσμῶν πάντα καὶ ἐπιμελούμενος*. a quo Daniel Wyttenbachius haec translata esse putabat. Wagn. in Additam. Et vero hunc „Jovem alato curru vehentem" quasi certatim adhibuerunt posteriores, vid. Heindorf. ad l. c.: sed cum Platone pugnat atque contendit Pindarus Ol. IV, 1:

*Ἐλατὴρ ὑπέρτατε βροντᾶς ἀκαμαντόποδος Ζεύς.*

ubi Schol.: *τὴν βροντὴν ὁ Πίνδαρος ὧν ἵππον ὑφίσταται τοῦ Διός. διὸ καὶ ἀκαμαντόποδα* (cf. Ol. III, 3. V, 3.) *αὐτὴν*

1) Fortasse ex poeta, Parmenide an alio incertum est. Ceterum libri msc. *ἐλαύνων πτηνὸν ἅρμα*, non *πτηνὸν ἅρμα ἐλαύνων*.

εἶπεν. Nempe Pindarus quum saepe imagines suas ac comparationes a certaminibus et curriculo repetere soleat, nunc Jovem ἐλατῆρα ὑπέρτατον dicit comparatum hominibus agitatoribus curruum: quod ipsum ab Horatii sententia minime alienum esse iudicabis. cf. Dissen. ad Pind. l. c. T. II. p. 50. et Stoll. Anthol. II. p. 47. coll. Virg. Aen. X, 440. et Horat. C. I, 12, 58.

v. 10. *invisi Taenari*] Homerico epitheto Il. XX, 65: οἰκία Σμερδαλέ', εὐρώεντα, τάτε στυγέουσι θεοί περ. Cfr. Hes. Th. 739. coll. Hor. C. II, 14, 23. et ad I, 24, 16: horrida virga.

v. 11. *Atlanteus finis*] Eurip. Hippol. 3: πόντου τερμόνων τ' Ἀτλαντικῶν εἴσω. Herc. f. 234: Ἀτλαντικῶν πέρα ὅρων.

v. 12 sqq. — — — *Valet ima summis*
*Mutare et insignem attenuat deus*
*Obscura promens.*] Archilochi interpretes volunt haec ab Archilocho esse sumta, cuius haec sunt e Fragm. 32. Lieb., 49. Schn., 51. Bergk.:

Τοῖς θεοῖς τιθεῖν ἅπαντα·[1]) πολλάκις μὲν ἐκ κακῶν
ἄνδρας ὀρθοῦσιν μελαίνῃ κειμένους ἐπὶ χθονί,
πολλάκις δ' ἀνατρέπουσι καὶ μάλ' εὖ βεβηκότας
ὑπτίους κλίνουσ'.

Sed hoc praeceptum de divina potestate est omnino antiquissimum, quum iam Homerus dixisset Odyss. XVI, 211 sq.:

ῥηΐδιον δὲ θεοῖσι, τοὶ οὐρανὸν εὐρὺν ἔχουσιν,
ἠμὲν κυδῆναι θνητὸν βροτὸν ἠδὲ κακῶσαι.

eiusque dictum Hesiodus amplexus de Jove persecutus esset Opp. 5 sqq.:

ῥέα μὲν γὰρ βριάει, ῥέα δὲ βριάοντα χαλέπτει,
ῥεῖα δ' ἀρίζηλον μινύθει καὶ ἄδηλον ἀέξει,
ῥεῖα δέ τ' ἰθύνει σκολιὸν καὶ ἀγήνορα κάρφει
Ζεὺς ὑψιβρεμέτης.

1) Τιθεῖν ἅπαντα Jacobsius, quem Bergkius sequitur, coll. Aeschyl. Pers. v. 228: ταῦτα δ' ὡς ἐφίεσαι Πάντα θήσομεν θεοῖσι. Vulgo τίθει πάντα, unde Grotius τίθει τὰ πάντα. Schneidew. coniecit τοι ῥεῖα πάντα, cl. Hes. Opp. 5. Haec addenda erant ad Hor. C. I, 9, 9: Permitte divis cetera.



Hos postea quum multi alii tum ipse Archilochus l. c., et Euripides in Troad. 608 sq.:

ὁρῶ τὰ τῶν θεῶν, ὡς τὰ μὲν πυργοῦσ' ἄνω
τὸ μηδὲν ὄντα, τὰ δὲ δοκοῦντ' ἀπώλεσαν.

atque in Telephi fragm. 25. D.:

Σὺ δ' εἶκ' ἀνάγκῃ καὶ θεοῖσι μὴ μάχου.
— — — τά τοι μέγιστα πολλάκις θεὸς
ταπεῖν' ἔθηκε καὶ συνέστειλεν πάλιν.

et Aristophanes in Lysistrata v. 772:

— — τὰ δ' ὑπέρτερα νέρτερα θήσει
Ζεὺς ὑψιβρεμέτης.

et Xenophon etiam in Anab. III, 2, 10. manifeste imitati sunt. Quodsi uniuscuiusque verba spectamus, maxime conveniunt Horatii *insignem attenuat deus Obscura promens* cum Hesiodo, et quae in principio sententiae posuit *Valet ima summis mutare* cum Aristophane. Sed illud certius imitationis exemplum iudicaverim, hoc minus certum, utpote in proverbiali sententia positum. Atque ab Hesiodo potissimum hanc sententiam translatam esse iam Muretus V. L. XVI, 15. et Lambinus censuerunt; ad Euripidis imitationem Goebelius revocat coll. C. I, 35, 2 sqq.[1]) Nec sane abhorreat ab veri similitudine aut Horatii consuetudine, si utramque coniunxerit (vid. ad C. I, 28, 30.). Nam quae sequuntur:

v. 14 sqq. — — — *hinc apicem rapax*
*Fortuna cum stridore acuto*
*Sustulit, hic posuisse gaudet.*

confidentius a perenni isto fonte derivabis, Euripid. Herc. fur. 508:

Ὁρᾶτέ μ', ὅσπερ ἦν περίβλεπτος βροτοῖς,
ὀνομαστὰ πράσσων, καί μ' ἀφείλεθ' ἡ τύχη
ὥσπερ πτερὸν πρὸς αἰθέρ' ἡμέρᾳ μιᾷ.
ὁ δ' ὄλβος ὁ μέγας ἥ τε δόξ' οὐκ οἶδ' ὅτῳ
βέβαιός ἐστι.

praesertim si contuleris Hor. C. III, 29, 51:

*Fortuna saevo laeta negotio* —
*Transmutat incertos honores*

1) Vide ipsum, si placet, in Mützellii „Zeitschrift f. d. Gymnasialwesen" an. 1851. p. 311.

*Nunc mihi, nunc alii benigna.*
*Laudo manentem; si celeres quatit*
*Pennas, resigno* cet.

Itaque Pseudoaeschylus quoque apud Stob. Ecl. phys. I, 7, 13. Fortunae deae ‚pennae remigium aureae' dedit: *ἅ τε χάρις λάμπει Περὶ σὰν πτέρυγα χρυσέαν.* Nam haec omnia, nisi fallor, et Horatiana quidem certe eidem debentur Euripidi, cuius addo ex Andromeda Fragm. 23. D.:

*Ὁ μὲν ὄλβιος ἦν, τὸν δ' ἀπέκρυψεν*
*θεός. ἐκ κείνων τῶν ποτε λαμπρῶν*
*νεύει βίοτος, νεύει δὲ Τύχα*
*κατὰ πνεῦμ' ἀνέμων.*

quae quum etiam cum superioribus vs. 13 sq. mirifice congruant, si cum volucri Fortuna Horatii composueris, tanto magis tibi persuadebunt Euripidis imitationem esse factam, quum eandem sententiam, eundem verborum ornatum, eandem denique generum permutationem videris. Nam quod Horatius h. l. Fortunam Jovis potentiae subiunxit, id non solum ideo fecit quod illa cum deo supremo copulari solet, ut iam in Homericis illis Il. XIX, 87: *Ζεὺς καὶ Μοίρα*, Od. XI, 292: *θεοῦ μοῖρα*, cll. Virg. Aen. IV, 614: „sic fata Jovis poscunt", et Horat. Ep. 17, 69: „sed vetant leges Jovis", sed quoniam ab Euripide Jovem *πλουτοδότην* dictum viderat, ut ap. Hom. Od IV, 208 sq. cl. XVIII, 273: *τής τε Ζεὺς ὄλβον ἀπηύρα.* Ut enim huic ipsi omnia feruntur accepta, sive prospera sunt sive adversa, proindeque ut *πλουτοδότης θεὸς* hominibus opes potentiamque donare atque adimere perinde creditur, ita Fortuna eius administra, ut aiunt, utramque paginam facit. Archilochus ap. Stob. Ecl. phys. I, 6, 3. Gaisf. (Fragm. 48. extr. Lieb., 13. Schn): *Πάντα τύχη καὶ μοῖρα, Περίκλεες, ἀνδρὶ δίδωσιν.* Bacchylides Fr. 28, 4. Schn. *ἁ πάνδωρος Αἶσα.* cf. ad C. I, 28, 29. coll. C. I, 35, 5 sq. et 23.

— *Sustulit, hic posuisse gaudet*] *τοῦ μὲν ἀφείλετο* (ut C. I, 28, 20: fugit, *ἀορίστως*) *τὴν τιάραν, τῷ δὲ ἐπιθεῖσα χαίρει, τέρπεται.* Vide Excursus IV, 4. §. 1. *Τέρψιν* autem et *παίγνιον τύχης* Jacobsius multis exemplis illustrat ad Anth. Gr. T. XI, p. 94. X, 47. 256. 264 seq. Sunt enim crebrae et subitae illae rerum humanarum vicissitudines, quibus Fortuna delectatur, ut Menander fr. 581. M.: *ὦ μεταβολαῖς χαίρουσα παντοίαις τύχη*, vel ut Horatius ait gaudet (Sat. II, 8, 62.) et ludit (C. III, 29, 50. *παίζει τὰ τῶν ἀνθρώπων πράγματα* Luc. Nigr. 20.): quod ipsum Romani modo viderant in Tiridate tunc regno Parthorum exacto a Phraate, anno fere 730. Vide Frankii F. H. p. 168 sq.



## Carm. I, 35.

In celeberrimo hoc carmine praeter hymni formam et orationis ornatum Graecis auctoribus Horatius pauca omnino accepta refert, multo plura Antiatium et Etruscorum veterum artificum operibus: quod Orellius sane satis probavit (v. ad vs. 17.). Ex Graecis autem hymni in Fortunam deam conscripti in medio propositum erat Pindari exemplum, cuius Fragmm. 13 — 16. Boeckhius p. 565. peculiari *εἰς Τύχην* hymno adnumerat; deinde eiusdem Ol. XII. init.:

*Λίσσομαι, παῖ Ζηνὸς*[1] *Ἐλευθερίου,*
*Ἱμέραν εὐρυσθενέ' ἀμφιπόλει, Σώτειρα Τύχα.*
*τὶν γὰρ ἐν πόντῳ κυβερνῶνται θοαὶ*
*νᾶες, ἐν χέρσῳ τε λαιψηροὶ πόλεμοι*
*καγοραὶ βουλαφόροι. αἵ γε μὲν ἀνδρῶν*
*πόλλ' ἄνω, τὰ δ' αὖ κάτω ψεύδη μεταμώνια*
*τάμνοισαι κυλίνδοντ' ἐλπίδες.*[2])

Tum Aeschylus vel potius incertus poeta praeclari de eadem diva loci, quem Stobaeus Ecl. phys. Lib. I, cap. 7, 13., T. I. p. 198. ed. Heeren (I, 6, 13. p. 74. Gaisf.) nobis servavit et ad illum rettulit.[3]) Huius Graecos versus Grotius num recte descripserit dubito, descripsit tamen hoc modo:

---

1) Aliis poetis Oceanis habita, velut Hesiodo Theog. 360., a Pindaro in Fragm. 13. B. (v. infra ad vs. 17.) eximie Parcarum una dicta est. Parcae autem a multis et haud dubie a Pindaro etiam Jovis filiae habitae, summi fatorum rectoris. Sic pulcre haec explicat Boeckhius. Cf. ad Hor. C. I, 34, 14.

2) Hominum de rebus futuris cogitationes fluctuant undarum modo, nec quidquam certi in se habent, sorsum deorsum feruntur velut navigia quaedam in medio quasi mari errorum: „jedoch mit den Menschen Oft herauf und dann herab, durchschneidend des Truges Bethörung, fährt die Hoffnung schwankend hin." Thiersch.

3) „Mihi locus certe non videtur Aeschyleus, et posteriora ex Pindaro aperte expressa sunt Ol. V, 32. (14. B.)." Ita Butlerus in Aeschyl. Fragm. p. 226. et omisit Dindorfius (vid. ad eius Fr. 269.),

*Τύχα μερόπων ἀρχὰ καὶ τέρμα,*
*τὺ καὶ σοφίας ἄκος δρᾷς, καὶ τιμὰν*
*βροτέοις ἐπέθηκας ἔργοις,*
*καὶ τὸ καλὸν πλέον ἢ κακὸν ἐκ σέθεν,*
*ἅ τε χάρις λάμπει*
*περὶ σὰν πτέρυγα χρυσέαν·*
*καὶ τὸ τεᾷ πλάστιγγι δοθὲν*
*μακαριστότατον τελέθει.*
*τὺ δ' ἀμαχανίας πόρον εἶδες ἐν ἄλγεσι,*
*καὶ λαμπρὸν φάος ἄγαγες ἐν σκότῳ,*
*προφερεστάτα θεῶν.*

Latine sic vertit divinus homo, non uno loco Horatii memor:

Cunctis principium rebus et exitus,
O Fortuna potens, quae sapientiae
Famam das hominum, diva, laboribus:
Multo plura tibi prospera tristibus
Debentur. Sequitur gratia, quo loci
Pennae remigium te vehet aureae.
Nil est prosperius, nilque secundius
Quam lances homini quod tribuant tuae.
Tu spes sollicitis una laboribus:
Tu noctem subito lumine discutis:
Numen te melius noscere non datur.

In Pindari loco observandum erat, Fortunam Jovis filiam (cf. Hom. Il. XIX, 91: *πρέσβα Διὸς θυγάτηρ Ἄτη.*) et dominam aequoris dictam esse; apud Pseudoaeschylum hoc maxime memorabile videtur, quod quum eadem benigna ac potentissima dea sit, tum etiam Jovis trutina (Hom. Il. VIII, 69. Virg. XII, 725.) donata est, et quod alarum remigio utitur, ut apud Horatium C. I, 34, 15. Sed hoc minus ad rem, illud praecipue notandum, eam Jovis vice ac ministerio fungi, ut ap. Hom. Il. XIX, 87. 91. *Μοῖρα Ἐριννὺς Ἄτη* eius ministrae sunt. In eandemque sententiam confer quae dicta

nec recepit Hermannus. Verumtamen quin perantiquus sit vel eam ob causssm in dubium vocari non potest, quod a Stobaeo multis aliis veterum poetarum locis interpositus illi adscribitur: eumque posteriores imitati videntur, vide Jacobs Anth. T. XII. pag. 115.



sunt ad C. I, 34, 14. et Menandri Fr. 471 sq. Meineck., ap. Stob. l. c. fr. 1.:

*Παύσασθε νοῦν ἔχοντες· οὐδὲν γὰρ πλέον*
*ἀνθρώπινος νοῦς ἐστιν ἄλλο τῆς τύχης,*
*εἴτ' ἐστὶ τοῦτο πνεῦμα θεῖον εἴτε νοῦς.*
*τοῦτ' ἔστι τὸ κυβερνῶν ἅπαντα καὶ στρέφον*
*καὶ σῶζον, ἡ πρόνοια δ' ἡ θνητὴ κἀπνός κ. τ. λ.*
*Τύχη κυβερνᾷ πάντα. ταύτην καὶ φρένας*
*δεῖ καὶ πρόνοιαν τὴν θεὸν καλεῖν μόνην,*
*εἰ μή τις ἄλλως ὀνόμασιν χαίρει κενοῖς.*

Adde quod apud eundem Stob. legitur incerti poetae Fr. 6:

*Ἡ τὰ θνητῶν καὶ τὰ θεῖα πάντ' ἐπισκοποῦσα μὲν*
*καὶ νέμουσ' ἡμῶν ἑκάστῳ τὴν κατ' ἀξίαν Τύχη*
*μερίδα.*

Denique de fortunae quasi annuis commutationibus ille haec affert Euripidis I, 8, 8. p. 216. H., Danaes Fr. 4. Dind.:

*Ἐς ταυτὸν ἥκειν φημὶ τὰς βροτῶν τύχας*
*τόνδ' ὃν καλοῦσιν αἰθέρ'*[1]*), ᾧ τάδ' ἔστι δή.*
*οὗτος θέρους τε λαμπρὸν ἐκλάμπει σέλας,*
*χειμῶνά τ' αὔξει συντιθεὶς πυκνὸν νέφος,*
*θάλλειν τε καὶ μὴ, ζῆν τε καὶ φθίνειν ποιεῖ.*
*οὕτω δὲ θνητῶν σπέρμα τῶν μὲν εὐτυχεῖ*
*λαμπρᾷ γαλήνῃ, τῶν δὲ συννεφεῖ πάλιν,*
*ζῶσίν τε σὺν κακοῖσιν, οἱ δ' ὄλβου μέτα*
*φθίνουσ' ἐτείοις προσφερεῖς μεταλλαγαῖς.*

Haec quidem non aliena aut indigna putavi, quae cum Horatii carmine componerem et ad hoc illustrandum conferrem. Plura similia vide apud ipsum Stobaeum l. c., qui tota duo capita veterum poetarum et philosophorum „de Fortuna eiusque motu“ dictis complevit, et ap. Jacobs. Anth. Gr. T. XII. 115 sqq., ad epigr. inc. 428. qui in Fortunam hymnus est ex antiquioribus adumbratus. Namque has ipsas quas protuli Graecorum de Fortuna dea opiniones Horatius infra vs. 2 seq., 5

1) „Ego esse valde paria Fortunam arbitror et quem vocamus aethera“. Grot. Habet enim *τὸν θ'*. cfr. Valck. Hipp. 273. De re vide ad C. I, 1, 25. coll. Aeschyli fragm. inc. 295. Dind.:
*Ζεύς ἐστιν αἰθὴρ, Ζεὺς δὲ γῆ, Ζεὺς δ' οὐρανός.*
*Ζεύς τοι τὰ πάντα χὤ τι τῶνδ' ὑπέρτερον.*

sq., 13., 17. et maxime vs. 23 sq. et 38 sq. secutus videtur. Cetera carmen habemus, ut videtur, archetypum et vere Romanum, quo poeta Fortunae Antiatis notionem et imaginem Latinis coloribus describit ac celebrat, et recens a miseria bellorum civilium mala deplorat (vs. 33 sqq.), scriptumque videtur a. u. c. 727.

v. 2. sqq. *Praesens vel imo tollere de gradu*
*Mortale corpus vel superbos*
*Vertere funeribus triumphos*] Sententiam, ut assolet, ab Euripide sumsisse mihi videtur, siquidem illud, quod Plutarchus consol. ad Apollon. 6. a Demetrio Phalereo olim citatum esse testatur, Inonis fragm. 23, 2 sq.:

*Ὡς σμικρὰ τὰ σφάλλοντα, καὶ μί' ἡμέρα*
*Τὸν μὲν καθεῖλεν ὑψόθεν, τὸν δ' ἦρ' ἄνω,*

suis coloribus exornavit, cogitans simul de singulari Pauli Aemilii Macedonici exemplo (Liv. 45, 41). Cfr. quae ad C. I, 34, 12. ex eodem Euripide prolata sunt: quibus h. l. addas Hel. 711 sqq. ubi deus memoratur omnia evertens et summa imis miscens, et Belleroph. fr. 27, 3 sqq., ubi id temporis diuturnitati datur (cf. Hor. Epist. I, 6, 24 sq.), quod in Herc. f. 509 seq. volucri Fortunae conceditur (cf. C. I, 34, 14 seq.). Conferas etiam Philemonis Fr. 97. extr. Meineck. p. 844:

*Ἅπαντα νικᾷ καὶ μεταστρέφει τύχη.*

qui versus Chaeremoni tribuitur a Stobaeo Ecl. phys. I. p. 202. ed. Heeren. Similiter Tac. Hist. IV, 47.

v. 3. *Mortale corpus*] non est Pindari illud *βρότεα σώματα*, (Ol. IX, 36. B. de quo v. Orell.), sed potius periphrasis poetica fere haec: *φθαρτόν τι χρῆμ' ὤνθρωπος* vel *ἐξίτηλος ἡ ἀνητῶν φύσις*. Vid. Bernh. S. p. 52. Homero sunt *βροτοὶ, οἳ ἀρούρης καρπὸν ἔδουσιν* (Il. VI, 142 cfr. Od. IX, 89), quod ipse Horatius sic reddidit C. II, 14, 10: „Quicunque terrae munere vescimur," et ex Graecis quoque multi imitati sunt, ut Simonides Ceus fr. 4, 19. Schn., Phanocles Eleg. fr. 2, 2. Schn., alii. Verte „was sterblich aufwuchs" vel „des Staubes Söhne".

v. 6. *Ruris dominam* (sic iungendum, vid. Bernhard. in cens. Orellius.) Fortuna teste Pausania VII, 26, saepe cum cornu copiae in veteribus monumentis conspiciebatur, similique commento *Τύχη Πλοῦτον παῖδα φέρουσα* Thebis colebatur, Paus. IX, 16. Est enim Jovis *πλουτοδότου* ministra, cf. ad C. I, 34, 14. Eadem autem est domina acquoris, ad quod Antium situm eius auxilio eget, plane ut Himera apud Pindarum Ol XII, 3. B:

*Τὶν γὰρ ἐν πόντῳ κυβερνῶνται θοαὶ Νᾶες.*

Eundem ante oculos habuisse videtur poeta incertus in Anthol. Gr. Ep. 428, 7 sq.:

*Καὶ νῆες λιμένεσσι σαώτεραι ἀμπαύονται,*
*σὴν δι' ἀρηγοσύνην σωζόμεναι πελάγει.*

Est omnino *Σώτειρα Τύχα* Pind. l. c. vs. 2. coll. Aeschyl. Agam. 664. D.: *Τύχη δὲ σωτὴρ ναῦν στελοῦσ' ἐφέζετο* — ut alias *Ζεὺς σωτήρ* (Aeschyl. 526.), *Θέμις σώτειρα* (Pindar. Ol. VIII, 21.) et eadem in re Dioscuri *σωτῆρες*, *ἄνακτες* nuncupantur (cf. ad C. I, 3, 2.), quumque naves et tanquam naves vitas humanas gubernet, clavum etiam tenet. Haec enim ipsa imago obversabatur Pindaro ap. Plutarch. de fort. Roman. c. 4. (Fr. 14. Boeckh.): *οὐ μὲν γὰρ ἀπευθὴς (ἡ Τύχη) κατὰ Πίνδαρον, οὐδὲ δίδυμον στρέφοισα πήδαλιον, ἀλλὰ μᾶλλον Εὐνομίας καὶ Πειθοῦς ἀδελφὴ καὶ Προμηθείας θυγάτηρ, ὡς γενεαλογεῖ Ἀλκμάν.* Divam Plutarchus ait, ubi Romam ingressa fuerit, non amplius mutabilem fuisse, qualem Pindarus eam descripserat „duplici gubernaculo utentem." Dio Chrysost. Orat. 64. p. 593: *τῇ μὲν δεξιᾷ χειρὶ πηδάλιον κατέχει* — *διότι τὸν βίον ἡμῖν ὥς τινα μεγάλην ναῦν κυβερνᾷ.* Cfr. Jacobs. ad Anth. Gr. T. VI. p. 279. X. 249.

v. 9. *profugi Scythae*] Herodot. I, 73: *Σκυθέων τῶν νομάδων.* Cfr. III, 24, 9. IV, 14, 42. Alii exponunt „in fugiendo pugnantes", ut Plato Lach. pag. 191. A.: *Σκύθαι λέγονται οὐχ ἧττον φεύγοντες ἢ διώκοντες μάχεσθαι.*

v. 10. *Urbesque*] Pindaro in Hymno fr. 14. B. *Τύχα* est *φερέπολις* s. urbium tutela.

v. 13 sq. *Iniurioso ne pede proruas Stantem columnam*] Quod Interpretes dicunt stantem columnam publicae securitatis stabilitatisque *σύμβολον* esse, id suo arbitratu statuunt. Videamus igitur, num Graecismus loco difficili certiorem lucem afferre possit. Ac primum quidem venit in mentem de singulari persona, de uno principe licere intelligi, quod in commune de toto statu imperii dictum videatur, translatione Graecis admodum familiari: *κινεῖν, ἀνατρέπειν τὰ καθεστῶτα*

pro *ἀνατρέπειν τὸν καθεστῶτα, τὸν προστατοῦντα:* den Pfeiler, die Stütze (der Herrschaft) = columen rerum C. II, 17, 4. Et ita intellexerunt Ruhnk. Dict. in Terent. Com. pag. 246 et Klotz. Lex. Lat. Sed ne haec quidem explicatio mihi probanda videtur, quum altera sine controversia longe praestet. Nam ego non dubito, quin Horatius huius loci ideam cum ipso orationis colore duxerit ex Aeschyli Pers. 159. Dind.:

*Ταῦτα δὴ λιποῦσ' ἱκάνω χρυσεοστόλμους δόμους,*
*καὶ τὸ Δαρείου τε κἀμὸν κοινὸν εὐνατήριον.*
*καί με καρδίαν ἀμύσσει φροντίς· ἐς δ' ὑμᾶς ἐρῶ*
*μῦθον, οὐδαμῶς ἐμαυτῆς οὖσ' ἀδείμαντος, φίλοι,*
*μὴ μέγας πλοῦτος κονίσας οὖδας ἀντρέψῃ ποδὶ*
*ὄλβον, ὃν Δαρεῖος ἦρεν οὐκ ἄνευ θεῶν τινός.*

Quem locum iam Mitsch. apposite comparavit, quamquam rem non confecit. Sed quis est cui non plane perspicuum sit, ea quae ab Horatio commemorantur cum Aeschylo et re et verbis consentire? Producuntur ab illo *regum matres barbarorum et purpurei tyranni:* apud hunc Atossa mater Xerxis curis metuque anxia prodit, turres regias appellans *χρυσεοστόλμους*, utpote invidiae avaritiaeque plebis quam maxime expositas, sicut Hor. ipsos tyrannos dicit purpureos; metuunt autem apud hunc, ne Fortunae *iniurioso pede stantem columnam prorual:* similiter Atossa filii felicitati timet, *μὴ μέγας πλοῦτον ἀνατρέψῃ ποδὶ* (*βιαίῳ*) *ὄλβον, ὃν Δαρεῖος ἦρεν.* Vides fere omnia inter se prope ad amussim respondere. Nam *ὄλβος ὃν Δαρεῖος ἦρεν* est quasi erecta a Dareo felicitatis columna. Quodsi Horatius ad Aeschyli exemplum composuit illud *pede proruere stantem columnam*, conficitur, ut item atque ille regiae felicitatis vel imperii (cfr. v. 16) fastigium veluti exstructam quandam molem cogitarit. Atque ut alibi pro hac re simpliciter apicem posuit, sic h. l. imaginem sublimis et magnificae columnae praetulit, quum praesertim ex Aeschyli verbis ipsa „regia sublimibus alta columnis" mentis oculis obversaretur. Porro stantem columnam dixit, ut e contrario iacentem regiam Cleopatrae appellavit C. I, 37, 25. Utique igitur interpretandum censeo: die hochragende Säule der Herrschaft, des königlichen Glückes, d. i. die hohe Herrschaft mit all ihrem Glanz und Reichthum.



v. 17. *saeva Necessitas*] *κρατερὴ ἀνάγκη* Graecorum (Homer. Od. X, 273 et Parmenides v. 91 Br. ap. Orell. coll. Eurip. fr. Bel. 15. D.) ideoque *δεινή*, Eurip. Hel. 513:

*Λόγος γὰρ ἐστιν οὐκ ἐμὸς, σοφῶν δ' ἔπος*
*Δεινῆς ἀνάγκης οὐδὲν ἰσχύειν πλέον.*

cf. C. III, 24, 6: *dira necessitas.* Pindarus autem ipsam Fortunam Parcarum unam dixerat, eamque potentissimam, ut docet fragmentum Hymni ap. Pausan. VII, 26. fr. 13. B.: *Ἐγὼ μὲν οὖν Πινδάρου τά τε ἄλλα πείθομαι τῇ ᾠδῇ καὶ Μοιρῶν τε εἶναι μίαν τὴν Τύχην καὶ ὑπὲρ τὰς ἀδελφάς τι ἰσχύειν.*

v. 18. *Clavos trabales et cuneos manu Gestans aënа*] Quod Graecorum utique primum commentum fuerat *Εἱμαρμένη* s. *Ἀνάγκη* vel *γόμφους* et *σφῆνας*, i. e. *clavos trabales et cuneos*, vel *στρέβλας*, i. e. cochleae aut trochleae genus[1]), ut Aeschylus Suppl. 440. D. (423. Herm.):

*πᾶσ' ἔστ' ἀνάγκη, καὶ γεγόμφωται σκάφος*
*στρέβλαισι ναυτικαῖσιν ὡς προσηγμένον.*

et ibid. 945. D. (907. H.): *τῶνδ' ἐφήλωται τορῶς*
*γόμφος διαμπὰξ, ὡς μένειν ἀραρότως.*

vel *ἥλους ἀδαμαντίνους*, i. e. *clavos adamantinos*, ut Pindarus Pyth. IV, 71. B.:

*τίς δὲ κίνδυνος κρατεροῖς ἀδάμαντος δῆσεν ἅλοις;*[2])

et idem Fragm. 223. B.:

*Ταρτάρου πυθμὴν πιέσει σ' ἀφανοῦς σφυρηλάτοις [στυγναῖς] ἀνάγκαις.*[3])

vel similem astringendi et devinciendi apparatum ab architectura repetitum tanquam symbola quaedam attribuere, aut eius vim ac robur cum his instrumentis comparare: id apud Latinos satis mature in proverbium transiisse constat, Plaut. As.

---

1) Hesych. *στρέβλαι ναυτικαί, τὰ ξύλα τῶν νεῶν, ἐν οἷς διασφηνοῦνται γομφούμεναι.* Vid. Herm. ad Aesch. Suppl. 424. —

2) Hor. C. III, 24, 5.: *Si figit adamantinos*
*Summis verticibus dira necessitas*
*Clavos* etc.

3) „Tartari fundus premet te obscuri malleo compacta necessitate. Videtur ex Threno esse". Boeckh. Hor. l. c. vs. 8.: *Non mortis laqueis expedies caput.*

I, 3, 4; Cic. Verr. V, 21, 53: trabali clavo figere, i. e. fixum firmumque facere.[1]) Itaque quamquam saepe iam Aeschylus et Pindarus eadem *clavorum* imagine usi sunt ad necessitatis vim ac firmitatem designandam: tamen Graecae imitationis vestigia apud Horatium hoc loco suspecta esse debent et ob eam quam dixi caussam et quoniam etiam Fortunae Antiati et Athrpae Etruscae (quae Graecorum Ἄτροπος est) clavi in antiquis monumentis tribuuntur. Vide Orellii Exc. I. Ac mihi quidem Pindarum sane verisimilius videtur Horatio in Carm. III, 24, 5 sqq. quam h. l. obversatum esse: verum Aeschyli ex Suppl. 440 sqq. locum compluribus de caussis adductus sum ut cum Horatiano conferendum putarem, quoniam videlicet et ipse locus similis erat et ex eiusdem tragoediae vs. 433 sq. Horatii versus Carm. I, 28, 32 sq. repetitos intellexeram, et quod mihi huius ipsius quoque carminis vs. 11 sqq. et 39 seq. Aeschyleae imitationis tempora testari videbantur. Ut igitur in re incerta nihil certi licet affirmare, ita inclinat animus ut Schützio credat qui ea olim comparavit[2]).

v. 20. *liquidum plumbum*] Eadem in re Euripides Andr. 266 D.:

— — καὶ γὰρ εἰ πέριξ σ' ἔχει
τηκτὸς μόλυβδος, ἐξαναστήσω σ' ἐγώ.

v. 21. *Te Spes*] Sic Graecis Ἐλπίδες sunt Τύχης ἑταῖραι. Jacobs. Anthol. min. p. 256. (Peerlk.)

— *albo Velata panno*] Candoris hoc et innocentiae signum. Fundus huius descriptionis est in Hesiod. Ἔργ. 200:

Λευκοῖσιν φαρέεσσι καλυψαμένω χρόα καλόν,
Αἰδὼς καὶ Νέμεσις.

v. 27. *cadis Cum faece siccatis amici*] Archil. Fragm. 49, 3. Lieb.: Ἄγρει δ' οἶνον ἐρυθρὸν ἀπὸ τρυγός. — Ad totam sententiam pertinet egregium Graecorum proverbium: ζεῖ χύτρα, ζῇ φιλία et Theogn. 643 seq. cfr. Ovid. ex Ponto II, 3, 8: *Volgus amicitias utilitate probabat.*

v. 28. *Ferre iugum pariter*] Graeci eos qui mutuo amore tenebantur eidem iugo alligatos dicebant in proverbio,

1) Nos paullo modestius, etwas „niet und nagelfest machen".

2) Schütz ad Aeschyl. l. c.: „quam imaginem fere imitatur Horatius."



imagine ducta ab equis vel bobus eidem iugo submissis. Suidas ἴσῳ ζυγῷ· φιληθεὶς τὸ λεγόμενον ἴσῳ ζυγῷ. Huc spectant Theogn. 126. Theocr. 12, 15. Prop. III, 23, 28. Ovid. Trist. V, 2, 40. Plin. Epp. III, 9, 8: pari iugo niti. Similia vide ad C. I, 33, 11.

v. 31. *iuvenum recens Examen*] Nove dictum, prorsus ut Graecorum τὸ σμῆνος sive ὁ ἑσμὸς, pro agmine. Confr. Epod. 2, 65 et vid. ad C. I, 3, 31.

— *Eois*] Graecum hoc Adi. ἠῷος et ἑῷος, inde ab Augusti aetate a Latinis scriptoribus usu poetico receptum.

v. 39. *Incude diffingas* etc.] Precatur, ut Fortuna, quem olim ad bella civilia Ἐριννὺς procuderat ensem (Sophocl. Ai. 1034. D. coll. C. IV, 15, 19), iam ipsa diffingat. Similiter Aeschylus Choëph. 647. de Parca:

Προχαλκεύει δ' Αἶσα φασγανουργός.

## Carm. I, 36.

Plotii Numidae post longam absentiam ex Hispania reditum, ubi ille Cantabrico bello priori interfuerat, adventicio convivio celebrat. Revertisse videtur Numida cum Augusto principe vere a. u. c. 730., quum ipsum bellum vergente anno 729. confectum esset. Vide Fischeri fastos Romanos p. 386. Similis argumenti est Od. II, 7., quod carmen ut aliquot annis prius exaratum est, ita Graecae dictionis formis abundat magis, ut non iniucunda sit utriusque comparatio.

v. 3. *Custodes Numidae deos*] Recordare θεοὺς σωτῆρας, ἄναχτας, de quibus dictum est ad C. I, 3, 2.

v. 4. *Hesperia*] Ἑσπερία sive ἡ ἕσπερος γῆ (cf. IV, 15, 16.) opponitur *Eois partibus* (C. I, 35, 31.); hic Hispania, alibi est Italia, Graecis occidentem versus sita regio (C. II, 1, 32. III, 6, 8. IV, 5, 38.).

v. 8. *Actae non alio rege puertiae*] Rex pueritiae, de quo tam multa frustra viri docti, nullus omnino alius est quam paedagogus, alibi proprio et inornato verbo *custos* (A. P. 161.) vel *comes* (Virg. Aen. V, 546.) dictus, et postea honorificentius *rector* nuncupatus, honestum utique apud Romanos nomen, donec prisca disciplina et severitas vigebat. Tacit. An. XIII, 2: *Hi rectores imperatoriae iuventae.* Vide

Bernhardyi Lit. Rom. ed. alt. p. 42. cum nota 29. pg. 46. et Steineri Progr. an. 1847. Bernhardyus huc refert etiam *domini* appellationem apud Petron. Sat. 86, 7., quam alii pro amasio accipiunt in blanditiis, cl. Ovid. Am. III, 7, 11. Contra qui moderatorem lusus puerilis vel regem ludentium puerorum interpretantur, provocant praeter Hor. Epist. I, 1, 59. ad Pollucem Onom. IX, 110. qui inter alia ludorum nomina etiam *τὴν βασιλίνδα* [1]) *παιδιὰν* sive *τὸ βασιλίνδα παίζειν* memorat et sic describit: *Βασιλίνδα μὲν οὖν ἐστιν, ὅταν διακληρωθέντες ὁ μὲν βασιλεὺς τάττῃ τὸ πρακτέον, ὁ δὲ ὑπηρέτης εἶναι λαχὼν πᾶν τὸ ταχθὲν ὑπεκπονῇ.* Deinde Cyri pueri exemplo utuntur apud Herod. I, 114: *καὶ οἱ παῖδες παίζοντες εἵλοντο ἑωυτῶν βασιλέα εἶναι τοῦτον δὴ τὸν τοῦ βουκόλου ἐπίκλησιν παῖδα.* cl. Justin. I, 5: *Mox rex inter ludentes sorte electus* etc. Quo delati mihi videntur non quo Graecum aut peregrinum aliquem morem odorati essent (nam quorum puerorum non fuit regna et magistratus ludere?), sed quia illud *non alio* utique pro ‚hoc ipso' accipiendum esse putaverant, sicut est C. I, 27, 13. At potuit etiam pro ‚eodem' dici, quod hoc Taciti loco probatur in Germ. cap. 5: *Est videre apud illos argentea vasa — non in alia vilitate, quam quae humo finguntur.*

v. 10. *Cressa ne careat pulchra dies nota*] *Pulchra dies* est laudatissima illa *λευκὴ ἡμέρα* veterum Graecorum; cetera aut de posteriorum aut de suo ornatu addidit. Vide infra Excursum.

v. 12. *neu — sit requies pedum*] Alcaeus fragm. 12.: *καὶ νῦν χρὴ πόδα...πόνην.* Vide ad C. I, 37, 1.

v. 13. *multi Damalis meri*] De ipso nomine Damalis vide Exc. II. de Horatii personis amatoriis. — Si dicendi genus spectamus, *multi D. meri* utique est puella bibacissima, quae multum merum quodammodo continet vel potest continere, capax multi meri, quasi dolium sit. Pollux Onom. IX, 43.: *καὶ κάβαισον δὲ ἐκάλουν τὸν περὶ τὴν τροφὴν ἄπληστον, ὥσπερ οἱ νῦν τὸν πολυπότην πίθον.* Sed Horatio haec scribenti ob-

1) Perverse Wagnerus „eumque lusum *βασιλίνδαν* vocat" — quasi nomen sit. Est adv., cuiusmodi sunt *διελκυστίνδα* (Tauziehen), *μυΐνδα* (Blinzen = Blindekuhspielen), *ὀστρακίνδα* etc.



versari potuit comicorum Graecorum exemplum aliquod, qui multa similia et non illepida loquendi genera formaverant, cuiusmodi sunt *φράτορες τριωβόλου, τῆς πλείστης τοὐβολοῦ μάζης, ἀδέαι δὲ κώλίγου πυρὸς* etc. Vide Bernh. Synt. p. 164., qui Graecis illis haec subiecit: „Viel ähnliches besitzen die Römer: homo trioboli Plaut., noch merkwürdiger die Epitheta multi meri, multarum nuptiarum und derberes." Cfr. Cicero ad Fam. IX, 26. extr.: *Non multi cibi hospitem accipies, sed multi ioci.* Ovid. Met. XIV, 252: *nimiique Elpenora vini.* coll. Plaut. Curc. I, 1, 77: *multibiba atque merobiba*, i. e. *πολυπότις καὶ ἀκρατοπότις.*

v. 14. *Threïcia vincat amystide*] *Ἄμυστις* haustus poculi non intermisso spiritu epoti, item poculi genus est. Pollux Onom. VI, 97: *Ἄμυστις οὐ μόνον τὴν ἀθρόαν πόσιν, ἀλλὰ καὶ ἐκπώματος σχῆμα δηλοῖ.* Ille primitivus et volgaris vocis usus *ἀπὸ τοῦ ἀμυστὶ* (i. e. *ἀπνευστὶ*) *πίνειν*, ut Hesychius: *Ἄμυστις, συνεχὴς πόσις*, et Suidas: *Ἄμυστις, ἡ ἀπνευστὶ πόσις*, et saepe Scholiastae explicant. Ita iam Anacreon Fr. 40. Schn.: *Ἄγε δή, φέρ' ἡμὶν, ὦ παῖ, Κελέβην, ὅκως ἄμυστιν Προπίω κ. τ. λ.* et Euripides Cycl. 417. Dindorf.: *Ἐδέξατ' ἔσπασέν τ' ἄμυστιν ἐλκύσας.* Solebant autem inprimis Thraces, ut erant homines bibacissimi (v. ad C. I, 27, 2.), *διαμιλλᾶσθαι ἐν πότῳ καὶ ἀμυστίζειν.* Pollux VI, 25: *ἀμυστὶ πίνειν, ἀμυστίζειν, χανδὸν πίνειν, Θρᾳκία πρόποσις, Σκυθικὴ πόσις.* Unde Rheso Hector eam exprobrat in Rheso 418. D.: *οὐκ ἐν δεμνίοις Πυκνὴν ἄμυστιν ὡς σὺ δεξιούμενοι.* Sed haec fortasse minus ad rem, quum magis huc faciat Callimachi Fr. 109, 1 sq.:

*Καὶ γὰρ ὁ Θρηϊκίην μὲν ἀνήνατο χανδὸν ἄμυστιν*
*ζωροποτεῖν· ὀλίγῳ δ' ἥδετο κισσυβίῳ.*

cuius verba non dubito cum Horatianis comparare. Ut enim hospes ille Callimacheus „grandem quidem calicem vino mero plenum uno haustu Thracum more perducere recusabat, at minuto poculo quotidiano delectabatur": ita Bassus Horatii, ipse quoque homo vitae siccae et sobriae, nunc in communi omnium laetitia ne *Threiciae* quidem *amystidis* sive propinationis certamen detrectaturus est, immo nunc Damalin, strenuam illam potatricem, superabit. Cfr. Valken. ad Callim. p. 248. et quae supra in Prooem. p. xxv. composita sunt.

v. 15 sq. *Neu desint epulis rosae*
*Neu vivax apium neu breve lilium.*] Rem illustrat Muretus V. L. XVI, 18. coll. Anacreontis Fr. 53. B., 34. Schneidew.:

*Ἐπὶ δ' ὀφρύσιν σελίνων στεφανίσκους*
*θέμενοι θάλειαν ὁρτὴν ἀγάγωμεν*
*Διονύσῳ.*

Plura de coronamentis veterum et de coronis ex apio nexis vide in Exc. ad C. I, 38, 2.

v. 17 seq. *putres Deponent oculos*] Putres oculos dixisse videtur, quae Graeci *ὑγρὰ ὄμματα* vocant. Nam utrumque verbum et alias quoque similiter transfertur et *ὑγρὸν* praecipue ad amoris desiderium refertur. Copiose illustrant Graecam vocem Valck. ad Phoen. 1448. et Boeckh. Expl. ad Pind. p. 227 seq. Significat enim quidquid molle et languens est, tum adiuncta motus vel flexus notione, tum absque motu, ut *ὑγρὰ ὄμματα* sunt natantia et languentia libidine et desiderio, unde *ὑγρόφθαλμος*, *ὑγρὸν ὁρᾶν*, *ὑγρὸν βλέμμα*, *ὑγρὸς πόθος* et similia. Suidas: *Ὑγρός ὁ εὐκατάφορος εἰς τὰς ἡδονάς.* Itemque putre dicunt quidquid tabescit et marcescit, exstincto interno vigore ac robore, et pro molli ac dissoluto Persius utitur, Sat. V, 57: *hunc alea decoquit; ille In Venerem est putris*[1]). *Ὄμματα ὑγρὰ δερκόμενα* frequenter amantibus ipsique Veneri et Cupidini tribuuntur. Leonidas Tar. Ep. 37, 3. de Anacreonte: *ὁ γέρων λίχνοισιν ἐπ' ὄμμασιν ὑγρὰ δεδορκώς.* De eodemque Antipater Sid. Ep. 73, 3: *ὑγρὰ δὲ δερκομένοισιν ἐν ὄμμασιν οὖλον ἀείδοις.* Meleager Ep. 14, 7: *γλυκὺ δ' ὄμμασι νεῦμα δίϋγρον Δοίη.* Pseudoanacreon 28, 21: *βλέμμα δ' ὑγρὸν ὡς Κυθήρης.* In quibus *ὑγρὸν βλέμμα*, *νεῦμα* idem est quod *μαλακὸν καὶ ταχερόν*, quum *ξηρὰ ὄμματα* ap. Aeschyl. Sept. 696. et *ὀμμάτων ξηραὶ κόραι* ap. Eurip. Or. 389. oculi sint rigidi et duri s. *sicci oculi* Hor. C. I, 3, 18. Molliuntur autem et liquescunt amantium animi oculique, quum quasi lubrica vi venustatis perfunduntur, quae ab venustorum venustarumve oculis defluens (*τοῦ κάλλους ἡ ἀπορροή*) dulce desiderium incendit, ut hoc percussi et aestuare

1) Bene Duentzer: „jener vergeht in Begier."



et diffluere videantur. Sic enim loqui solent Graeci eosque secutus Horatius. Vide quae dicta sunt ad C. I, 19. init. et vs. 9; quibus hic addo ex nobilissimo Pindari fr. 88. B.: *τὰς δὲ Θεοξένου ἀκτῖνάς τις ὅσσων μαρμαριζοίσας ὁρακεὶς ὃς μὴ πόθῳ κνμαίνεται, ἐξ ἀδάμαντος ἢὲ σιδάρου κεχάλκευται μέλαιναν καρδίαν ψυχρᾷ φλογί· — ἀλλ' ἐγὼ κηρὸς ὣς τάκομαι, εὖτ' ἂν ἴδω κ. τ. λ.* Tum Asclepiades Ep. 24, 2: *τήκομαι ὡς κηρὸς παρ' πυρὶ κάλλος ὁρῶν.* Antipater Th. 32, 2: *ἡ ταχεραῖς λεύσσουσα κόραις μαλακώτερον ὕπνου.* Ibycus fr. 2. Schn.: *Ἔρος-ταχέρ' ὄμμασι δερκόμενος.* Theocr. Id. I, 90: *Καὶ τὺ δ' ἐπεί κ' ἐσορῇς τὰς παρθένος οἷα γελεῦντι, Τάχεαι ὀφθαλμῶς.* Eleganter, ut assolet, Lucianus Amor. 15: *ὁ Χαρικλῆς ὑπὸ τοῦ σφόδρα θάμβους ὀλίγου δεῖν ἐπεπήγει ταχερόν τι καὶ ῥέον ἐν τοῖς ὄμμασι πάθος ἀννγραίνων.* Hinc etiam Cicero Tusc. II, 22, 52: *voluptate liquescimus fluimusque mollitia.* Quintilianus autem Inst. XI, 3, 76: *oculi natantes et quadam voluptate suffusi*, manifeste sic reddens *ὄμματα ὑγρὰ δερκόμενα.*[1]) — Consului quum alios tum Jacobs. ad Anthol. Gr. VI, 31. VIII, 67. X, 381. a quo recentiores profecerunt. Olim non tam amoris desiderio fractos et colliquefactos, quam vino madentes et marcidos oculos interpretabantur, cl. Ovid. Fast. VI, 673; quod minus ad rem. Nam totam sententiam Graece uno verbo dixeris *ἐποφθαλιάσουσιν αὐτῇ.*

v. 20. *Lascivis hederis ambitiosior.*] Hederae arbores constringentis imagine ad artos complexus significandos iam Sophocles Antig. 826: *κισσὸς ὡς ἀτενής*, et Euripides utitur Hec. 398: *ὁποῖα κισσὸς δρυὸς ὅπως τῆσδ' ἕξομαι.* Eademque comparatio Catull. 61, 33. et Epod. 15, 5. legitur et poetis omnibus pervulgata fuit. Notanda autem h. l. poetici sermonis proprietas in epithetis conspicua. Nam lascivitas magis ad puellae ingenium, ambitiosior vero ad hederae naturam spectat, ut proprie Eurip. Phoen. 651: *κισσὸς ὃν περιστεφὴς Ἑλικτὸς — ἐνώτισεν.*[2])

1) Nos similiter, vom feuchten Schimmer lüsterner Sehnsucht übergehende und darin zerfliessende Augen, d. i. lüstern schmachtende'. Praeter volgaria fortius Francogalli ‚des yeux assassins'.

2) Sic Kopisch noster, cuius Nauckius meminit, (Engelhaus): „Sie wand sich um den Geliebten, wie Epheu um den Baum."

# Excursus

Ad C. I, 36. vs. 10.

Locum difficilem et olim vexatissimum: *Cressa ne careat pulchra dies nota*, magnus Bentleius a superiorum Criticorum et Interpretum iniuriis vindicavit et controversiam illam de scripti veritate et de iusta eius interpretatione paene totam confecit ac composuit, permultis similibus collatis, quae plus minusve huc faciunt: de origine dictionis accuratius quaerere supersedit ac potius traditam sententiam secutus est. Vellem hanc quoque partem pertractasset, quoniam in ea nunc etiam eadem fere, quae antea fuerat, caligo et dubitatio obtinet. Nam quae quidem posteriores rerum scriptores et paroemiographi de die candido prodiderunt, ea pugnant inter se et cum veterum auctorum loquendi consuetudine. Sunt autem fere haec.

Tristes dies nigris, laetos albis calculis notare Thraciae genti in more fuisse Plinius auctor est N. H. VII, 40 (41), 131: *Vana mortalitas et ad circumscribendam se ipsam ingeniosa computat more Thraciae gentis, quae calculos colore distinctos pro experimento cuiusque diei in urnam condit ac supremo die separatos dinumerat atque ita de quoque pronunciat. Quid quod iste calculi candore illo laudatus dies originem mali habuit?* Eandem consuetudinem Phylarchus apud Zenobium in Adagio (VI, 13) *Τὰς ἐν τῇ φαρέτρᾳ ψηφίδας* Scythis tribuit: ex quo Plinius sua hausisse videtur; eademque etiam ex Phylarcho profert Suidas: *Λευκὴ ἡμέρα· ἡ ἀγαθή. ἀπὸ τῆς παροιμίας τῆς λεγούσης, Τῶν εἰς φαρέτραν* (i. e. Calculorum in pharetram missorum). *Φύλαρχος γάρ φησι τοὺς Σκύθας μέλλοντας καθεύδειν ἄγειν τὴν φαρέτραν, καὶ εἰ μὲν ἀλύπως τύχοιεν τὴν ἡμέραν ἐκείνην διαγαγόντες, καθιέναι εἰς τὴν φαρέτραν ψῆφον λευκήν· εἰ δὲ ὀχληρῶς μέλλοιεν. ἐπὶ τοίνυν τῶν ἀποθνησκόντων ἐκφέρειν τὰς φαρέτρας, καὶ ἀριθμεῖν τὰς ψήφους· καὶ εἰ εὑρεθείησαν πολλαὶ λευκαί, εὐδαιμονίζειν τὸν ἀπογενόμενον. ὅθεν ἡ παροιμία.* Horatii vero Scholiastae, Porphyrio et Acro, plane similia narrant, non de Thracibus aut Scythis, sed de Cretensibus, *Cressa* videlicet *nota* inducti et in transversum acti. Novam explicationem attulit Plutarchus Pericl. 27. bello Samio coeptam esse



usurpari *λευκὴν ἡμέραν* hoc modo: Periclem quum Samiorum urbem oppugnaret, Atheniensium exercitum omnem in octo partes divisisse, quarum una pars se quieti dare et epulari posset, quum ceterae rebus gerendis interessent; illud in dies singulos contigisse iis qui albas fabas sortiti essent. Tum addit: *διὸ καί φασι τοὺς ἐν εὐπαθείαις τισὶ γενομένους λευκὴν ἡμέραν ἐκείνην ἀπὸ τοῦ λευκοῦ κυάμου προσαγορεύειν.* Hinc Suidas: *Λευκὴ ψῆφος· παροιμία ἐπὶ τῶν εὐδαιμόνως ζώντων.* Putant igitur illi *λευκῆς ἡμέρας* appellationem ab albo calculo ortam esse, idque ut probent alius alia narrant vel de externis moribus vel de singularibus factis: quae utrum vera fuerint an conficta, nil refert: verum tota ista ratio et ipsa per se parum probabilis videtur et veterum auctoritate prorsus caret.

Veteres enim Graeci, quum saepe *λευκὸν ἦμαρ* et *λευκὴν ἡμέραν* translate dixerint, nusquam tamen quicquam de albo calculo addiderunt, nec Herodotus aut alius scriptor vetus de Scytharum Thracumve moribus referens istum morem commemoravit. Nimirum illi *λευκὸς* simpliciter ab alma luce, sive a luce solis clara laetificum aliquid et hilare habente, ad fausti et bene ominati traduxerunt significationem, opposita non minus volgari atrae noctis imagine. Vide Aeschyl. Pers. 386 sq., Soph. Ai. 673., Eurip. Troad. 847. Dind.: e quibus locis *τὸ λευκοπώλου φέγγος ἡμέρας* facile in sensus figuratos transferri potuisse ipsa luce clarius est. cf. Aeschyl. Eum. 746: *φάος βλέπειν.* Ac figuratae dictioni via munitur illo Sophoclis in Ai. 709: *Νῦν, ὦ Ζεῦ, πάρα λευκὸν εὐάμερον πελάσαι φάος Θοᾶν ὠκυάλων νεῶν.* Atossa vero, sospitis filii accepto nuncio, apud Aeschylum Pers. 300:

*ἐμοῖς μὲν εἶπας δώμασιν φάος μέγα*
*καὶ λευκὸν ἦμαρ νυκτὸς ἐκ μελαγχίμου.*

Idem Aeschylus Agam. 668:

*ἔπειτα δ' Ἅιδην πόντιον πεφευγότες*
*λευκὸν κατ' ἦμαρ.*

Atque tragicos inprimis et deinde comicos poetas isto loquendi genere fuisse delectatos non solum ex iis quos protuli locis patet, sed ex pluribus etiam quos suppeditant Grammatici; et recte omnino illi *λευκὴν ἡμέραν* explicant „*τὴν ἀγαθὴν καὶ ἐπ' εὐφροσύνῃ.*“ Vide Sophoclis ex Athamante fr. 10. Dind., Eupolidis ex Adulatoribus fr. 179. Mein., Menandri ex Leucadia

fr. 305. M. Tum Herodianus p. 477: *Λευκὴν ἡμέραν διαγαγεῖν· τὴν ἡδεῖαν καὶ ἱλαράν.* Denique veterum memor Eunapius ap. Suidam in v. *Ἐπέκλυσεν· τοσαῦτα καὶ τοιαῦτα ἐπέκλυσε κακὰ, ὥστε χρυσὸς ἦν αὐτοῖς καὶ λευκή τις ἡμέρα κρατῆσαι τοὺς βαρβάρους*, i. e. „ut barbaros victis Romanis rerum potiri aurum iis fuerit et candida quae vocatur dies.“ Idem alibi in eandem sententiam substituit *καὶ πανήγυριν*, quod ap. Suidam exstat in *Ἔχετος*. Festus enim in Asiam provinciam proconsulari potestate mittitur *τὸν ποιητικὸν καὶ μυθώδη Ἔχετον... χρυσὸν ἀποδείξων καὶ πανήγυριν*, ut alterum per alterum explicetur. cl. Murator. Anced. T. V. p. 292: *ἡμέραν, τὸ τοῦ λόγου, λευκήν.*

Vides absurda esse quae de huius locutionis origine posteriores demum historici et paroemiographi somniaverint, multoque prius, quam varia ista et quaesita explicationis pericula facta sint, simplici et aperta ratione *λευκὴν ἡμέραν* a veteribus usurpari coeptam et in proverbium usque celebratam esse. Grammatica autem vel rhetorica ratio si quaeritur, *λευκὸν ἦμαρ* Aeschyli et *λευκὴ ἡμέρα* Sophoclis eodem modo dicitur quo *δούλιον, ἐλεύθερον, ὀρφανικὸν ἦμαρ* apud Homerum et *πεπρωμένον ἦμαρ* ap. Callim. h. Del. 128, ut sit ‚dies velut laeto quodam salutis lumine splendens ideoque, quod tanta animo oborta sit laetitia, vere festus habendus agendusque‘[1]). Nec aliter Horatius h. l. *pulchram diem*[2]) posuit: quod satis tibi persuadebis coll. C. IV, 2, 46: — — *O Sol*

*Pulcher! o laudande! canam, recepto*
*Caesare felix.*

et IV, 4, 39: *pulcher fugatis*
*Ille dies Latio tenebris,*
*Qui primus alma risit adorea.*

Confr. C. III, 14, 13. Epist. I, 5, 9. Atque ita interpretari malim etiam Tibull. I, 7, 64: *At tu natalis — Candidior semper candidiorque veni.* coll. Catull. 8, 3: *Fulsere quondam candidi tibi soles.*

De Horatii igitur locis sic statuo, poetam quum prope

1) Der lichte Tag = der Tag des Heils, der heitern Freude und insofern ein wahrer Festtag. Cfr. Blomf. ad Aeschyl. Pers. 266.
2) Der schön strahlende Tag des Heils.



volgare illud diem candidam evitare vellet, pulchram potius dixisse, sed ita ut candoris illius vim in sedes secundarias traiecerit, ut solent poetae vario dicendi ornatu uti. Ac consimilis est ratio creta notandi res bonas et expetendas, carbone res malas et evitandas. cf. Sat. II, 3, 246. et qui hoc manifeste imitatus est Persius 5, 108: *Illa prius creta, mox haec carbone notasti?* Quippe albus color, ab alma luce repetitus, omnino laetus et salutaris erat, niger vero tristis et funestus, et apud Graecos et apud Romanos. Sic Plutarchus, veterum de Theseo fabulam referens, Thes. 17: *Ἔδωκεν Αἰγεῖ ἱστίον λευκὸν τῷ κυβερνήτῃ, κελεύσας ὑποστρέφοντα σωζομένου τοῦ Θησέως ἐπάρασθαι τὸ λευκόν· εἰ δὲ μή, τῷ μέλανι πλεῖν καὶ ἀποσημαίνειν τὸ πάθος.* Hinc apud utrosque sacrificantes non solum coronati erant ut potantes in laetis conviviis, sed et candidati, quum luctus omnis abesse omnino a sacris deberet, v. Perizon. ad Aelian. III, 3. p. 149. Quod autem felices *dies lapide candidiore* (Catull. 68, 147.), *meliore lapillo* (Pers. 2, 1. Mart. IX, 53. 5.), *candidissimo calculo* (Plin. Ep. VI, 11, 3.), infaustos vero nigro vel atro lapillo notandos et signandos dicebant, id scriptores multo facilius, ut opinor, a domestico iudiciorum usu quam a Thracum illo aut Scytharum more repetere poterant: populus certe quidem ad vim formularum proverbialium intelligendam doctrina ista recondita, qua posteriores delectati sunt, nec indigebat nec solebat adhibere, sed quum albus calculus sive lapillus (*ψῆφος λευκὴ*) absolveret in iudiciis, niger vero (*ψ. μέλαινα*) condemnaret, id ipsum dicendi genus etiam ad alias res prosperas et adversas transferebat. Vide Suid. in v. *ψῆφος μέλαινα*, Plut. Pisc. c. 21., Ovid. Met. XV, 42 sqq., Plin. Epist. I, 2, 5. cl. Mart. XII, 34, 5 sqq.

Haec commentatus consului, quos Bernhardyus ad Suidae l. c. adhiberi iussit, Blomfieldum in Aeschyl. Pers. 306. Hemsterhusium in Lucian. T. I. pg. 460. et in Callim. h. Del. 128.; tum Ellendtii Lex. Soph. in v. *Λευκός* et Beckeri Charicl. I, 253. ed. 2.

## Carm. I, 37.

Nuncio de Antonii et Cleopatrae interitu mense Septembri anni 724. Romam perlato poeta sodales hortatur, ut mor-

tem reginae barbarae, quae Urbi imperioque Romano exitium ac perniciem minitata sit, quam laetissime celebrent; deinde mollitiam atque insolentiam „fatalis illius monstri“ castigat et quomodo a Caesare ad nihilum redacta sit describit, sed ita tamen ut eam „generosius periisse“ agnoscat. Cf. Epod. 9. Virg. Aen. VIII, 675 seqq. Propert. III, 11, 29 seqq. IV, 6. Haec de argumento carminis vere opinor Romani et quod ita in illis ipsis temporibus versetur, ut de Graeci alicuius imitatione ne suspicari quidem liceat. Nam quod initium:

*Nunc est bibendum, nunc pede libero*
*Pulsanda tellus,*

aperte ex Alcaci fragmento duxit, quod de Myrsili, Lesbi tyranni, morte exstat (Fragm. 4. Matth., 12. Schn.) nec solum eodem metro sed his adeo verbis conscriptum videtur:

*Νῦν χρὴ μεθύσθην καὶ πόδα πρὸς βίαν*
*πόνην*[1]*), ἐπειδὴ κάτθανε Μύρσιλος,*

nihil aliud spectavit, nisi ut celebri et splendido exordio uteretur; in reliquis autem vix potuit quicquam ab illo mutuari, quum cetera omnia nimis arte ad Cleopatram referantur. Vide etiam Prooem. p. IX.

Ceterum inter primas Odas ab Horatio editas haec referenda est, quamobrem quum ad Epodorum genus propius accedat, cum illo incuriam quandam metri communem habet, quo pertinet negligentia in caesura admissa vs. 5. et 14. Vide Exc. I. coll. Frankii Fast. Hor. p. 170. et Hermanni Epit. doctr. metr. §. 587. Accedit liberior Graecanicae dictionis usus, de quo infra videbimus.

v. 1. *pede libero*] Nonnulli referunt ad recuperatam libertatem aut ad cogitationem catenarum, quae a Cleopatra timendae erant; ut ad affectum animi laetitia exsultantis referamus, et multa similia huius traiectionis exempla, ut Pind. Nem. III, 39. B.: *ἀρεκέι κατέβα ποδί*, Eur. Hel. 869: *ποδὶ στείβων ἀνοσίῳ*. coll. Hor. C. I, 35, 13. Propert. II, 6, 38., et vero Alcaei verba, ex quibus haec expressa sunt, persuadent: *καὶ (νῦν χρὴ) πόδα πρὸς βίαν πόνην*. Et huic explicationi tota locutio pede pulsare tellurem magis favet. Vide Excursum.

1) Vulgo nunc editur *καί τινα πρὸς βίαν πίνειν*, vel *πίνην*. Quod supra dedi ex libris msc. et ex Horatii verbis rescripsi. Vide Exc.



v. 4. *nunc Tempus erat*] Illud *erat* est crux Interpretum, qui totum locum diversissimo modo explicarunt atque etiam emendare conati sunt; ego Graecorum more dictum credo, sicuti est C. I, 27, 19: *Ah miser, Quanta laborabas Charybdi!* quam figuram Grammatici heterosin appellaverunt. Eam per se omnino nullam esse patet, quum si locos scriptorum accuratius intueamur, nusquam reperiamus imperfectum poni pro praesenti, nisi quum ipsa sententiae ratio vel ferat vel postulet. Nec vero h. l. tempus temere mutatum credo, sed poeta postquam Alcaei verba laudavit, ea ad rem praesentem applicaturus sic pergit dicere: ut iam cognosco, hoc demum iustum *tempus* publicae laetitiae *erat; antehac* enim, etiam post Actiacam victoriam, hoc modo laetitia exsultare praematurum *nefas*que putandum erat *depromere Caecubum ad festas dapes repositum, dum fatale* illud *monstrum* in vivis versabatur; *nunc* demum aio vere laetandum esse, illo exstincto. Quo ipso modo scite significat se aut sodales suos laetum hunc diem acerrime exspectasse moraeque impatientes fuisse, ut ipsi prius de commodo tempore lectisternii aliter, utque res declaraverit, minus recte iudicaverint. Sic autem Graeci loqui solent maximeque formulas illas *ἦν ἄρα, ἔμελλεν ἄρα ἔσεσθαι* ad tempus praesens ita referunt, ut praeterito indicent se tum nondum cognitum habuisse, quod iam perspexerint. Itaque Graece dixeris: *νῦν μὲν ἄρα καιρὸς ἦν, τὸ δὲ πρὶν οὐ θέμις*. Vide Hermann. Aristoph. Nub. 1030. Pflugk. Eurip. Hel. 746. Bach. Anth. Gr. p. 35. Krüger. Gram. Gr. §. 53, 2. not. 6. coll. Hartung. Partic. Gr. I, 434. Cfr. v. c. Hes. Op. 11. Theogn. 700. 789. Soph. O. R. 1329. 1336; Hom. Od. XI, 553. Soph. Ph. 1085. Aristophan. R. 268. D. Quod vulgo interpretantur „factum illud iam dudum oportebat atque etiam nunc oportet“, quasi cessationem reprehenderit: id a sententiarum ratione et poetae verbis abhorrere patet. Nec licet cum hoc loco conferri Ovid. Trist. IV, 8, 5. 24 sq. Liv. VIII, 5., ubi tempus erat, nunc erat plane alio modo usurpatum videmus. Scilicet Latine hoc plerumque dicimus pro ‚nunc par erat, nunc decebat‘, quum contrarium accidit, quam quod iure quodam postulare nobis videmur, ut recte sane Peerlkampius, id in Horatii locum convenire pernegans. Unde Scholiastae, ni fallor, h. l. simpliciter dicunt „*erat* pro est.“

Graecanica vero ratione omnes difficultates tolluntur eamque Lübkerus quoque, qui hunc locum accuratius persecutus est, unice probandam censuit.[1]).

v. 7. *dementes ruinas*] Ipsa regina exitium imperio Romano paratura *demens* erat; sunt igitur ‚ruinae dementi mente agitatae'; vide Exc. IV, 4. Append.

v. 9 sq. *Contaminato cum grege turpium Morbo virorum*] Audacius haec dicta sunt et obscurius, nec tamen dubium esse videtur, quin ‚morbosi spadones' Cleopatrae intelligendi sint, qui turpi morbo illicitae libidinis laborabant. „Morbo turpes dixit (sunt verba veteris Scholiastae), quia ii fere effeminati sunt." Notum est illud Herodoti I, 105. qui Venerem iratam Scythis inflixisse narrat θήλεαν νόσον, id est defectum virilitatis, quo affectos morbo idem IV, 67. ἀνδρογύνους interpretatur. De eunuchis quoque Lucianus Amor. 21: οὕτως ἡ μιαρὰ καὶ παντὸς κακοῦ διδάσκαλος τρυφὴ ἄλλην ἀπ' ἄλλης ἡδονὰς ἀναισχύντους ἐπινοοῦσα μέχρι τῆς οὐδὲ ῥηθῆναι δυναμένης νόσου κατώλισθεν. Omnino νόσος et νοσεῖν saepius de morbis tropice dictis, quam de physicis usurpantur, maximeque de pravis moribus, de insana libidine frequentantur, atque ita ut adhaereat illis verbis debilitationis quaedam notatio. Antiatticista Bekkeri p. 109, 17. et Photius: Νόσον ἔχειν· ἀντὶ τοῦ φαῦλον ἦθος ἔχειν. Εὐριπίδης Ἀντιόπῃ. Cfr. Eur. Bacch. 353. Hipp. 765 seq. et Phrixi fr. 13. D.: νοσεῖν αἰσχρὰν νόσον. Callimachus epigr. 49, 5: ἁ λιμὸς ἔχει μόνον ἐς τὰ πονηρὰ Τώγαθον· ἐκκόπτει τὰν φιλόπαιδα νόσον. Hinc *turpem morbum* cinaedo exprobrat Claudianus Ep. 26. eiusdemque modi homines Catullus 57, 6. *morbosos* (νοσοῦντας, παθικούς) compellat. Exagitat igitur Horatius insanam libidinem eunuchorum et nota ministeria voluptatis (v. Muret. Var. Lect. X, 11.); deinde formae eorum turpitudinem notat.

1) Ipsius verba sunt: „Offenbar ist das *nunc est*, womit die Ode beginnt, ebensosehr das volle Gefühl der Gegenwart, wie das folgende *nunc tempus erat*, zwar in Beziehung auf die Gegenwart, aber vom Standpunkte der Vergangenheit aus gesprochen, in der die Ungeduld immer den rechten Zeitpunkt zur Festfeier gefunden zu haben meint, von der besonnenen Einsicht aber auf die Zukunft vertröstet wird. Ein *nunc tempus erat* sagt also, dass die oft erwartete und vermeintlich eingetretene Zeit jetzt da ist."



Ipse Epod. 9, 13. *spadones rugosos* vocat, similiterque Graeci describere solent eos, qui in sinistrae Veneris servitio consenuerunt. vid. Jacobs. Anth. Gr. VIII, 280. *Contaminatum* autem istum *gregem* dicit, ut Graeci meretricum et spadonum genus notant κατάπτυστον, μιαρὸν γένος, a quo cavendum sit ne morbi contagium contrahatur. cfr. Anaxilae e Neottide fr. 21, 6. ad C. I, 27, 19. pag. 103. Tac. Ann. XV, 37: *uni ex illo contaminatorum grege.* Denique virorum nomen apparet κατ' εἰρώνειαν dictum esse pro ‚semivirorum' (Virg. Aen. IV, 215. XII, 99.), quos Graeci ἀνδρογύνας, ἡμιάνδρους, ἡμιγύναικας appellare solent. Nos sic fere assequamur: „sammt dem unsauberen Schwarm ihrer scheusslich von siecher Wollust entstellten Männer."

v. 10 seq. *quidlibet impotens Sperare*] οὕτως ἀκρατὴς γενομένη ὥστε πᾶν ἐλπίσαι. Vide Exc. IV, 4. §. 2. Huius impotentiae[1]) caussa quaerenda in *dulci fortuna*, qua inebriata erat[2]), solito Graecis tropo. Thomas Mag. 231, 5. R.: οὐ μόνον ἐπὶ οἴνου τὸ μεθύω λέγουσιν, ἀλλὰ καὶ ἐπὶ τοῦ ἁπλῶς ὑβρίζειν καὶ μὴ ἐθέλειν σωφρονεῖν ὑπό τινος τυχὸν ἐξουσίας ἢ πλούτου ἢ τοιούτου τινὸς ἄλλου. Sic Demosthenes Phil. I, 49. p. 54: ἐγὼ δ' οἶμαι μὲν — ἐκεῖνον μεθύειν τῷ μεγέθει τῶν πεπραγμένων. Anacreon fr. 10, 2. Schn.: μεθύων ἔρωτι. coll. Catull. 45, 11: *dulcis pueri ebrios ocellos.* Lucret. III, 1063: *ebrius curis.* Cfr. Muret. Var. Lect. V, 16.

v. 14. *Mentemque lymphatam Mareotico*] Quid lymphatus principio fuerit, obscurius est; comparant tamen Graecum νυμφόληπτος. Varro de l. L. VII. p. 365. Sp.: *in Graecia commota mente quos νομφολήπτους appellant, ab eo lymphatos dixerunt nostri.* Festus p. 89. Lind.: *vulgo memoriae proditum est, quicunque speciem quandam e fonte, i. e. effigiem nymphae viderint, furendi non fecisse finem: quos Graeci νυμφολήπτους vocant, Latini lymphaticos appellant.* Cfr. Voss. ad Virg. Ecl. VI, 13. p. 16. coll. Theocr. XIII, 44. et Ovid. Her. IV, 47. De usu vocis videndus praeter Bentleium et Lübkerum Mützell ad Curt. IV, 46. ‚Lym-

1) Liv. XXX, 42: *Ex insolentia, quibus nova bona fortuna sit, impotentes laetitiae insanire.*

2) „Vom Taumelkelch Fortunas trunken."

phaticum illum pavorem' (Liv. VII, 17, 3. X, 28, 10. Tac. Ann. I, 32.) Graeci praecipue a Panos numine repetebant, unde notissimum illud *δεῖμα Πανικὸν* s. *Πανεῖον* (Herod. VI, 105. Eurip. Rhes. 36 sq.); Horatius autem h. l. non Pani nec Apollini (ut Virgilius Aen. VIII, 704 sq.) aut nymphis aquaticis, sed vino Mareotico subitum illum et vanum terrorem tribuit, quo percita Cleopatra ex pugna Actiaca, quum vix inito proelio aequo Marte pugnaretur, aufugit, idque sine dubio fecit ut mollem eius luxuriam notaret.

v. 17 seq. *accipiter velut Molles columbas (adurget)*] Comparatio Homerica celebratissima, ducta ex Il. XXII, 138:

*Πηλείδης δ' ἐπόρουσε ποσὶ κραιπνοῖσι πεποιθώς,*
*ἠΰτε κίρκος ὄρεσφιν, ἐλαφρότατος πετεηνῶν,*
*ῥηϊδίως οἴμησε μετὰ τρήρωνα πέλειαν·*
*ἡ δέ θ' ὑπαιθα φοβεῖται κ. τ. λ.*

Eandem secuti sunt Alcman Fr. 12. Schn. Alcaeus Fr. 19. Schn. Euripides Andr. 1141. Apollonius Arg. IV, 486. Virgilius Aen. V, 721. Ovidius Met. V, 606. Cfr. C. IV, 4, 31: *imbellem* (*τρήρωνα*) *columbam.*

v. 19. *nivalis Haemoniae*] poeticum Thessaliae nomen a rege Haemone sic dictae. Apollonius Arg. III, 1090: *Αἱμονιὴν δὴ τήνγε περικτίονες καλέουσιν.* ubi Schol. ex Rhiano profert: *Αἱμονίην ἀφ' Αἵμονος... ὁ δ' αὖ τέκε Θέσσαλον Αἵμων.* Nivalis autem Thessalia, ut vicina Thracia Euripidi Andr. 215: *Θρῄκην χιόνι τὴν κατάῤῥυτον.* Cfr. Epist. 1, 3, 3. Virg. Aen. VII, 675. (Orelli.)

v. 22. *Perire quaerens*] ut vs. 30: *invidens deduci.* Vide Exc. IV, 4, §. 1. coll. C. III, 4, 39.

v. 26. *fortis tractare*] adeo fortis, ut attrectaret. Cfr. ad vs. 10.

v. 30. *Saevis Liburnis*] Appian. de reb. Illyr. c. 3: *Λιβυρνοὶ τὸν Ἰώνιον καὶ τὰς νήσους ἐληΐστευον ναυσὶν ὠκείαις τε καὶ κούφαις· ὅθεν ἔτι νῦν Ῥωμαῖοι τὰ κοῦφα καὶ ὀξέα δίκροτα Λιβυρνίδας προσαγορεύουσιν.* Vide Dillenburgeri Exc. de Liburnis ad Epod. 1, 1. coll. Suid. in v. *Λιβυρνικαί.*

v. 31. *invidens Privata deduci triumpho*] De structura cf. ad C. I, 2, 43: *patiens vocari Caesaris ultor.* De re Porphyrio e T. Livii loco nunc deperdito apposite memorat illam identidem dicere solitam: „*Οὐ θριαμβεύσομαι.*"



## Excursus

Ad Horat. C. I, 37, 1. coll. Alcaei Fragm. 12. Schn.

Est operae pretium videre, quomodo Horatius et Alcaeus hoc loco sibi invicem succurrant, ut alterum alter ab Interpretum, alter a Criticorum iniuriis defendat. Quibus quum Alcaei sententia oppressa iaceat, Horatii obscurata sit, si modo vera illius verba revocaveris et paulum correxeris, plenam sibi lucem donant debentque. In Alcaei enim fragmento, quod servavit Athenaeus X, 430. A., ibi codicum consensu scriptum exstat *καί τινα πρὸς βίαν πονεῖν.* Quod quum viris doctis omni carere idonea explicatione videretur, correxit primus Fulvius Ursinus *πίνειν* et deinde Casaubonus *πίνην* ex Aeolensium usu, quam coniecturam nunc omnes velut sacram ancoram amplexi sunt, postquam altera illa et fere aequalis *καὶ χθόνα πρὸς βίαν παίειν*, ex Horatii verbis facta (ap. Aemil. Portum ad Lyric. frr. Heidelberg. 1598. et probata olim quum aliis tum Porsono Adv. p. 103. ed. Lips.), explosa est ab Hermanno El. doct. metr. 688 seq. „Nam Horatius, aiunt, suum *nunc pede libero pulsanda tellus* etiam ex iis quae sequebantur apud Alcaeum haurire potuit." At solet Horatius talia initia, quae ex Graecis exemplaribus suis plano ac manifesto consilio eo ut insigni exordio uteretur et ut doctis amicis in memoriam redigeret, repetiit, fere ad verbum reddere, aut si forte non verbum pro verbo reddit, solet tamen sententiam verborumque vim servare. Id quum certissimum sit et plus duodecim locis vel ex uno Odarum libro primo constet (vide ad Carm. I, 18, 1.): non ipsam quidem coniecturam istam *χθόνα — παίην* (quae mihi correctoris magis quam poetae manum eamque satis sinistram referre videretur), sed Horatii tamen vestigia secutus totum archetypon sanasse mihi videor, quum una vocula leniter restituta scripsi *καὶ πόδα πρὸς βίαν Πόνην.* Quae ut aperte conveniunt cum Horatianis *nunc pede libero pulsanda tellus*, ita proprium aliquod et singulare utriusque ingenii discrimen relinquunt, in quo ipso haud scio an absconditae caussa quaerenda veritatis sit. Nam bene sane atque eleganter Horatius, nunc, ait, postquam *cura meluque Caesaris rerum soluti* (Epod. 9, 37.) sumus, libera licentia tripudiandum et exsultandum est, quantum effusa animi laetitia agitati pe-

des saltare volent; Alcaeus vero altiore et alacriore abreptus spiritu ne liberum quidem exsultandi arbitrium permittit pedibus, sed eam animi laetitiam esse dicit, ut illis necesse sit saltare et saltando se contundere: *νῦν χρὴ πόδα πρὸς βίαν πόνην*. Sic Horatius ipse quoque C. I, 36, 1: *Neu sit requies pedum*. Euripides autem similiter de Achille intento cursu certante cum quadrigis Iph. A. 212. D.: *ἅμιλλαν δ' ἐπόνει ποδοῖν*. Ac *βιαίους πόνους* dictos esse cognosces ex Aeschyli Suppl. 800. Herm.: *τάδε φροίμι' ἐμῶν βιαίων πόνων*, et ex Pindari fragm. 88. B. vs. 6: *περὶ χρήμασι μοχθίζει βιαίως*. Nec alia est vis locutionis *πρὸς βίαν*. Eurip. Heracl. 885: *οὐ μὴν ἑκόντα γ' αὐτὸν, ἀλλὰ πρὸς βίαν Ἕζευξ' ἀνάγκη*. Itaque id ipsum, quod ad Alcaei verba mentemque haud sane aptissime proponunt, *πρὸς βίαν πίνειν* non est violentius bibere, sed invitum sive coactum bibere, ut patet ex Soph. fr. 701. D.: *τὸ πίνειν πρὸς βίαν Ἴσον κακὸν πέφυκε τῷ διψῆν βίᾳ*, et ex Aristoph. Ach. 73: *ξενιζόμενοι δὲ πρὸς βίαν ἐπίνομεν*. Deinde fere sollemne erat Graecis hominibus, ut insperata clati laetitia vino se obruerent in conviviogue saltarent: immo vero hoc ita usitatum fuit ac paene indiscretum, ut vix credibile sit saltationem ab Alcaeo omissam ac non statim post vinum commemoratam esse. Vide Halm. ad Cic. p. Dej. 9. §. 26. coll. Becker. Charicl. I, 188. edit. 2.

Ita Horatius et Alcaeus, nisi fallor, optime conciliantur. Protulit hic sententiam commodam ac paene necessariam, et qua solet vi et gravitate scripsit; convertit ille non ut interpres, sed ut poeta, eadem sententia, verbis ad suum iudicium aptis; denique alter alterius sententiam auctoritate sua tuetur et defendit. Contra qui Alcaeo novum istud *πίνην* post *τὸ μεθυσθῆναι* obtrudunt, et perturbant omnia et eius orationem mirum in modum languidam, ne dicam, vinolentam et somniculosam reddunt. Hoc mihi adeo frigidum et perversum videtur, ut vel integram librorum scripturam retineri malim, quam tale quicquam in eius possessionem invadere patiar. Nam quod libri suppeditant *καί τινα πρὸς βίαν πονεῖν*, id aliquam tamen nec ineptam sententiam habet, si hoc ipsum, quod dicendum erat, universe dictum putemus: „nunc cuivis vel invito laborandum est, ut se in omni omnino laetitia effundat ac conficiat", i. e. ut saltet. Sic Lucianus de effusa laboris contentione Necyom. c. 4: *ὁ δέ τις ἐμπαλιν παρήνει πονεῖν τὰ πάντα καὶ μοχθεῖν καὶ τὸ σῶμα καταναγκάζειν*. In re simili autem Horat. C. I, 18, 12: *Non ego te, candide Bassareu, Invitum quatiam*. Verum praestat, opinor, *πόδα* scribi vel propter manifestam imitationem Horatii vel propter communem Graecorum consuetudinem. Nam quod Horatius dixit pede pulsare tellurem, id Graecis omnino de saltatione sollemne fuit Homer. Il. XVIII, 571: — — *τοὶ δὲ ῥήσσοντες ὁμαρτῇ*

*μολπῇ τ' ἰυγμῷ τε ποσὶ σκαίροντες ἕποντο.*

Il. Hom. Apoll. 516: *οἱ δὲ ῥήσσοντες ἕποντο* (sc. *ποσίν*).

Plena locutio *ῥήσσειν πέδον* vel *πλήσσειν οὖδας* est apud Apollonium Rhod. I, 539:

*ἐμμελέως κραιπνοῖσι πέδον ῥήσσωσι πόδεσσιν.*

et Callimachum H. in Del. 306:

*αἱ δὲ ποδὶ πλήσσουσι χορήτιδες ἀσφαλὲς οὖδας.*

Plura vide apud Ruhnk. ep. cr. p. 26. coll. Hom. Od. VIII, 264: *πέπληγον δὲ χορὸν θεῖον ποσίν*. et Eurip. Tr. 325: *πάλλε πόδ' αἰθέριον*. Addo locos Horatianos C. I, 4, 7.: *Alterno terram quatiunt pede*. C. III, 18, 15.: *Gaudet invisam pepulisse fossor Ter pede terram*. C. IV, 1, 26 sq.: *pede candido — ter quatiunt humum*. A. P. 430: *tundet pede terram*.



## Carm. I, 38.

Tenue hoc carmen *παροίνιον*, quod Horatius de industria in extremo libro primo posuisse videtur, nilnisi colorem Anacreonticum refert, nec iniucundum tamen Romanis futurum propter rei novitatem. Ut enim totum genus lyricum, pauca quum tentasset Catullus, primus ad Romanos transtulit, sic habitum carminum ut haud spernendum *καλλώπισμα* a Graecis mutuari non dubitavit. Inde huius carminis forma. Nam frequenter Lyrici Graeci, ut alias lyram suam invocabant, sic pocillatores etiam alloquebantur, quibus quid sentirent quidve vellent exprimerent. Quo artificio sententiae, ceteroquin communi ac volgari, in rem praesentem versae novum vigorem novamque gratiam quaerebant. Ex quo genere Anacreontis sunt Fragm. 39 et 40. apud Schneidew., quorum illud ita incipit:

Φέρ' ὕδωρ, φέρ' οἶνον, ὦ παῖ,
φέρε δ' ἀνθεμεῦντας ἡμὶν
στεφάνους.

hoc autem

Ἄγε δὴ φέρ' ἡμὶν, ὦ παῖ,
κελέβην, ὕχως ἄμυστιν
προπίω κ. τ. λ.

ab Horatio imitatione expressum esse iam supra vidimus (C. I, 27, 1.) idemque imitatus est auctor carminis Anacreontei 36, 8:

Φέρε μοι κύπελλον, ὦ παῖ·
μεθύοντα γάρ με κεῖσθαι
πολὺ κρεῖσσον ἢ θανόντα.

et Carm. 38, 8:

Ἐμοὶ κύπελλον, ὦ καὶ,
μελιχρὸν οἶνον ἡδὺν
ἐγκεράσας φόρησον.

et Catullus 25, 1:

*Minister vetuli puer Falerni*
*Inger mihi calices amariores.*

v. 1. *Persicos apparatus*] Rem illustrat Xenophon Cyrop. VIII, 8, 15: Ἀλλὰ μὴν θρυπτικώτεροι πολὺ νῦν Πέρσαι ἢ ἐπὶ Κύρου εἰσίν. Eorumque luxuriam deinde quum in victu tum in vestitu accuratius persequens haec addit §. 16: ἄλλα τε ἀεὶ καινὰ ἐπιμηχανῶνται· καὶ γὰρ καινοποιητὰς ἀμφοτέρων τούτων κέκτηνται. Cfr. Herod. IX, 82. coll. Corn. Nep. Paus. 3. §. 2. et Cic. Tusc. V, 7, 20.

v. 2. *nexae philyra coronae*] φιλύρας στέφανοι veteribus Lyricis ignoti non cum ὑποθυμίδων πλεκτῶν genere confundendi sunt, sed quum recentioris luxus ac fastidii sint, a Comicis demum commemorantur et saepe in antiquis monumentis conspiciuntur. Sunt *sutiles* illae *coronae*, quarum Ovidius Fast. V, 335. mentionem facit. Vide Excursum.

v. 3 seq. *rosa quo locorum Sera moretur*] ὅπου ῥόδον ὄψιμον, παραχαίριον μένει, i. e. ὀψὲ, παρὰ καιρόν. Nos similiter in poesi „wo die verspätete, herbstliche Rose noch weile". Vide ad C I, 2, 45. De re mox viderimus.



## Excursus

Ad C. I, 38. vs. 2. coll. I, 36. vs. 15 seq.

*De coronis convivalibus.*

Absoluta interpretatione ex his angustiis iuvat parumper in apertiorem atque amoeniorem campum exspatiari, dum de veterum corollis convivalibus dicam, non ut omnia quae Athenaeus in Deipnosophistarum Lib. XV. aut Plutarchus in Symposiacon III. aut Plinius in N. H. XXI. c. 1—11. aut alii alibi habent[1]) colligam, sed quae ad Horatium pertineant ex Lyricorum reliquiis ceterisque exemplaribus eius Graecis enotem. Nam quae apud ipsum Horatium et suppares poetas eo de genere leguntur plurima, maxima ex parte pro alienis et assumtis habenda itaque interpretanda esse arbitror. Etenim illi poetae, etiamsi ipsi nec serta aut unguenta nec alia molliora interdum spreverint[2]), ea tamen quae his de rebus in eorum carminibus reperiuntur, non tam ita posuisse existimandi sunt, ut suae vitae imaginem exprimerent, quam ut poesin Graecorum imitarentur. Quos quum eiusmodi res cum mirifica venustate describsisse viderent, inde carminibus suis similes colores induxerunt. Ac dubitari non potest, quin multa id genus quae poetae luserant, ex eorum demum carminibus in elegantioris vitae usum abierint. Est igitur illa comparatio non solum iucunda sed paene necessaria, videorque mihi convenienter instituto meo facturus, si per floreum quoque hunc campum Horatii ducam, ut qui Graecis maxime flosculis ab eo sit consitus.

De veterum Lyricorum corollis convivalibus haec complectitur Pollux Onom. VI, 107: Ἀνακρέων καὶ μύρτοις στεφανοῦσθαί φησι καὶ κυριάννοις καὶ αὐτῷ (leg. λωτῷ vel λύγῳ) καὶ Ναυκρατίτῃ στεφάνῳ, σάμψυχος οὗτος ἦν, καὶ ἀνήττῳ, ὡς καὶ Σαπφὼ καὶ Ἀλκαῖος. οὗτοι δὲ καὶ σελίνοις· ὁ δὲ Ἀνα-

1) Cfr. in primis Paschalius De coronis libri decem. Par. 1610. — Böttiger Sabina I. p. 240 sqq. — Becker Charicles (ed. Hermann an. 1854.) I, 180 sqq. — Becker Gallus (ed. Rein an. 1849.) III, 244—251.

2) Juv. 9, 128: „dum bibimus, dum serta, unguenta, puellas Poscimus, obrepit non intellecta senectus." Cf. Hor. C. II, 7, 5 sq. Ept. I, 14, 36.

*κρέων καὶ στέφανον ῥόδινον ὠνόμασεν.* Confirmat illud quod supra dixi Acron Scholiastes ad Hor. C. IV, 11, 3: *Alcaeus frequenter se dicit apio coronari.* Tangunt autem illi, quae quidem forte fortuna nobis servata sunt, Alcaei Fr. 29. Schneidew.:

*Ἀλλ' ἀνήττω μὲν περὶ ταῖσι δέῤῥαις*
*περθέτω πλέκταις ὑποθυμίδας τις,*
*κἀδ δὲ χευάτω μύρον ἁδὺ κὰτ τῶ*
*στήθεος ἄμμι.*

Sapphus Fr. 15. Schn.:

*Κἀπαλαὶς ὑποθυμίδας*
*πλέκταις ἀμπ' ἀπαλᾷ δέρᾳ.*

Anacreontis vero Fr. 37. Bergk. (19. Schneid.):

*Πλεκτὰς δ' ὑποθυμίδας*
*περὶ στήθεσι λωτίνας ἔθεντο.*

aut Fr. 39. B. (20. Schn.):

*Ὁ Μεγίστης δ' ὁ φιλόφρων δέκα δὴ μῆνες, ἐπεί τε*
*στεφανοῦταί τε λύγῳ καὶ τρύγα πίνει μελιηδέα.*

et Fr. 53. (34.):

*Ἐπὶ δ' ὀφρύσιν σελίνων στεφανίσκους*
*θέμενοι θάλειαν ὁρτὴν ἀγάγωμεν*
*Διονίσῳ.*

et Fr. 95. (54.)

*Στεφάνους δ' ἀνὴρ τρεῖς ἕκαστος εἶχεν,*
*τοὺς μὲν ῥοδίνους, τὸν δὲ Ναυκρατίτην.*[3])

Videmus illos, prout res ferebat, varias omnino coronas in conviviis sumere solitos, quibus tum capita tum colla atque pectora redimirent: sed maxime usos esse quas ipsi *πλεκτὰς ὑποθυμίδας* vocabant. Ea sunt collis subnexa serta florea, vel frondes myrteae, quibus violae rosae alii flores coronarii

3) Pollux volgarem opinionem secutus coronam sampsychinam interpretabatur; aliis poeta myrteam, ex biblo confectam aliis dixisse videbatur, ut Athenaeus XV, 676. d. refert, ipse myrteam fuisse contendens, quod Vossius probat ad Virg. Ecl. 7, 62. p. 82. At Böttigerus Sab. I. p. 228. illam de *βίβλῳ στεφανωτρίδι* sententiam tuetur, Naucraticam coronam ex tenuissimo libro bibli singulari artificio contextam esse statuens. Cfr. infra de *nexis philyra coronis.*



herbaeque bene olentes intexebantur, itaque dicta *ἀπὸ τῆς ἀνθῶν ἀναθυμιάσεως*, ut interpretatur Athenaeus XV, p. 688 c.: *ἀλλὰ μὴν καὶ τοὺς στεφάνους τοὺς περικειμένους τῷ στήθει ὑποθυμιάδας οἱ ποιηταὶ κεκλήκασιν ἀπὸ τῆς τῶν ἀνθῶν ἀναθυμιάσεως.* Idem p. 678 c.: *Ὑποθυμὶς δὲ καὶ ὑποθυμιάδες στέφανοι παρ' Αἰολεῦσι καὶ Ἴωσιν, οὓς περὶ τοὺς τραχήλους περιετίθεντο, ὡς σαφῶς ἔστι μαθεῖν ἐκ τῆς Ἀλκαίου καὶ Ἀνακρέοντος ποιήσεως. Φιλητᾶς δ' ἐν τοῖς ἀτάκτοις ὑποθυμίδας Λεσβίους φησὶ καλεῖν μυρσίνης κλῶνα, περὶ ὃν πλέκειν ἴα καὶ ἄλλα ἄνθη.* Similiter atque ille de ratione nominis exponit Plutarchus Symp. III, 1, 3. p. 647: *τοὺς περιδεραίους τῶν στεφάνων ὑποθυμίδας ἐκάλουν διὰ τὴν ἀποφορὰν καὶ ἀποθυμίασιν.* Coronas ipsas e floribus nexas dicit.

Sed originem moris atque caussam si quaerimus, iidem scriptores, ex vetustioribus uterque fontibus, hanc esse referunt, quod potu nimio quum incaluisset caput, primo redimiculis, deinde hedera aliisve refrigerantibus mederi coeperint; quae omnia tandem floribus mutata sunt, odore praeter usum primarium etiam insuper gratis. Hinc nati *οἱ παρ' οἶνον στέφανοι*, mox accesserunt *οἱ περιδέραιοι στέφανοι.* Athen. XV, 674 b.: *οἱ ἀρχαῖοι, διὰ τοὺς περὶ τὸν οἶνον τόνους κεφαλαλγιῶν, δεσμοὺς εὕρισκον τοὺς τυχόντας, τῆς τῶν κροτάφων συνδέσεως ὠφελεῖν δοκούσης· οἱ δ' ὕστερον ἅμα τῷ κροτάφῳ προσέβαλλόν τινα καὶ κόσμον οἰκεῖον τῇ παρὰ τὸν οἶνον διαγωγῇ, μηχανησάμενοι τὸν στέφανον.* Plut. l. c.: *αἱ δὲ τῶν ἀνθῶν ἀπόῤῥοιαι πρὸς τοῦτο θαυμασίως βοηθοῦσι καὶ ἀποτειχίζουσι τὴν κεφαλὴν ἀπὸ τῆς μέθης ὡς ἀκρόπολιν. Διὸ μάλιστα τοὺς ἀνθίνους ἐκ τῶν τραχήλων καθάπτοντες ὑποθυμίδας ἐκάλουν καὶ τοῖς ἀπὸ τούτων μύροις ἔχριον τὰ στήθη. μαρτυρεῖ δ' Ἀλκαῖος κελεύων καταχέαι τὸ μῦρον αὐτοῦ κατὰ τᾶς πολλὰ παθοίσας κεφαλᾶς καὶ τῷ πολίῳ στήθεος.* Et eadem fere Athenaeus XV, 675. Videlicet veteres, si illis credimus, e collo praecipue serta quaedam suspendere solebant, quo melius ‚exhalantem inde fragrantiam' naribus surripere possent, quod quum ipsum per se suave esset, tum etiam salutare atque magnum adversus ebrietatem praesidium esse praedicabant. Id autem maxime floribus quibusdam efficere sibi videbantur, ut vacillanti cerebro succurrerent: unde hypothymides, quas vocabant, et flores de collo pendentes fere

ταὐτόν, etsi non semper illas meris floribus contextas fuisse vel ipsius Alcaei Fr. 29. et Anacreontis Fr. 37. satis probatur.[4])

Coronas περιδεραίας gestare Romanis antiquioribus quidem illis ac severioribus minus usitatum fuisse videtur, si quidem hoc Cicero non sine censoriae cuiusdam severitatis nota Verri pro opprobrio obiecit Acc. V, 11.: *Ipse autem coronam habebat unam in capite, alteram in collo.* Nec multum differt Horatii illud de mutato Polemone Sat. II, 3, 256:

*Dicitur ex collo furtim carpsisse coronas,*
*Postquam est impransi correptus voce magistri.*

Praeterea Tibullus I, 7, 52. et Ovidius Fast. II, 737. coronae istius mentionem faciunt; postea vero idem mos Romanis aeque ac Graecis familiaris fuit, ut ‚et capite et collo mollia serta gererent.'

Verum hic nihil attinet ulteriora e Romanorum vita hausta persequi: properemus ad eum Horatii locum unde omnis haec disputatio profecta est, Od. I, 38, 2:

*Displicent nexae philyra coronae.*

Eae quamquam interdum etiam collis circumplexae fuerint, non tamen cum ipso ὑποθυμίδων genere confundendae sunt. Quarum hae ab eius rei intellegentibus in coronis vel plectilibus vel pactilibus referuntur, illae in sutilibus.[5]) Et-

4) Böttiger Sab. I. pg. 240: „Der raffinirende Grieche nennt diese Art von Kränzen ὑποθυμιάδες oder ὑποθυμίδες, d. h. von unten herauf duftende. Auf alten Denkmälern bezeichnen solche Hals- und Busenkränze immer den höchsten Genuss." Becker Gall. III, 250: „Blumengewinde um Hals und Brust." Cfr. eiusd. Charicl. I, 189., tum Hemsterh. in Lucian. Nigr. c. 32. T. I, pag. 75. Schweighaeus. in Athen. XV, 674 c. et d. Bergk in Anacr. Rel. Fragm. XXXVII. p. 147.

5) Böttiger Sab. I, 241: „Man unterscheidet coronas plectiles [Plaut. Bacch I, 1, 37.], wo die Blumen und Zweige ganz eingeflochten waren, und sutiles, wo nur die Blätter von den Blumenkelchen aufgereihet wurden." Becker Gall. III, 249: „Im Allgemeinen kann man wohl drei Hauptverschiedenheiten annehmen, indem sie entweder aus längeren Reisern oder Ranken, wie z. B. von Epheu, geflochten, oder aus kleineren Zweigen, Blättern (z. B. Apium) und Blumen gewunden, oder endlich auf ein Band geheftet wurden."



enim Lesbii poetae ὑποθυμίδας suas ipsi vocant πλεκτάς, Plinius autem N. H. XXI, 3, 8. *pactili coronae* opponit *sutilem*, et ab Hesychio memorantur ῥαπτοὶ στεφανοί, ut eadem generum diversitas apud Graecos fuisse videatur, quae fuit apud Romanos. Sutilibus his lucem quandam accendit Plinius l. c.: *Transiere deinde ad rosaria eoque luxuria processit, ut non esset gratia nisi mero folio sutilibus, mox petitis ab India aut ultra Indos. Lautissimum quippe habetur e nardi folio eas dari aut veste serica versicolori unguentis madida; hunc habet novissime exitum luxuria feminarum.* Haec Plinius, cuius verba in eam sententiam accipio, ut eum dixisse putem coronam sutilem fuisse e mero folio rosae.[6]) Ac rosarum sutilium mentio fit a Martiale V, 64, 4: *Lassenturque rosis tempora sutilibus.* IX, 91, 6: *Frontem sutilibus ruber coronis.* IX, 94, 5: *Sutilis aptetur decies rosa crinibus.* Jam Ovidius easdem coronas sutiles coniunxit cum philyra Fast. V, 335:

*Tempora sutilibus cinguntur tota coronis,*
*Et latet iniecta splendida mensa rosa.*
*Ebrius incinctis philyra conviva capillis*
*Saltat, et imprudens vertitur arte meri.*

Athenaeus autem XV, 679. e. inter cetera coronarum genera commemorat etiam φιλύρινον στέφανον, cuius sic meminerit Xenarchus comicus in Milite (Fr. 13. Mein. ed. min. p. 815):

6) Sic pridem acceperat Böttiger, cui novissimus Plinii interpres accessit Sillig. Interpunxit enim hic item ut ille post v. *sutili* (sc. coronae), ut ipse scribere maluit pro eo quod in libris msc. habetur *sutilis* aut *sutilibus*. „Quae vox," ait, „quum vulgo ad sequentia referatur, Böttiger in Sabina 1, 242. eam recte ad priora retulit, frustra obloquente Beckero in Gallo 2, 215. ed. 1. [III, 248. ed. 2.], qui de coronis sutilibus accurate disputans ipse monet coronas Indicas a sutilibus longe diversas fuisse. Ad v. *petitis* ex superiore *coronis* est supplendum." Has Indicas e nardi folio et veste serica, naturales opinor flores imitante, factas tangunt Martialis XIII, 51:

*Texta rosis fortasse tibi vel divite nardo,*
*At mihi de turdis facta corona placet.*

et Lucanus Phars X, 163:

*Accipiunt sertas nardo florente coronas*
*Et nunquam fugiente rosa.*

*Φιλύρας εἶχε γάρ*
*ὁ παῖς ἄφυλλον στέφανον ἀμφικείμενον.*

In quibus *ἄφυλλον* illud declarat non solam philyram pro coronamento gestari solitam, sed quum rosae quae philyra nexae fuerant ex ista corona iam decidissent, pura philyra relinquebatur tanquam *ἄφυλλος κλάδος*, id est foliorum ornatu suo denudatus, ut interpretatur Pollux On. I, 236.

Quodsi *nexae philyra coronae* apud Horatium eaedem sunt quae alibi *sutiles* vocantur, primum hoc plane perspicimus e Plinii loco, cur Horatio *displicuerint*. Erant enim tunc quidem, quum nondum ab India coronas petere coepissent, istius luxuriae finis. Deinde collatis ceteris locis facile colligimus ipsas artificio quodam singulari e mero folio rosae ita fuisse confectas atque consutas, ut singula *rosarum folia*, e calycibus suis decerpta [7]), alia aliis superimposita substratae philyrae insererentur, itaque omnia inter se squamatim iuncta atque connexa altam et densam rosarum compagem roseumque tanquam stramen in tori modum efficerent [8]): id quod priscae ar-

7) *ῥόδα λελυμένα* Luciano; v. infra in nota 19. Ceterum folia rosae proprie vocantur ea, quae medium cingunt florem calycemque efficiunt; v. Voss. ad Virg. Ge. IV, 274. p. 823 sq. cl. Diosc. I, 130: *ξηραίνεται δὲ τὰ φύλλα —· τὸ δὲ ἐν μέσοις τοῖς ῥίδοις εὑρισκόμενον ἄνθος κτλ.*

8) Böttiger Sab. 1, 209 et 241 seq. *sutiles rosas* seu *nexas philyra coronas* Horatii sic interpretatur: „auf zarte Lindenbänder aufgereihete Rosenblätter, wo nun die schuppenförmig über einandergelegten Blätter einen dicken Wulst bildeten.“ Becker Gall. III, 248: „Wie sonderbar es auch scheinen mag, so lässt es sich doch nicht leugnen, dass aus den einzelnen Blättern der Rose Kränze gefertigt wurden, indem man sie auf ein Band oder Streifen Bast heftete... Allein was Apicius I, 4. sagt: *Folia rosarum albo sublato lino inseres et sutiles facies.* das scheint dem Ausdrucke nach doch mit jenen Blätterkränzen zusammenzuhängen, wenn auch hier die Blätter für ganz verschiedenen Zweck an den Faden gereihet werden.“ Praecipit enim Apicius, quo optimo et brevissimo modo vinum rosatum sit conficiendum jubetque sutiles rosas adhiberi, non tunsa sicca rosarum folia et inclusa linteolo in mustum conjici cum pondusculo, ut Diosc. V, 35. et Plin. XIV, §. 106. Ceterum illud *albo sublato* plenius sic apud ipsum habes: *albo imi folii prius forcipe sublato.*



tis operibus egregie confirmatur. [9]) Ita locum Horatianum, de quo agitur, optime accepisse mihi videtur Böttigerus; alii coronam ex integris rosis plectilem quam e mero folio sutilem intelligi malunt, philyrae vinculis tantum colligatam et ‚variis inde textis lemniscis sive taeniis‘ exornatam. Sic Orellius et plerique nunc Interpretes; quorum de sententia quid ipse sentiam alio aptiore loco explicabo.

Nunc ut redeam ad ordinem et tandem absolvam quae supra posui veterum Lyricorum exempla, cum Alcaei Fr. 29. conferri iubeo Horatii Od. II, 7, 21—26., qui totus locus Alcaicum quiddam sonet et mire conspiret etiam cum verbis quae eiusdem Alcaei Fr. 33, 3 sq.:

*Οἶνον γὰρ Σεμέλας καὶ Διὸς υἱὸς λαθικαδέα*
*ἀνθρώποισιν ἔδωκ'. ἔγχεε κίρνας κ. τ. λ.*

et Fr. 34. Schn. cum Plutarchi verbis supra laudatum exhibent. Ex Anacreontis autem Fr. 53. apii corollas cognoscimus easque festo die Dionysi fronti impositas, cuiusmodi Horatius in simili occasione memorat Od I, 36, 16. et Od. II, 7, 24. et Od. IV, 11, 3.

Addo hoc loco Sapphus Fr. 67. Schn.:

*Σὺ δὲ στεφάνοις, ὦ Δίκα, περθέσθ' ἐραταῖς φόβαισιν,*
*ὄρπακας ἀνήττω συνεέρρωισ' ἀπαλαῖσιν χερσίν·*
*εὐανθεία γὰρ πέλεται καὶ χάριτες μακαίρᾳ*
*μᾶλλον προτόρην· ἀστεφανώτοισιν δ' ἀπυστρέφοντται.*

Sacris Veneris faciundis *εὐανθείαν* seu florum ornatum vult adhiberi, cuius rei caussam hanc reddit ipsa, quod non coronatos dii aversentur [10]). Namque ratio huius rei

9) Böttig. Sab. I, 242: „Einen Genius des Lebens, der einen Kranz mit solchen schuppenweis aufgereiheten Rosenblättern um den Hals trägt, findet man auf dem sinnreichen Relief eines Sarkophags im Museo Capitolino T. IV. tab. 56 “ Becker Gall. III, 249: „An Denkmälern findet man häufig Kränze, wo Blatt über Blatt liegt oder Rose an Rose sitzt und es ist wohl möglich, dass an solchen die Blätter oder Rosen auf ein Band oder einen Streifen Bast, *philyra*, geheftet waren: sie würden dann mit Recht *sutiles* heissen.“

10) Ita Hermannus quidem, *εὐανθεῖα* et *μακαίρᾳ* loco *εὐάνθεα* et *μάκαιρα* eleganter rescriptis: Denn Blumenschmuck und liebliche Reize sind geeignet Aphrodites (fr. 1, 13) Gunst zu gewinnen,

una eademque in sacrificiis fuit quae in compotationibus, quod corona erat praecipuum laetitiae insigne et ornamentum. Scilicet coronati esse solebant sacrificantes, quoniam sacra omnibus festivae laetitiae indiciis peragi oportebat[11]): coronas sumebant in conviviis non solum propter utilitatem aut suavitatem odorum, qui afflarentur e floribus, sed etiam ut animi laetitiam prae se ferrent diis, ut putabant, gratissimam. Dabantur enim coronae extrema demum coena, quum mensa secunda apponebatur, ac sumebantur non fere prius quam libatio fieret et compotatio inciperet. Libabant autem quum aliis deorum numinibus benignis et salutaribus, tum primo vini inventori et ‚laetitiae datori Baccho', quem *ἀγαθοῦ δαίμονος* nomine invocabant[12]).

---

dass sie dich gnädiger anschaue; Unbekränzten aber kehren die Götter den Rücken. Bergkius Poet. Lyr. ed. 2. p. 685 tentabat: *Εὐάνθεα μὲν γὰρ τελέταν* (vel *εὐανθέα γὰρ παρ τελίτᾳ*) *καὶ Χάριτες μάκαιραι Μᾶλλον προσορεῦντ'*. De sensentia quidem haec habet Athenaeus XV, 674 e: *Σαπφὼ δ'ἁπλούστερον τὴν αἰτίαν ἀποδίδωσι τοῦ στεφανοῦσθαι ἡμᾶς, λέγουσα τάδε· Σὺ δὲ στεφάνοις κτλ. Ὡς εὐανθέστερον γὰρ καὶ κεχαρισμένον μᾶλλον τοῖς θεοῖς παραγγέλλει στεφανοῦσθαι τοὺς θύοντας.*

11) Sunt haec verba Perizonii ad Aelian. III, 3. p. 149.

12) Plut. Symp. III, 1: *Παντοδαπῶν γὰρ μετὰ τὸ δειπνῆσαι στεφάνων περιφερομένων.* Athen. XV, 685 c: *Ἡ δὲ τῶν στεφάνων καὶ μύρων πρότερον εἴσοδος εἰς τὰ συμπόσια ἠγεῖτο τῆς δευτέρας τραπέζης.* Xenoph. Conv. 2, 1: *Ὡς δὲ ἀφῃρέθησαν αἱ τράπεζαι καὶ ἔσπεισάν τε καὶ ἐπαιάνισαν.* Cfr. Xenoph. Anab. V, 9, 5., Plat. Symp. c. 4. init. p. 176., Plut. sept. sap. conv. 5. ibique Wyttenb. coll. Beckeri Charicl. I, 180., ejusd. Gall. III, 250. — Nicostratus comicus apud Athen. XV, 693 b. (Fr. 21. Mein. p. 637):

*Ἀλλ' ἐγχέασα θᾶττον ἀγαθοῦ δαίμονος,*
*ἀπένεγκάτω μοι τὴν τράπεζαν ἐκ ποδῶν·*
*ἱκανῶς κεχόρτασμαι γάρ. ἀγαθοῦ δαίμονος*
*δέχομαι. λαβοῦσ' ἀπένεγκε ταύτην ἐκ ποδοῖν.*

Philonides medicus de Coronis ap. eundem p. 675 b: *οἱ Ἕλληνες τῷ μὲν παρὰ δεῖπνον ἀκράτῳ προσδιδομένῳ τὸν Ἀγαθὸν ἐπιφωνοῦσι Δαίμονα, τιμῶντες τὸν εἱρόντα δαίμονα. ἦν δ'οὗτος ὁ Διόννυσος. τῷ δὲ μετὰ δεῖπνον κεκραμένῳ πρώτῳ προσδιδομένῳ ποτηρίῳ Δία Σωτῆρα ἐπιλέγουσι, τῆς ἐκ τοῦ μίγματος ἀλύπου κράσεως τὸν καὶ τῶν ὄμβρων ἀρχηγὸν αἴτιον ὑπολαβόντες.* Adde Athen. XV, c. 47. ibique p. 693 d. et e.; e quibus locis patet



Jam vero ut ex ceteris scriptoribus Graecis nonnulla proferam, quae ad Horatium ipsumque morem illustrandum pertineant, corollae epularis mentio vel antiquissima habetur apud Archilochum Fr. 82. Schn.:

*Ἔχουσα θαλλὸν μυρσίνης ἐτέρπετο*
*ῥοδέης τε καλὸν ἄνθος.*

Neobulen, ut opinor, ille perstringebat, quae cum viris perpotare solita ipsa quoque coronam myrteam ‚cum flore rosarum' inter pocula sumpsisset[13]). Sic Horatius Od. I, 36, 13. Damalin, Od. II, 11, 22. Lyden, Od. III, 14, 21. Neaeram, Od. IV, 11, 3. Phyllidem puellas virorum conviviis adhibet rosaceis aut aliis sertis tempora redimitas, et Od. III, 15, 15. vetulam Chlorin negat *decere florem purpureum rosae*[14]). Ac *flores amoenae rosae* habes Od. II, 3, 14.

Comissabundum Alcibiadem ad Agathonis fores accedere legimus in Platonis Symp. c. 30. p. 212. C.: *ἐπιστῆναι ἐπὶ τὰς θύρας ἐστεφανωμένον αὐτὸν κιττοῦ τέ τινι στεφάνῳ δασεῖ καὶ ἴῳν, καὶ ταινίας ἔχοντα ἐπὶ τῆς κεφαλῆς πάνυ πολλάς.* Itemque a compotatione ad amicam pergit Delphis iuvenis apud Theocritum Id. 2, 121:

*κρατὶ δ'ἔχων λεύκαν, Ἡρακλέος ἱερὸν ἔρνος,*
*πάντοσε πορφυρέῃσι περιζώστρῃσιν ἑλικτάν.*

Ceterum quae ibidem commemorantur *ταινίαι* et *πορφυραῖ πε-*

---

post distributam illam Boni Dei potionem meri removeri solitas esse mensas; deinde vero in ipsa compotatione temperatum vinum esse sumptum, cuius ad primum poculum plerumque Jovem Servatorem, saepe etiam Sanitatem vel Thaliam Gratiam salutabant. Cfr. Becker Char. I, 165 seqq. coll. Virg. Aen. I, 730—740., ubi non sine caussa hunc ordinem invertit Dido.

13) Liebel p. 77. et Gaisford p. 110. *θαλλὸν μυρσίνης* de ea fronde accipiunt, quae *αἴσακος* dicebatur. Ad hanc Hesychii glossa pertinet, qui moris fuisse refert, *Μυρρίνης κλάδον ἢ δάφνης παρὰ πότον διδόναι τοῖς κατακειμένοις ἐκ διαδοχῆς, ὑπὲρ τοῦ ᾄσαι ἀντὶ τοῦ βαρβίτου.* At vide quae infra dicta sunt in coronamentorum loco ibique not. 27.

14) Quomodo autem ‚religatis in nodum crinibus haerentes coronas' puellae gestaverint, vide apud Böttigerum in Sabina I, 156 sq. coll. Becker. Charicl. III, 244 sq. et Orell. ad Hor. Od. II, 11, 23. Graeci id vocabant *κόμην παραμπυκίζειν εἰς κόρυμβον*, qui proprius Lacaenarum erat mos.

ῥιζῶστραι faciunt, ut de taeniis lemniscisque coronarum dicendum esse videatur, quoniam sic vulgo *nexas philyra coronas* Horatii interpretari malunt. Videntur autem illorum vittae laneae esse ludicri victoris ornatum simulantes. Uterque enim, ut opinor, animi caussa inter pocula coronae suae taenias vel ipse addiderat vel a sodalibus addi sibi passus erat, quasi maiore aliquo certamine ludorum vicisset, cuius eo insignius erat praemium, si coronae additi lemnisci essent [15]). Atque

15) Pind. Ol. 9, 90: *ἦλθον τιμάορος Ἰσθμίαισι Λαμπρομάχου μίτραις.* ubi mitris, notante Boeckhio, significantur Isthmiae coronae, quae illis imponi solebant. Schol.: *μίτρας γὰρ ἔνδοθεν τῶν στεφάνων καὶ διαδήματα ποικίλα εἰώθασι συνδεῖν.* Hinc Isthm. 4 extr.: *λάμβανέ οἱ στέφανον, φέρε δ' εὔμαλλον μίτραν,* unde simul intelligitur mitram ex lana confectam esse. Adde ibi quoque Schol.: *εὔμαλλον δὲ μίτραν τὴν ταινίαν τὴν ἐξ ἐρίου ξανθοῦ τοῖς στεφάνοις προσπλεκομένην.* Plura Boeckh. ad l. ex Ol. c. p. 193. et Krause in libro suo Olympia p. 162. Noli tamen cum illis coronas ludicras his mitris sive taeniis, impositas' tibi fingere, sicut sacerdotali fasciae s. infulae frons oleae aut etiam lauri imponebatur: id quod aperte sane docet vetus quidam auctor ap. Athen. XV, 677 a: *διὸ καὶ τούτῳ (τῷ στέφει, στέμματι) πρώτῳ στεφανωσάμενοι, δεύτερον περιτιθέμεθα τὸν δάφνινον.* et Statius in Theb. II, 98: *sed falsa cucurrit Infula per crines glaucaeque innexus olivae Vittarum provenit honos,* i. e. utrimque ex infula coeperunt dependere vittae, quibus innexa et intorta erat olea; et alii apud Paschalium Coron. IV, 22. p 277. Nempe infulae isti, quae prior et potior erat pars in sacerdotali cultu, inter sacra frondes illae superimponebantur, quia sacerdotes tum non solum candidati et infulati, sed etiam ut omnes omnino sacrificantes sic ipsi quoque coronati esse debebant: quum coronis Olympicis aliisque quae erant praemia victorum taeniae atque lemnisci non semper quidem sed plerumque et maioris honoris caussa superadderentur, ut non minus aperte colligi potest ex hoc loco Philonis, quo praeter alios idem Paschalius utitur Cor. IV, 8. p. 229: *αὐτὸς παρελθὼν τὰ βραβεῖα καὶ τὸν φοίνικα ἀνάδος καὶ στεφάνωσον, εἰ θέλει, καὶ ταῖς ταινίαις ἀνάδησον.* Et sic Pollux III, 152. et ceteri omnes qui huius rei accuratius mentionem faciunt *τὸ ταινιῶσαι* post *τὸ στεφανῶσαι* memorant. Itaque coronae ludicrae ceteraeque victrices et ferales, ni fallor, suis taeniis velut limbis quibusdam (*πεζίτια* Suidas has ipsas taenias vocat) circumdabantur atque implicabantur, ut taeniae et caput praecingerent et coronam ipsam non solum colligarent, sed etiam distinguerent atque inornarent, id quod maxime earum torulis et lemniscis



alter opinor gymnico, alter musico certamine sese vicisse simulabat. Nam Delphis juvenis praeterea Herculea fronde, utpote palaestrae studiosus, Alcibiades autem hedera Bacchica seu poetica cinctus est, et hic ipse paulo post dicit se cum taeniis venisse, ut Agathonem de capite suo ob victoriam eius tragicam revinciret. Hinc Timaeus in Gloss.: *Ταινίαις ἀναδούμενοι. ἔθος τοῖς νικήσασιν ἀναδοῦναι ταινίας* [16]). Quare

fiebat. Hinc *ἑλικτὰν* illud apud Theocritum sic ut ib. 1, 81. ducta ab hedera eiusque corymbis imagine, et Alcibiades Platonicus *τὰς ταινίας ἔχει ἐπὶ τῇ κεφαλῇ,* et ap. Plut. Tim. 8. habemus victricem *ταινίαν στεφάνους ἔχουσαν καὶ νίκας ἐμπεποικιλμένας,* et ap. Athen. V, 197 f., ubi pompa Bacchica describitur, consimili ornatu habemus *ἀμπέλινον χρυσοῦν στέφανον μεσολεύκοις μίτραις κατειλημμένον,* et Pindari Scholiastes *μίτρας καὶ διαδήματα ποικίλα* quae memorabat *τοῖς στεφάνοις προσπλεκόμενα* dicebat, et alibi in una corona victrice vel decem *λημνίσκοι* commemorantur. Quae enim solita in hac re consuetudine loquendi vocantur taeniae, alibi et a Romanis maxime (velut a Suet. Ner. c. 25.) in eadem re saepe lemnisci appellantur, quamquam, si proprie loquimur, id discriminis interesse dicendum est quod inter totum et partem, et quod in persimili sane sacerdotali cultu inter infulam et eius vittas interdecebat; de qua vera ratione utriusque vocis saepe promiscue usurpatae mox videro.

16) Vide de more hoc clarissimam Ruhnkenii in Timaei l. c. disputationem p. 246 sq. coll. Thuc. IV, 121., Xenoph. Hell. V, 1, 3. Conv. 5, 9., Plut. Pericl. 28., Tim. 8., Nep. Alc. 6, Diod. Sic. XVII, 101., quibus locis imperatorum victorum et aliorum bene meritorum, quasi „*ἀθλητῶν νικηφόρων*“ capita taeniis coronisque redimiuntur et ornantur. Adde ex Anth. Gr. T. I. p. 235 Ep. 9, 4:

*Ἄγιν καὶ μίτραις βάλλετε καὶ στεφάνοις,*

ibique laudata Jacobsio T. VII. p. 339. coll. Arrian. Exp. Alex. VI 13. Ind. XXXVI, 3., Pausan. IV, 16, 4. Ob victoriam curulem illam suam Pelops iam heros in priscae artis opere ab ipsa Hippodamia taenia ornatur ap. Pausan. VI, 20, 10. et ob musicam Corinna poetria ib. X, 22, 3. Et Polycles Lacedaemonius, quum de quadrigis coronam Olympicam accepisset, taeniam dextera tenens postea de lapide ibi positus est; ib. VI, 1. extr. Ac saepissime in vasculis antiquis athletae conspiciuntur ab Hellanodicis taeniis redimiti aut quibus taeniae (Siegsbinden-Kränze) a mulieribus (Victoria, Olympia cet.) offeruntur; v. Hamilton et Tischbein Collect. of engrav. from anc. vas. Vol. I. p. 147. pl. 57. et O. Müller Hdb. der Archäologie der Kunst §. 423, 4. Divino

quum hic proprius publicarum coronarum ornatus atque honos fuisse videatur, ut iis taeniae atque lemnisci adderentur, recte Beckerus utroque loco taenias intellexit ex corona aptatas; minus bene easdem indidem taenias mihi quidem videtur ad corollas convivales traduxisse[17]). Atque ita Horatii etiam, uti dictum est, et Ovidii ceterosque locos quos supra posui, ubi philyra in coronis commemoratur, accipiunt, secuti Paschalium Coron. II, c. 12. p. 110. Volunt autem hi omnes coronas convivales non simpliciter e floribus aut frondibus colligatas, sed stroppis quibusdam ita vel intertextas vel involutas atque religatas fuisse, ut et in ambitu coronae eorum toruli, id est nodi eleganter nexi, passim exsurgerent et ubi coibat corona extremae fasciae in laxiores nodos collectae, quos proprie lemniscos dicebant veteres, utrimque in humeros defluerent, totumque coronamentum illud in modum diadematis caput praecingeret. Nam sic certe Böttigerus e papyro coronaria (*βύβλῳ στεφανωτρίδι*) coronam eam descripsit, qua Sabinam

se dignans honore Empedocles per Siculorum urbes incedit (ut ait ipse ap. Diog. Laert. VIII, 62.):

*Ταινίαις τε περίστεπτος στέφεσίν τε θαλείοις.*

De usu lemniscorum, quos una prope omnes voce maioris honoris caussa coronis addi solitos asseverant, inprimis vid. Casaubon. ad Sueton. Ner. c. 25. et Wesseling. de Archont. Iudaeor. p. 18. Subiicio Virg. Aen. V, 269:

*Puniceis ibant evincti tempora taeniis.*

ubi Servius: „Vittis roseis; et significat lemniscatas coronas, quae sunt de frondibus et discoloribus fasciis et sicut Varro dicit magni honoris sunt.“ Anal. Br. III, 156. Ep. 26:

*Πυγμῇ νικήσαντα τὸν Ἀντικλέους Μενέχαρμον*
*λημνίσκοις μαλακοῖς ἐστεφάνωσα δέκα.*

Auson. Epist. 20, 5:

*Et quae iamdudum tibi palma poetica pollet,*
*Lemnisco ornata est, quo mea palma caret.*

Cic. p. Rosc. Am. 35, 100: *palmam lemniscatam.* Liv. XXXIII. 33: *coronas lemniscosque iacientium.* In decreto Berenices urbis Africae est *στέφανος ἐλαΐνὸς καὶ λημνίσκος*, maioris honoris caussa additus, ap. Maffeum Antiq. Gallic. p. 7. Tertull. de cor. mil. c. 12: *Triumphi laurea foliis struitur, hinc aureis lemniscis inornatur.*

17) Charicl. I, 165. 182. ed. 2: „buntfarbige Bänder, Tänien, welche am Kranze befestigt waren.“



in Isidis deae sacris ornavit, collato illo loco Theocriteo[18]). E philyra quoque confectos esse lemniscos priusquam ex auro

18) Sab. I, 204: „Zarte Schnuren, aus dem feinsten Bast der Papyrusstaude gedreht und in zierliche Bandschleifen [toruli] verschlungen, bildeten den Körper des Kranzes... Hinten, wo der Kranz sich zusammenfügte, flatterten ein Paar Bänder [lemnisci], die man beim Aufsetzen des Kranzes zierlich los auf die Schultern herabfallen liess.“ Adde ex eiusdem adnot. p. 229: „Die Schnüre, die wie ein Diadem sich um den Kopf herumlegen, heissen ursprünglich beim Plinius stroppi, die zur Zierlichkeit darein geknüpften Knoten sind die *toruli* oder *tori coronarum*, die Cicero im Orat. c. 6. erwähnt, und Visconti an einer Büste des Herkules im Pio-Clement. T. VI. tav. 13. p. 22. so schön erläutert. Später färbte man diese Schnuren und Flechten auch in Purpur. S. die merkwürdige Stelle beim Theokrit II, 121.“ De toris coronarum cfr. Goeller ad Cic. l. c.; ceterum vide, quem Böttigerus quoque secutus est, Salmasium de struppis antiquorum Romanorum apud Plinium XXI, c. 2. ceterisque fasciis similibus accuratissime disputantem in Plinianis exercit. in Solin. p. 262 extr. sq., qui docet huiusmodi fuisse et infulas sacerdotum et taenias quibus coronarentur *ἱερονῖκαι*. Nam infulam quidem Grammatici interpretantur „fasciam in modum diadematis, ex qua vittae utrimque dependent, quae plerumque lata est, plerumque tortilis ex albo et cocco.“ Easdem autem sacerdotales fascias Graeci et *στρόφια* vocabant, a quibus struppi illi dicti (v. Hesych. s. v. *στρόφιον* coll. Festo s. v. stroppus p. 318. ed. Müller.), et *ταινίας* quae alioquin cum hieronicarum ceterorumque victorum ludicrorum coronis solebant coniungi. Vide Hesychium, Suidam, Festum s. v., Paschalium Cor. IV, c. 18. [cl. nota 15. Proprie *ταινία* est *ῥάμμα τοῦ στεφάνου*, ut Scholiastes Aristoph. Ran. 393. Quum enim *ταινία* (a v. *τείνειν*) omnino sit *στενόν τι καὶ ἐπίμηκες ὕφασμα*, tum eo qui denique percrebuit et invaluit significatu est ipsa convolutio et amplexus eius rei quam circumdat, et hic quidem vinculum vel cingulum coronae: unde saepe pro toto anademate victricium aut aliarum honoratarum frontium, saepe pro praestantissima eius parte, pro lemniscis ponitur. De eo nomine Hesychius: *Λημνίσκους τὰς στενὰς Συρακούσιοι ταινίας.* Quid fuerint, docet Paulus Festi p. 115: „Lemnisci, id est fasciolae coloriae, dependentes ex coronis, propterea dicuntur, quod antiquissimum fuit genus coronarum lanearum.“ Adde et tortiles. Nam ad eorum similitudinem mathematici veteres lineam longam retortam vocabant lemniscatam, quae quidem per duos orbes iuxta positos et uno puncto coniunctos in se recurreret hoc modo ∞. Cfr. Virg. Aen. VII, 351 seq. Sunt igitur hi quidem lemnisci nobis in Schleifenform

argentove fierent, Plinius auctor est XVI, 14, 25. de tilia arbore disserens: *Inter corticem ac lignum tenues tunicae multiplici membrana, e quibus vincula tiliae vocantur; tenuissimae earum philyrae, coronarum lemniscis celebres antiquorum honore.* Idemque XXI, 3, 4: *Crassus Dives primus argento auroque folia imitatus ludis suis coronas dedit, accesserunt que et lemnisci, quos adici ipsarum coronarum honos erat, propter Etruscas quibus iungi nisi aurei non debebant. Puri diu fuere ii; caelare eos primus instituit P. Claudius Pulcher bratteasque etiam philyrae dedit.* At dicit ipse quoque Plinius utroque loco coronam lemniscatam, insignius illud victorum ludicrorum et histrionum praemium, unde non immerito quaeri potest num lemnisci etiam ad corollas convivales traducti sint. Nam quum scriptores veteres, ut paulo ante vidimus, taenias lemniscosque coronarum inter sacra et publicos honores frequentissime commemorent atque adeo ipsas coronas ludicras saepe taenias appellent, nusquam, quod sciam, eius rei fit mentio in conviviorum consuetudine, nisi in Veri imperatoris convivio, cuius insolitam luxuriam sic adeo notat Capitolinus in Vero c. 5: *coronas quin etiam datas lemniscis aureis interpositis et alieni temporis floribus.* Itaque ingenue ut fatear, profecto nescio, dubito certe, quo iure viri docti *nexas philyra coronas* Horatii sic interpretari potuerint, quasi lemniscis ornatae fuissent. Nam illud minime dubito, quin veteres in texendis sertis quum multis aliis ligamentis tum maxime philyrae vinculis, quibus flores innecterent, uti consueverint. Prudent. cath. 3, 28: *Texere docta liga strophio.* Cf. Ov. F. IV, 870. Phurnutus c. 25: *πρὸς τὰς στεφάνων πλοκὰς εἴωθασι τῇ φιλύρᾳ κεχρῆσθαι μᾶλλον.* Verumtamen lemniscorum ornamentum, de quo agitur, nisi fallor, a corollis convivalibus omnino aberat, aut si quid simile ornatus gratia etiam postea addebant „quum strupporum loco e floribus serta fierent", non illo tamen nomine dignabantur. Athenaeus IV, 128 e: *καὶ στέφανοι εἰσηνέχθησαν πολλοὶ παντοδαπῶν ἀνθέων, ἐπὶ πᾶσί τε χρυσαῖ στλεγγίδες.*

Revertor ad Theocritum, apud quem personatus quidam pastor se diem laetum acturum promittit recepto amico puero suo Id. 7, 63:

*Κἠγὼ τῆνο κατ' ἦμαρ ἀνήθινον ἢ ῥοδόεντα*
*ἢ καὶ λευκοΐων στέφανον περὶ κρατὶ φυλάσσων*
*τὸν Πτελεατικὸν οἶνον ἀπὸ κρηῆρος ἀφυξῶ.*

et quo mollius accumbens potare possit, lectulum quum aliis herbis tum apio vult sterni vs. 68: *πολυγνάμπτῳ τε σελίνῳ*, plane ut Horatius Od. I, 36, 15 sq. II, 7 extr. sospitum amicorum reditus celebrat apio rosisque et liliis aut apio myrtove coronatus et rosis circumfusus [19]).

Denique ex Anacreontis carminibus, quae vini rosaeque abundant laudibus, praeter cetera haec tamen proferenda mihi puto:

4, 13: *Ἐμὲ μᾶλλον, ὡς ἔτι ζῶ,*
*μύρισον, ῥόδοις δὲ κρᾶτα*
*πύκασον, κάλει δ' ἑταίρην.*

---

von den Kränzen herabhängende Wollstreifen, Bandschleifen von Wolle. Ceterum de lemniscis post Paschalium Coron. II, 12. p. 111 sq. et Interpretes ad Hesychii l. c. T. II. p. 465. n. 11. et 12. inprimis vid. idem Böttiger Sab. I. 229 sq.

19) Hoc est potare in rosa, ut recte, quamvis dubitanter, Madvig ad Cic. de Fin. II, 20. Cfr. ad C. I, 5, 1. Plura Paschalius Coron. III, 5. p. 154., Gronov. ad Senec. de vit. beat. 11., Fr. Jacobs in Verm. Schriften T. V. p. 376., Wüstemann in Unterhaltungen aus der alten Welt (Goth. 1854) p. 54. not. 71. Lucianus in Lucio s. asin. c. 7: *τῶν δὲ στρωμάτων ῥόδα πολλὰ κατεπέπαστο, τὰ μὲν οὕτω γυμνὰ καθ' αὑτά, τὰ δὲ λελυμένα, τὰ δὲ στεφάνοις συμπεπλεγμένα.* Adde Pseudanacr. 4: *Ἐπὶ μυρσίναις τερείναις, Ἐπὶ λωτίναις δὲ ποίαις Στορέσας θέλω προπίνειν.* Spargebant etiam rosas in epulis, quod tangit Hor. Od. III, 19, 22. Epist. I, 5, 14. et fortasse simul intellegit Od. I, 36, 15. II, 3, 13. alibi. Wüstem. l. c. p. 53: „Um den Duft der Rosen bei Tische recht zu geniessen, schüttete man eine Fülle von Rosenblättern über den Tisch aus, so dass die Schüsseln von ihnen umgeben waren. Durch eine künstliche Vorrichtung liess man während der Mahlzeit Rosenblätter von oben herab auf die Gäste herabfallen. Auch den Fussboden bestreute man mit Rosen und gab sich dabei einem grossen Luxus hin." Vid. Ovid. Fast. V, 336., Wernsdorf ad Poet. Lat. min. T. VI, P. 1. p. 182., Ovid. Fast. V, 359 sq., Sueton. Ner. c. 31., Lamprid. Heliog. c. 19. Athenaeus IV, 148 b: *Κλεοπάτρα ταλαντιαίους εἰς ῥόδα μισθοὺς δέδωκε· καὶ κατεστρώθη ἐπὶ πηχυαῖα βάθη τὰ ἐδάφη τῶν ἀνδρώνων, ἐμπεπετασμένων δικτύων τοῖς κάλυξιν.*

5, 3: *Τὸ ῥόδον τὸ καλλίφυλλον*
*χροτόφοισιν ἁρμόσαντες*
*πίνωμεν, ἁβρὰ γελῶντες.*
36, 9: *Πολιαὶ στέφουσι κάρα·*
*δὸς ὕδωρ, βάλ' οἶνον, ὦ παῖ.*

quae quidem comparaverim cum Horatianis hisce:
Od. I, 4, 9; *Nunc decet aut viridi nitidum caput impedire myrto*
*Aut flore, terrae quem ferunt solutae.*
Od. II, 11, 14: *Cur non ..... rosa*
*Canos odorati capillos,*
*Dum licet, Assyriaque nardo*
*Potamus uncti? Dissipat Evius*
*Curas edaces. Quis puer ocius*
*Restinguet ardentis Falerni*
*Pocula praetereunte lympha?*
*Quis devium scortum eliciet domo?*

Quae colorem vere Anacreonticum referre vel omissa Pseudanacreontis auctoritate facile concedes.

Atque haec consuetudo Graecorum a maioribus tradita, ut in potu atque hilaritate sertis floreis vel frondeis, maximeque rosaceis, quibus caput cingerent, uterentur, non florentissimis tantum temporibus Graeciae obtinuit, nec in paucorum eruditiorum lautiorumve hominum victu permansit, sed in universi populi mores semel inducta et vere popularis facta eorum conviviis semper ita propria fuit, ut accubitionis epularis laetitiam sine corollis omnino aut ignorarent aut nullam esse putarent. Scribit Justinus IX, 4. Philippum regem devictae Graeciae laetitiam suam hac re dissimulasse, quod *illa die non coronas aut unguenta sumpserit.* Xenophontis autem milites quum inter gravissimos labores aliquando quietem in Armeniorum vicis nacti epularentur et hiberno tempore carerent floribus, deprehendimus tamen ἐστεφανωμένους τοῦ ξηροῦ χιλοῦ στεφάνοις[20]). Denique ex his omnibus quae adhuc disputata

20) Anab. IV, 5, 33. Cfr. eiusd. Cyr. III, 3, 40., Nep. Ages. 8, 4., Didymus ap. Athen. IV. p. 139 d., Plut. Pyrrh. c. 13., Aristoph. Eccl. 131. et Aves 463. ibique Schol. et quae congessit Paschalius Coron. II, 10. p. 100 sqq.



sunt satis liquet corollas convivales apud Graecos vitae communis ac prope cotidianae fuisse et cum potu ac libationibus ita coniunctas atque connexas, ut ne in castris quidem aut contionibus offenderent, nec contra morem civilem facere viderentur si qui comissabundi cum coronis per vias publicas incedere vellent: certe id facere non publice vetabantur, nisi quod et Lacedaemone, dum ibi prisca disciplina vigebat, nulla comissandi licentia concedebatur (teste Platone apud Athen. IV, c. 43.) et ludicrae alicuius victoriae insigne ipsis praesertim ludis sibi arrogare in ceteris civitatibus Graeciae impune licebat nemini, ceteroquin haud severissimo fine publicum et privatum coronarum usum discernentibus Graecis, aliter sane atque Romae fiebat, si Plinium audimus XXI, c. 2: *Tenuioribus utebantur antiqui struppos appellantes, unde nata strophiola. Quin et vocabulum ipsum tarde communicatum est, inter sacra tantum et bellicos honores coronis suum nomen vindicantibus; quum vero e floribus fierent, serta a serendo serieve appellabantur.* c. 3, 5 seq.: *Semper tamen auctoritas vel ludicro quaesitarum fuit —; ingensque et hinc severitas. L. Fulvius argentarius bello Punico secundo cum corona rosacea interdiu e pergula sua in forum prospexisse dictus ex auctoritate senatus in carcerem abductus non ante finem belli emissus est.* Cuius severitatis deinde et aliud insigne exemplum narrat et Caesaris Augusti in filiam. Non est igitur cur miremur, quod Horatius ut pro sua consuetudine carminibus suis Graecos colores inducendi in hoc quoque genere externa mutuatus est, ita eam libertatem Romanorum morum ratione temperavit, ut neque comissantes usquam induxerit coronatos, neque περιδεραίους στεφάνους ullis laudibus celebraverit, omnemque licentiam atque luxuriam eius rei prudenter a se reiecisse et aspernatus esse videatur.

Quoniam de usu coronarum dixi, nunc de praecipuis coronamentis pauca dicam. Nam in his quoque celebrandis Horatius se ad Graecorum imitationem composuisse cognoscetur. Coronamentum autem scriptores veteres appellabant quidquid plantarum texendis coronis adhibebatur, sive id flore seu potius folio constabat, si modo ‚coronas faceret' (Plin. XXI, 8, 23.), ut eo nomine non solum flores qui in serta concinnarentur, sed omnes omnino plantas coronarias complecterentur.

Myrtus enim hedera apium et similia *in coronamenta folio venerant* vel *tantum folio coronabant*, ut dicere amat Plinius (XXI, 9, 29. 10, 33.), quum cetera coronamenta e floribus et propter ipsum florem peterentur. Haec Graeci στεφανωματικὰ vel στεφανωτικὰ ἄνθη, illa φυλλώδη στεφανώματα vocabant[21]). In his posterioribus Plinius (l. c. 10, 33.) etiam flores nonnullos refert, qui folio verius quam flore coronabant. Si usum spectamus, facile frequentissima serta florea vel ex utrisque mixtae coronae erant, quae ipsa varietate placebant maxime. Ac summa varietate gaudebant Graeci, qui et plurima coronamentorum genera noverant et multis item ac variis rationibus ducti singula quaeque probabant eligebantque. Nam primum quidem, quod supra commemorare coeperam, antiquiores Graeci valetudinis rationem habuisse et medicorum praecepta secuti traduntur. Plutarchus enim Symp. III, 646: Hedera, ait, ipse Bacchus optimus medicus bacchantes coronari edocuit: ὡς ἧττον ὑπὸ τοῦ οἴνου ἀνιῷντο, τοῦ κιττοῦ κατασβεννύντος τὴν μέθην τῇ ψυχρότητι, et in iisdem refrigerantibus illis paulo post e floribus violaceam maxime et rosaceam coronam refert, p. 647: στύφει γὰρ ἀμφότερα καὶ στέλλει τῇ ὀσμῇ τὰς καρηβαρίας. Ac Dioscorides I, 130: Ῥόδα ψύχει καὶ στύφει. Idem Diosc. IV, 120: Ἴον πορφυροῦν δύναμιν ἔχει ψυκτικήν. Et Plinius XXI, 18, 73: *Rosa adstringit, refrigerat;* ib. 19, 76: *Violae purpureae refrigerant — ; crapulam et gravedines capitis inpositis coronis olfactuque discutiunt.* Virg. Cop. 32: *Et gravidum roseo necte caput strophio.* „Inde vero", inquit Philonides medicus apud Athenaeum XV, 675 d., „ad voluptatem conversi, utilitatem et incommodorum ex ebrietate remedium minoris facientes, ipsam speciem et odoris suavitatem magis curarunt." Itaque de usitatissimis coronamentis idem haec tradit l. c. p. 675 e: μυρσίνης μὲν στέφανον, στύφοντα καὶ τὴν οἴνων ἀναθυμίασιν ἀποκρουόμενον, ἔτι δὲ ῥόδινον, ἔχοντά τι καὶ κεφαλαλγίας παρηγορικὸν σὺν τῷ κατὰ ποσὸν ψύχειν, πρὸς δὲ τούτοις δάφνινον οὐκ ἀλλότριον τοῖς

21) Athenaeus XV, 680 c. 683 a. 677 f. Hesychius in voce Στεφανωμάτων addit καὶ ποιώδη. Cfr. Cato de R. R. c. 8, 2., Plinius XXI, 1, 1. ib. c. 4, 10. c. 7, 19. c. 9, 27 sq. XXII, 21, 26., Voss ad Virg. Ge. IV, 118. p. 768., Böttiger Sab. I, 226. 245.



πότοις ἡγητέον· λευκόϊον δὲ, κινητικὸν ὄντα κεφαλῆς, καὶ ἀμαράκινον καὶ ἅπαντας τοὺς καροῦν δυναμένους ἢ βαρύνειν ἄλλως κεφαλὴν περιστατέον. Quanta autem arte ac prope dicam quanta ratione pingendi florum omnium varietatem miscuerint Graeci, testis est Plinius XXI, 2, 3: *Variari coeptum mixtura versicolori florum, quae invicem odores coloresque accenderet.* Quo in genere celeberrimum fuisse refert *Sicyone Pausiae pictoris atque Glycerae coronariae dilectae admodum illi certamen artis ac naturae.* At de Romanis idem Plinius XXI, 4, 10: *Paucissima nostri genera coronamentorum inter hortensia novere ac paene violas rosasque tantum.* Nempe multo fastidiosiores Romani ex utroque genere coronamentorum non alia fere nisi exquisitissima admittebant, rosas lilia violas, myrtum hederam apium[22]), quae quidem sola Horatius cecinit, in apii corollis celebrandis, ut videtur, tantummodo Graecos poetas secutus. Praeterea sertorum adversus ebrietatem remedium nullum admodum esse putantes solam vel hilaritatem vel voluptatem eius rei secuti videntur[23]). Luxuria autem, ut demonstratum est, mox eo processit, ut ne rosis quidem ulla gratia esset nisi ‚sutilibus', ac deinde ut ‚lautissimum haberetur e nardi folio coronas dari aut veste Serica versicolori unguentis madida'.

Jam vero si de singulorum virtutibus quaerimus, eligebantur omnino coronamenta ea, in quibus aut amabile frigus aut suavis odor aut color iucundus delectaret. Ac quum bene multa essent, quae his omnibus rationibus satisfacere viderentur, in iis ipsis tamen quae maxime placebant ‚quorundam flos tantum iucundus, reliquae partes ignavae erant, ut violae ac rosae' (Plin. c. 7, 18.), quum myrtus laurus casia apium

22) Becker Gall. III, 247: „Bei den Griechen wurden mannigfaltige Blumen zu Kränzen gewunden, die zum Theile von Theophrast und Athenaeus genannt werden. Anders war es bei den Römern, welche ausser dem Grün der Blätter namentlich von Epheu, der Myrte, dem Apium nur wenige Gartenblumen und hauptsächlich Veilchen und Rosen zu Kränzen gebrauchten."

23) Becker Gall. III, 251: „Uebrigens scheint man in Rom von jeder diätetischen Bedeutung der Kränze abgesehen und sie bloss als heiteren Schmuck, als Symbol der Festlichkeit, der Freude und des Genusses betrachtet zu haben."

folii potissimum specie atque odore commendarentur; alia vero colore tantum et specie placebant, odor aberat, velut amaranto omnino et Jovis flori ipsi quidem et illi qui Graece phlox vocatur etc. (Plin. c. 8, 23. 10, 33.); alia odore magis aut frigore, ut herbae pleraeque; quaedam interdum etiam ea gratia quaerebantur, quod certis deorum numinibus sacra erant, sicut hedera Baccho, myrtus Veneri, rosa Cupidini, laurus atque hyacinthus Apollini Musisque, alba populus Herculi consecrata erat. Denique quoniam alia aliorum temporum munera erant, non repudiabant Graeci quidquid benigna natura parens suo tempore largiebatur, sed, ut ipsi loquebantur, *ὡραῖα πάντα τῶν στεφανωμάτων* grata sumebant manu, quum Romae mox ‚aestivae nives et hibernae rosae' omniaque alieni temporis et longe quaesita magis delectarent[24]).

In omnibus igitur coronamentis multis ac variis de caussis principatum semper obtinebant myrtus atque rosa. Ac myrti quidem folio Athenienses in hac re tam frequenter utebantur, ut inde Athenis ea pars fori ubi corollae texebantur et venibant simpliciter *αἱ μυῤῥίναι* vocarentur aut peculiaris ibi locus myrtis vendendis esset[25]), sicuti Romae mercatus rosarum erat. Et saepe sola myrto contenti erant. Sic enim Eubulus comicus apud Athenaeum XV, 679 d., Fr. 100. Mein. p. 619:

24) Macrob. Saturn. VII, 5: „Nec sic admitto varietatem, ut luxum probem, ubi quaeruntur aestivae nives et hibernae rosae." Mamertinus Paneg. Julian. 11: „quum quaesitissimae dapes non gustu, sed difficultatibus aestimarentur, miracula avium, longinqui maris pisces, alieni temporis poma, aestivae nives, hibernae rosae." Latinus Pacatus Paneg. Theod. 14: „Parum se lautos putabant, nisi luxuria vertisset annum, nisi hibernae poculis rosae innatassent, nisi aestiva in gemmis capacibus glacie Falerna fregissent." Confr. Mitscherlich ad Hor. C. I, 38, 3.

25) Aristoph. Thesm. 447:

*παιδάρια πέντε καταλιπὼν, ἀγὼ μόλις*
*στεφανηπλοκοῦσ' ἔβοσκον ἐν ταῖς μυῤῥίναις.*

Plurimae enim in Graecia mulieres coronis plectendis vendendisque paupertatem sustentabant, *στεφανηπλόκοι* et *στεφανοπώλιδες* dictae; inter quas celebratur Glycera illa Plinio XXI, 2, 3. et XXXV, 11, 40. §. 125. Plura Paschalius Cor. II, 12. p. 108.; de solita autem earum Athenis in foro sede cfr. infra not. 37.



*Στεφάνους ἴσως βούλεσθε· πότερ' ἐρπυλλίνους*
*ἢ μυρτίνους ἢ τῶν διεξηνθισμένων;*
*B. τῶν μυρτίνων βουλόμεθα τουτωνί· σὺ δέ*
*τἆλλ' ἄλλα πώλει πάντα πλὴν τῶν μυρτίνων.*

Sic Horatius quoque Od. I, 38, 5:

*Simplici myrto nihil allabores*
*Sedulus curo: neque te ministrum*
*Dedecet myrtus neque me sub arta*
*Vite bibentem.*

et Od. II, 7, 23: — — — *Quis udo*
*Deproperare apio coronas*
*Curatve myrto?*

Commendabatur enim id coronamentum praeter ceteras frondes et suavi ac iucundo odore et viridissima ac pulcherrima specie. Odore nobilissimae Aegyptiae, de quibus disserens Theophrastus de caus. plant. VI, 27: *αἱ δὲ μυῤῥίναι θαυμασταὶ τῇ εὐοσμίᾳ.* Plinius XV, 29, 37: *Myrtus odoratissima in Aegypto.* At ubique opinor, unde ipsum nomen traxerant, gratissimus earum odor erat, Horatio quidem iudice Od. II, 15, 5 seq.: *violaria et Myrtus et omnis copia narium*, et Ovidio A. A. III, 690: *Ros maris et lauri nigraque myrtus olent*[26]). Eximiam autem pulcritudinem myrti quum multi saepe scriptores veteres laudant tum insigniter Catullus, *teneram virginem* cum ea comparans 61, 21: *Floridis velut enitens Myrtus Asia ramulis.* Horatius Od. I, 4, 9. *viridem*, I, 25, 18. *pullam*, III, 23, 16. *fragilem* (hoc est, ut saepe Graeci, *τέρειναν* vel *λεπτήν*) appellat et *pulla myrto* perinde atque ille virentem puellam significat: unde patet viridem myrtum pro symbolo ipsius viriditatis ac venustatis iam inde antiquitus poni esse solitam[27]). Tum myrtus sacra erat Veneri, ad quem

26) Wittstein in Lexico etymologico-botanico: „Myrtus L. (Myrtaceae), *μυρσινη*, *μυρρινη*, *μυρτις* abgeleitet von *μυρον* (Balsam) oder Myrrhe, welches zus. ist aus *μυρον* (Balsam) und *ρεειν* (fliessen, also: ausfliessender Balsam), zunächst aber wohl vom hebr. מיר (mor) מרר (morar: fliessen, auch bitter sein), arab. murr herkommt; Blätter und Frucht riechen angenehm myrrhenartig."

27) Est enim myrtus poetarum, de qua agimus, viridis ac subnigra illa latioribus foliis et tenerior ceteris albis humiliorque, quales

sacrum eius in coronamentis usum haud scio an Horatius respexerit Od. 1, 4, 9:

*Nunc decet aut viridi nitidum caput impedire myrto*
*Aut flore, terrae quem ferunt solutae,*

ubi dies festos significare videtur ineunte mense Aprili Veneri marinae instaurandos; respexit certe Od. III, 4, 18 seq., ubi ipse *sacram* illam vocat (ut Euripides Jon. 120: *μυρσίνας ἱερὰν φόβαν*) eaque sibi iam puero amatorium suum carminum genus quodammodo praesagitum esse dicit [28]). Saepius tamen

---

sunt in Italia et per oras omnes maris mediterranei hodieque frequentissimae. Haec eadem est et coniugula Catonis de r. r. 8, 2. 133, 2. et latifolia Plinii XV, 29, 37. et quae in hortis maxime serebatur a topiariis, ut saepes et myrteta faceret odoremque spargeret (v. Interpp. ad Horat. Od. II, 15, 6 seq. et Voss ad Virg. Ge. IV, 124. p. 772). Nunc et nigrum et candidum earum genus, quae veteres discernebant (Diosc. I, 155., Plin. l. c.), quum varietates verius quam diversa sint genera, uno eodemque Myrti communis (Italicae vel Baeticae) nomine continentur. Sprengel ad Diosc. l. c. T. II. p. 413: „Myrtus nigra Dioscoridis est Latifolia italica vel baetica". Dierbach Flora mythologica p. 62: „Bei den Hochzeiten trugen Braut und Bräutigam Myrtenkränze, und zwar aus Zweigen jener seltneren und zärtlicheren Varietät, die sich durch breitere Blätter auszeichnet, Myrtus coniugula, wie sie Cato nennt, oder die latifolia des Plinius und der neueren Botaniker." Goethe in Itin. Ital. T. XXIII. Opp. pag. 10: „niedrige graulichgrüne Myrten".

28) Myrtum esse frondem Veneris ex omni prope antiquitate discimus, ideoque peculiari epitheto dicta est Paphia et censetur inter laetas frondes; quumque symbolum virentis aetatis ac laetitiae sit, corona myrtea si quae alia conviviis adhibetur, et praeter ipsam Venerem Gratiasque, eius comites, et Lares domesticos affine Veneri numen atque convivalis laetitiae dator Bacchus coronatur myrto. Vid. Voss ad Virg. Ecl. 7, 62., Billerbeck Flora class. p. 123., Paschalius Coron. VII, 18 seq. p. 510—517., Dierbach Flora mythol. p. 61 seq. coll. Athen. XV, 676 a., Pausan. VI, 24, 5., Plin. XII, 1, 2. XV, 29, 36., Virg. Ecl. 7, 62., Phaedr. III, 17, 3.; Virg. Ge. I, 28. II, 64. Aen. V, 72., Ovid. Fast. IV, 869. A. A. III, 181.; Hor. Od. III, 23, 16., Aristoph. Ran. 330. Sed inprimis poetae, ut Veneris cultores, amabant redimiri eius fronde, quum alias tum sacris diebus huius deae, quum matronae eidem sacrificabant et myrto



myrtus cum aliis floribus coronariis coniungebatur maximeque cum rosis ac violis, quae ei aptissimae videbantur. Athenaeus quidem XV, 676 c. ideo non dubitat, quin Naucratica corona non alia sit nisi ex myrto, quoniam apud Anacreontem simul cum rosis gestetur: solere enim haec fere coniungi in corollis convivalibus non solum propter suavitatem, sed etiam propter utilitatem, quod myrtus exhalationes e vino reprimat, quum rosae refrigerent capitisque dolores levent. Ac saepissime coniuncta illa in hac re reperimus apud utriusque linguae scriptores [29]). Quare Horatium quoque sicut ceteros his potissimum corollis convivalibus, quae ex myrto factae et violis rosisque distinctae erant, usum esse coniicias, quamquam in scriptis non perinde laudavit eas, sed, ut erat studiosus simplicis elegantiae, simplicem myrtum et simplices rosas magis probavit.

Inter flores coronarios, ut coepi dicere, haud dubie regnabat rosa, rex florum Cupidini dicatus [30]). Namque ,ni-

---

coronatae lavabantur; v. praeter Hor. l. c. Od. I, 4, 9. Ovid. Fast. IV, 139 seqq. cl. ibid. vs. 15. et Tibull. I, 10, 28. Et vero quia myrtus erat Veneris, amantium quoque erat, vel apud inferos (Virg. Aen. VI, 443., Tibull. I, 3, 66.), et illorum omnium qui Veneri celebrandae operam navabant. Hinc inprimis Erato Musa, lyricae cohortis praeses, myrto coronabatur coronaque myrtea amatorio carminum generi apta erat. Sic igitur Horatius l. c. Od. III, 4, 18 seqq., Ovid. Am. I, 1, 29. A. A. II, 734., Stat. Silv. I, 2, 98 seq..

29) Myrtum rosae etiam Archilochus Fr. 82. Schn. sociabat, et violis rosisque sociabant poetae Lesbii teste Phileta ap. Athen. XV. pag. 678 d., quae supra protuli (p. 165. et 171.). His adde quae alia aliunde excitarunt Paschalius Cor. VII, 19. p. 516. et Kopp ad Martian. Capell. II, 213. p. 248.; e quibus omnibus efficitur myrti frondem in corollis convivalibus frequentissime cum rosarum ac violarum flore esse compositam. Atque hi sunt illi *διεξηνθισμένοι στέφανοι* Eubuli comici.

30) *Βασιλεὺς τῶν ἀνθέων* Achilli Tatio, qui venustum hymnum in hunc florum regem conscripsit II, 1. Tom. I. p. 26. Fr. Iac., *τὸ ῥόδον τὸ τῶν Ἐρώτων* Pseudanacreonti 5, 1. Idem ibid. vs. 8.: *Ῥόδα καὶ θεοῖσι τερπνά· Ῥόδα παῖς ὁ τῆς Κυθήρης Στέφεται καλοῖς ἰούλοις.* Dierbach Fl. myth. p. 155.: „Nach Philostratus ist die schönste der Zierblumen, die Gartenrose,

mium breves flores amoenae rosae' conviviis tamen ita fuere proprii, ut saepe rosa pro ipsa comissatione eiusque laetitia,

---

Rosa centifolia L., dem kleinen Liebesgotte gewidmet, wenn gleich so viele Andere [Pausan. VI, 24, 5., Iac. Anthol. Gr. VI, 412., Auson. Id. 14, 18. alii] sie seiner Mutter zuschreiben. Aber nicht nur Aphrodite und Eros, sondern noch manche andere Gottheiten kommen mit Rosen bekränzt vor, insbesondere die Grazien, als Dienerinnen der Venus. Auch Hebe oder Juventas, die Göttin der Jugend, die Mundschenkin der Götter, wird mit Rosen geziert dargestellt, nicht minder Ganymedes, dem dasselbe Amt im Olymp oblag, und Erato, die Muse der erotischen Gesänge, sowie ihre muntere Schwester Thalia. Selbst Dionysos kommt bisweilen mit Rosenkränzen umwunden vor." — Nomen duxisse videtur rosa a rubicundo colore floris. Wittstein Lex. etym.-bot. s. v.: „*Ροδον*, vom celtischen rhodd oder rhudd (roth), die Farbe der Blumen andeutend." Nempe apud omnes gentis Caucasiae populos radix nominis significat ruber vel russus (a quo Latinum nomen derivat Doederlein Etymol. et Synon. Tom. VI. p. 307.); sed maxime apparet originatio in Celtico illo et Graeco nomine. Ceterum nascens rosa apud poetas veteres non solum iuventae ac venustatis sed etiam castitatis est symbolum, quo egregie usus est Catullus in comparatione ‚intactae virginis' 62, 39:

*Ut flos in saeptis secretus nascitur hortis,*
*Ignotus pecori, nullo contusus aratro,*
*Quem mulcent aurae, firmat sol, educat imber,*

bene rosa pro hyacinthino flore poetriae Lesbiae Fr. 44, 7. Schneid. substituta. Praeterea rosa et apud scriptores veteres et in artis veteris operibus saepe amoris amicitiaeque et ubertatis atque abundantiae et laetitiae ac voluptatis est signum; incertum vero, num etiam silentii sit. Namque quod nunc proverbii loco dici solet hoc sub rosa dictum est („Was wir kosen, bleib' unter den Rosen" Agric.), id recentioris originis esse videtur, non secus quam quo nititur epigramma illud in Burmanni Anthol. Lat. V, 127. Tom. II. p. 471. (apud Wernsdorf. Poet. Lat. min. T. VI. P. I. p. 182.):

*Est rosa flos Veneris, cuius quo furta laterent,*
*Harpocrati matris dona dicavit Amor.*
*Inde rosam mensis hospes suspendit amicis,*
*Convivae vt sub ea dicta tacenda sciant.*

Ac ne illud quidem usquam proditum a veteribus reperio, quod nunc uno prope ore omnes dictitant, rosam a Venere aut ab Amore silentii deo esse datam, ut eius furta tegeret. Sed nolo accuratius haec persequi, ut quae fortasse minus ad rem perti-



cuius signum erat, dicta reperiatur. Martialis X, 19, 19.: *quum furit Lyaeus, Quum regnat rosa, quum madent capilli.* Idem III, 68, 5.: *deposito post vina rosasque pudore.* Hinc Pseudanacreon 53, 33. *φυτὸν ἄμβροτον Ἀναίου* vocat, quoniam rosa ad vinum praecipuum coronamentum et erat et habebatur; et quia rosa vel praecipuum erat signum laetitiae convivalis ac voluptatis, inde Romani pro hac ipsa eleganter interdum dicebant rosam, velut Martialis VIII, 77, 2. *in aeterna rosa vivere* ausus est dicere pro eo quod vulgo dicebant lautissime vel in omnibus semper deliciis vivere. Ac saepe ubi *flos* et *ἄνθος* in hac re simpliciter dicitur, rosae flos intelligendus est[31]), vocatque idem Pseudanacreon 5, 6 seq. *φέριστον ἄνθος, ἔαρος μέλημα.* Nec dissentit ab hac ratione Plinius XXI, 4 (10), §. 14.: *Paucissima nostri genera coronamentorum inter hortensia novere ac paene violas rosasque tantum.* Nam quod subiecit idem Plinius l. c. §. 15.: *Usus eius in coronis prope minumus est*, id minime sic accipiendum videtur, quasi Romanis alia coronamenta magis placuerint, sed dicit ibi Plinius multo plus etiam rosarum ad alias res adhiberi, quando rosa et ‚oleo maceretur et in unguenta transeat et in mensarum etiam deliciis perunguendis minume noxia sit.' Poterat illud quoque addere, quod, ut supra vidimus (not. 19.), et in rosa potare et spargere rosas in conviviis consueverant. Itaque quum in omni consuetudine lautioris victus ingenti copia rosarum uterentur, si prope minimus earum usus in coronis erat, idem tamen satis magnus habebatur, ut vel eam solam ob caussam iis colendis et undique Romam comportandis summa cura atque industria insumeretur. Notum est enim praeceptum Catonis qui iubet de R. R. 8, 2. *coronamenta omne genus* in fundo suburbano seri, quo fructuosior fiat domino; nec iam dubium aut obscu-

---

nere videantur: tu vide omnino Wuestemanni accuratissimam atque elegantissimam de Rosa disputationem, quae inest in eius libello Unterhaltungen aus der alten Welt für Garten- und Blumenfreunde (Gotha 1854) p. 37—68., et quid signet rosa ibid. p. 64 seqq. coll. Dierbach. Flora mythol. p. 157—159.

31) Vide Bodaeum ad Theophr. de caus. pl. VI, 6. p. 645. et Paschalium Coron. III, 5. p. 147.

rum esse potest post ea quae vidimus, quaenam ille potissimum coronamenta dixerit. Nota praeterea sunt *violaria* Virgilii et Horatii et Ovidii, nota sunt *amoena rosaria* eiusdem Ovidii *biferique rosaria Paesti* Virgilii et aliorum poetarum laudibus celebrata [32]). De generibus rosae addo haec Plinii l. c. §. 16.: *Genera eius nostri fecere celeberrima Praenestinam et Campanam; addidere alii Milesiam, cui sit ardentissimus color non excedenti duodena folia, proxumam ei Trachiniam minus rubentem.* §. 17.: *Paucissima quina folia ac deinde numerosiora, quum sit genus eius quam centifoliam vocant, quae est in Campania Italiae, Graeciae vero circa Philippos, sed ibi non suae terrae proventu.* §. 18.: *Caepio Tiberi Caesaris principatu negavit centifoliam in coronas addi praeterquam extremas velut ad cardines, nec odore nec specie probabilem.* Ibid. et §. seq.: *est et alia Graecula appellata convolutis foliorum paniculis nec dehiscens nisi manu coacta semperque nascenti similis, latissimis foliis . . . Cyrenis odoratissima est ideoque ibi unguentum pulcherrimum.* §. 20.: *Praecox Campana est, sera Milesia, novissime tamen desinit Praenestina.* In quibus Plinius nobilissima rosarum genera, quae veteres noverant, indicavit, ac de centifolia quidem Caepionis, non suum iudicium interposuit. Nam hoc adeo cum Rosa Gallica nostra in Italia quidem tunc facile laudatissimum erat genus et poetarum carminibus celebratissimum illud [33]);

32) Virg. Ge. IV, 32., Hor. Od. II, 15, 5., Ovid. A. A. III, 67. Fast. IV, 437.; idem Trist. V, 23.; Virg. Ge. IV, 119. cl. Prop. IV, 5, 59., Ovid. Met. XV, 708., Martial. Epigr. VI, 80, 6. XII, 31, 3. Cfr. etiam, quos conferri iubet Wüstemann p. 42. not. 22., Rader ad Martial. Epigr. IX, 27, 3., Wernsdorf Poet. Lat. min. T. VI. P. I. p. 40., Kopp ad Martian. Capell. VI, 641. p. 522. Fuit haec quondam ‚Paestani gloria ruris' qua nunc nihil nisi parietinae ac vepres reperiuntur; v. Böttiger Sab. I, 242 seq. et Stahr Ein Jahr in Italien T. I. p. 404. ed. 2.

33) Quae enim nobiliora sativae rosae genera Plinius l. c. §. 16—19. prodidit, ea nunc fere omnia harum rerum intelligentibus ad Rosam centifoliam (Gartenrose) et R. Gallicam nostram (Zuckerrose, Essigrose, buntfarbige Landrose) earumque varietates, quarum genera ipsa a veteribus non satis discreta sint, revocanda esse videntur. Ita quidem statuit Fraas Synops. plant. flor. cl. p. 76.: „Die Alten unterschieden wohl R. centifolia und



quamquam quum eadem centifolia propter ipsius amplitudinem ac gravitatem integra sane minus commode in serta concinnari posset, inde facile intelligitur, cur in *sutiles* istas *coronas* inciderint. Tempus rosae sic indicavit idem Plinius XXI, 11 (38), §. 68.: *in Italia violis succedit rosa. Vernas* has *rosas*, quae Aprili mense in Italia florent, ad coronas maximo appetebant studio, ut *novas*. Ita certe de Verre Cicero V, 10, 27.: *Veris initium iste non a Favonio neque ab aliquo astro notabat, sed quum rosam viderat, tum incipere ver arbitrabatur*, et de se ipse Propertius III, 5, 21.:

*Me iuvat et multo mentem vincire Lyaeo,*
*Et caput in verna semper habere rosa,*

Ovidiusque Fast. IV, 138.:

*Nunc alii flores, nunc nova danda rosa est.*

Ac fortasse Horatii quoque *novi flores* Od. I, 4, 10. et IV, 1, 32. sunt rosae vernae, nisi forte ille violas potius intellexit. Et erant etiam qui *praecoces rosas* facerent, notante Plinio XXI, 4 (10), §. 21.: *Qui praecocem faciunt, pedali circa radicem scrobe aquam calidam infundunt, germinare incipiente calyce.* E praediis autem suburbanis, dum florebant rosae, hortorum villici vel puellae rusticae eas, sicut Propertius ait

gallica als Arten nicht, aber wild und häufig ist nur R. gallica in Griechenland." Idem p. 75.: „Die R. centifolia ist überdies viel seltener in Gärten kultivirt, als die R. gallica, deren Blüthenblätterzahl auch im kultivirten Zustande vielmehr variirt, als jene der centifolia, so, dass Theophr. [h. pl. VI, 6.] wohl sagen konnte: *Τὰ μὲν γὰρ πλεῖστα πεντάφυλλα, τὰ δὲ δωδεκάφυλλα καὶ εἰκοσάφυλλα, ἔνια καὶ ἑκατοντάφυλλα*, was ich zunächst auf Rosa gallica beziehe." Itaque ille p. 75 seq. decem genera Plinii XXI, 4. ea, quae Billerbeck Flor. class. p. 133. ad centifoliam rettulerat, ad R. gallicam L. et R. centifoliam cum varietatibus referenda esse censuit. At principem locum apud poetas certe et propter praestantissimum odorem et propter eximiam speciem haud dubie obtinebat centifolia, in quam unam, ut opinor, tot tantaeque veterum poetarum laudes (cf. not. 42.) optime conveniunt. Neque enim aut R. gallicam cum Fraasio aut R. moschatam (Bisamrose, quam cynosbati speciem pleniorem Plinii que rosam Graeculam esse volunt) cum Billerbeckio p. 134. aut ullam aliam potius quam centifoliam pro vera veterum poetarum rosa putaverim. Atque haec Wuestemanni quoque sententia est p. 40 seq. et, ut vidimus (not. 30.), Dierbachii.

IV, 2, 40., *sirpiculis medio pulvere* in Urbem *ferebant* ad mercatum; quumque autumno praecoces pleraeque iam defecissent, studiose sectabantur pueri, si quae *serae*, Milesiae opinor aut Praenestinae aut aliae *autumnales*, in horto diutius *morarentur*, ut inde etiam domino gratam coronam necterent, velut Horatii puer Od. I, 38, 3.:

*Mitte sectari, rosa quo locorum*
*Sera moretur* [34]).

Sed quum hieme terra Italia flores fere negaret aut pauculos praeberet, nec tamen hiberno tempore rosarum flore in conviviis carere vellent, huic desiderio primum occurrebant rosarii, qui vel ipso brumali die *hibernas rosas* venales habebant, quas *Nilotica tellus mittebat* testante Martiale Epigr. VI, 80, 1 seq. [35]), aut Carthago Hispaniae, ubi, item ut in Phariis illis hortis, teste Plinio l. c. §. 19. *hieme tota praecox* erat rosa. Deinde vero monstrificis hominum ingeniis inventa est ratio in ipsa quoque Italia hibernas rosas et sat multas educandi. *Vitro* enim *conditas* eas a frigoribus tutabantur atque *festinabant* [36]). Ac ne has quidem hibernas

34) Sic prorsus explicandum videtur, ut explicavit Wüstemann p. 46. not. 37. Nam poeticae rationi carminis et poetae verbis satis expressis parum consuluit Orellius, qui *seras morantes* illas *rosas* apud coronarum propolas repositas esse voluit. Imo vero sunt *autumnales rosae* intelligendae, in quarum numero Plinius XXI, 4 (10), §. 19. praeter Milesiam et Praenestinam etiam *coroniolam* refert, eaeque nunc esse videntur Billerbeckio Flor. class. p. 133. Rosa Damascena R. pallida R. autumnalis odorata; de Damascena tamen dubitat Wüstemann pag. 40. nota 8., quod ea quidem anno demum 1100. ex Orientis partibus in Francogalliam introducta sit. In Asia rosae serius etiam ac paene tota hieme sub divo morabantur. Flor. Epit. II, 8, 9.: *collatis undique quamvis per hiemem rosis.*

35) *Ut nova dona tibi, Caesar, Nilotica tellus*
*Miserat hibernas ambitiosa rosas:*
*Navita derisit Pharios Memphiticus hortos,*
*Urbis ut intravit limina prima tuae.*
Cfr. ibid. Rader p. 430., Rein in Beckeri Gallo T. III. p. 34., Wüstemann p. 47.

36) Martial. Epigr. IV, 22, 5:
*Condita sic puro numerantur lilia vitro,*
*Sic prohibet teneras gemma latere rosas.*



Horatio ignotas fuisse admodum probabile fit Od. III, 19, 22.: *Parcentes ego dexteras Odi: sparge rosas*, ubi propter *frigora* illa *Peligna* vs. 8. vix alias licet intelligi nisi aut ab hortulanis, qui eas arte colebant, aut a rosariis petitas illas. Nec florum modo sed etiam coronarum mercatus erat Romae, de quo Ovidius Fast. VI, 792.:

*Hic ubi fit docta multa corona manu.*

Hanc artem exercebant coronariae, a quibus coronas sic semper paratas licebat petere vel conficiendas pacisci, ut unguenta ab unguentariis. Horat. Od. III, 14, 17.:

*I, pete unguenta, puer, et coronas* [37]).

Atque Horatianis quidem temporibus longe gratissimae usitatissimaeque fuisse videntur rosaceae, quas poeta ipse tot tantisque laudibus celebravit Od. I, 36, 15. I, 38, 2 sqq. II, 3, 13 sq. II, 11, 13 sqq. III, 15, 15. III, 29, 3. coll. Od. I, 4, 10. I, 17, 27 seq. II, 7, 6 seq. IV, 1, 31 seq. [38]).

Proximus locus et honor quas totiens cum rosis nominavi erat violis *earumque*, ut ait Plinius, *plura genera, purpureae luteae albae, plantis omnes ut olus satae. Ex iis vero quae sponte apricis et macris locis proveniunt purpureae latiore folio statim ab radice carnoso exeunt solaeque nomine a ceteris discernuntur appellatae ia et ab his ianthina*

et XIII, 127.:

*Dat festinatas, Caesar, tibi bruma coronas:*
*Quondam veris erat, nunc tua facta rosa est.*

Becker Gall. 34.: „in Glashäusern getriebene Rosen.“ Cfr. Wüstemann p. 47. cum nota 42.

37) De hoc quaestu atque artificio, quo mox Romae ex Aegypto coronarii coronariaeque praeter ceteras excellebant praecipuoque in honore erant, vid. Böttiger Sab. I. p. 231 seq. Adde Aristoph. Them. 457.:

*ἀλλ' εἰς ἀγορὰν ἄπειμι· δεῖ γὰρ ἀνδράσι*
*πλέξαι στεφάνους συνθηματιαίους εἴκοσιν.*

quos quidem *στεφάνους συνθηματιαίους* scholiastes et Athenaeus XV, 680 c. *ἠργολαβημένους καὶ ἐκδοσίμους*, coronas conducticias, recte interpretantur; perperam Böttiger l. c. p. 230. Cfr. not. 25.

38) De praecipuo rosarum in coronis usu quasi silvam dictorum congessit Paschalius Coron. III, 5. p. 147—165., sed vid. inprimis Wüstemann p. 49 seq. coll. Beckeri Gall. III. p. 32.

*vestis. E sativis maxima auctoritas luteis.* Ita Plinius XXI, 6 (14), §. 27. itemque XXI, 19 (76), §. 130.: *Violae silvestres et sativae.* Nempe, ut omnes scriptores veteres, sic ille plane diversi generis flores a calycum tamen, ut opinor, atque odorum similitudine, quum praesertim eodem fere tempore floreant, uno eodemque nomine appellat violas: quorum alterum genus florum nobis est *Viola odorata* L. (schwarzblaue Viole, Märzveilchen), alterum e Cruciferis nostris duo genera verius quam species amplectitur, *Matthiolae incanae R. Br.* varietates multicolores (Gartenlevkojen) et *Cheiranthum cheiri L.* (Lackviole, Goldlack) [39]). Etenim quas *sponte provenientes purpureas* sive *ia* vocabat Plinius, easdem Graeci vel ἴα πορφυρᾶ, ἴα μέλανα seu μελάνια, vel simpliciter aut praecipue ἴα nominabant [40]). Nicander apud Athen. XV, 684 c. vs. 60.: *Σὺν δ' ὑάκινθον ἰωνίδας τε χαμηλάς, Ὀρφνοτέρας ἃς τύξε μετ' ἄνθεσι Περσεφόνεια.* Theocritus Id. 10, 28.:

39) Ita omnino statuunt Sprengel ad Dioscoridem (III, 128.) T. II. p. 550. et Fraas Synops. plant. flor. class. p. 114 seq. 116 seq., quos quidem auctores locupletissimos infra non tam subsecutus quam eos in scriptoribus veteribus explicandis consentire mecum gavisus sum. Cfr. Voss ad Virg. Ecl. 2, 47. et Billerbeck Flor. class. p. 45 seq. 168., qui varias utriusque generis partes non sine manifestis erroribus recenset. De ipso nomine haec habet Wittstein Lex. etymol.-bot.: „Leucojum L. (Coronariae), zus. aus λευκος (weiss) und ἰον (Veilchen), d. h. eine Pflanze, deren weisse Blüthen gleichzeitig mit dem Veilchen erscheinen. Das Λευκοιον der Griechen gehört aber zu den Cruciferen und ist theils Cheiranthus, theils Matthiola (weisse Viole)."

40) Dioscor. IV, 120: *Ἴον πορφυροῦν —... οἱ δὲ ἴον ἄγριον, Ῥωμαῖοι ... βίολα πουρπούρεα — φύλλον ἔχει μικρότερον κισσοῦ καὶ λεπτότερον, μελάντερον δὲ καὶ οὐκ ἀνόμοιον, καυλίον μέσον ἀπὸ τῆς ῥίζης, ἐφ' οὗ ἀνθήλιον σφόδρα εὐῶδες, πορφυροῦν. Φύεται ἐν παλιοκίοις καὶ τραχέσι τόποις.* Fraas l. c. p. 114.: „Viola odorata L., Veilchen ... λευκόϊον τὸ μέλαν Hippocr. nat. mul. 570. ἴον τὸ μέλαν Theophr. 6, 6.... ἴον πορφυροῦν Dioscor. 4, 120.... viola (ἴον appellatum) Plin. 21, 6 Apic. 1, 4. *βιολέτα* hod., nicht häufig! Auf den Xirobunis sehr selten, nur an Quellen (Pentele, Parnes bei 2000 Fuss), häufiger auf den Hochgebirgen, an schattigen Orten, mit V. sylvestris vermischt (Delphi, auf Euböa, Othrys, Oeta etc., um Athen gar nicht!), wuchert, in die Gärten verpflanzt, sehr üppig."



*Καὶ τὸ ἴον μέλαν ἐντὶ καὶ ἃ γραπτὰ ὑάκινθος.* Virgilius Ecl. 10, 39.: *Et nigrae violae sunt et vaccinia nigra.* Idem Ge. IV, 275.: *violae sublucet purpura nigrae.* Claudianus de r. Pros. II, 128.: *lilia fuscis Intexit violis.* Et ab his auctore Plinio *ianthinus* seu *violaceus* color est, ad quem spectat Horatius Od. III, 10, 14. Epist. II, 1, 207. Eas vero quae, quamquam ipsae quoque in Italiae et Graeciae partibus maritimis frequentes sponte nascebantur, tamen a veteribus quoque in hortis et in violariis magis colebantur, sativas igitur multicolores illas omnes Graeci uno ἴων λευκῶν sive λευκοΐων nomine complecti solebant, itemque Romani violas albas vel simpliciter violas appellabant [41]). Ita quidem scriptores veteres loqui solent, ubi tota genera respiciunt eaque vel ipsa inter se contendunt vel aliarum plantarum generibus opponunt, velut Philonides medicus quem supra laudavi (p. 180 seq.) et quos mox laudavero Theophrastus et Hicesius et, ni fallor, Theocritus Id. 7, 63.: *Κἠγὼ τῆνο κατ' ἄμαρ ἀήθινον ἢ ῥοδόεντα Ἢ καὶ λευκοΐων στέφανον περὶ κρατὶ φυλάσσων κτλ.*, et Virgilius Ecl. 2, 46.: *tibi candida Nais, Pallentis violas et summa papavera carpens, Narcissum et florem iungit bene olentis anethi;* Ovidiusque Fast. I, 345.: *Si quis erat, factis prati de flore coronis Qui posset violas addere, dives erat,* utrumque Cruciferarum nostrarum genus, et Matthiolam et Cheiranthum, intelligere videntur. Hi nimirum hic omnes universe loquuntur, de coronamentorum generibus disserentes. Alias enim alii aut etiam iidem scriptores veteres qui plerumque unum aut duo viola-

41) Dioscor. III, 128.: *Λευκόϊον — ... Ῥωμαῖοι ὄπουλα ἄλβα, οἱ δὲ βίολα ἄλβα ... — γνώριμόν ἐστιν· ἔστι δὲ αὐτῆς διαφορὰ ἐν τῷ ἄνθει· ἢ γὰρ λευκόν ἐστιν ἢ μήλινον ἢ κυανοῦν ἢ πορφυροῦν εὑρίσκεται. Ἔστι δὲ αὐτῶν εὔχρηστον πρὸς τὴν ἰατρικὴν χρῆσιν τὸ μήλινον.* ubi Sprengel (T. II. p. 550.): „Sub λευκοΐῳ militant Matthiolae incanae R. Br. varietates multicolores et Cheiranthus Cheiri L., quem lutei flores et praecipuus in medicina usus produnt." Fraas p. 107.: „Diosc. 3, 128. [λευκόϊον] λευκὸν, κυανοῦν, πορφυροῦν ... sind wohl Varietäten der damals sehr häufig kultivirten Levkoje." Cfr. eundem infra in nota 44.

rum genera esse dicunt interdum tria efficiunt, unum dumtaxat sponte nascens illud nigrarum violarum, sativarum autem duo, tum λευκόϊα et ἴα κρόκεα seu albas violas et luteas discernentes. Cuius rei haec fuit ratio, quod quum alterum hoc genus totum complures species complectatur colore inter se differentes, quum inter sativas et albae et luteae et caeruleae et purpureae reperiantur, tamen omnes omnino, si cum purpureis quae proprie vocantur seu cum nigris illis silvestribus comparantur, minus ardere (ὑπολευκίζειν) videntur; a quo ipso, non ‚a canitie cinereove foliorum colore' (ut Voss et Billerbeck opinantur), his cunctis antiquitus λευκοΐοις sive albis violis nomen inditum est[42]); sed quoniam hoc magis

42) Pindarus Ol. 6, 55.: Ἴων ξανθαῖσι καὶ παμπορφύροις ἀκτῖσι βεβρεγμένος. ubi scholiastes: ἀκτῖσι δὲ παμπορφύροις εἶπεν, ἐπειδὴ τῶν ἴων τὰ μὲν ὑπολευκίζει, τὰ δὲ πορφυρᾶ ἐστιν. Pallor nimirum fulgori purpureo opponi solet in floribus atque omnino in plantis describendis; quid autem is color vel potius fulgor purpureus proprie fuerit, docet Cassiodorus Variar. I, 2.: *Color purpurae est obscuritas rubescens et nigredo sanguinea.* Ut igitur apud Horat. Od. II, 12, 3. et Ovid. Met. II, 607. *purpureus* et *puniceus* proprie dicta fusi cruoris sunt epitheta, sic eadem pulcherrimorum florum sunt. Horat. Od. III, 15, 15.: *flos purpureus rosae*; IV, 10, 4.: *qui color est puniceae flore prior rosae.* Iam vero eadem rosa cuius color purpureus apud poetas veteres saepissime cum rubore surgentis diei contendit interdum etiam *nigra* dicitur, non alia subiecta sententia quam ruboris sanguinei, velut Achilles Tat. lib. VI. de Indica quadam rosa, cuius puniceum fulgorem satis admirari non potest: μέλαν, inquit, τοῦτο τὸ ῥόδον Ἰνδῶν. Claudianus de r. Pros. II, 92.:

*Sanguineo splendore rosas, vaccinia nigro*
*Induit, et dulci violas ferrugine pingit.*

Itemque idem hyacinthus poetarum veterum tum *suave rubens* (Virg. Ecl. 3, 63.) tum *purpureus* (Ovid. Met. XIII, 394.) tum *niger* (Virg. Ecl. 10, 39.) vocatur ‚ob splendorem eius sanguineum', quo Gladiolus byzantinus noster (qui veterum poetarum hyacinthus fuit, Sprengelii quidem sententia ad Diosc. IV, 20. T. II. p. 583. et Dierbachii Flor. myth. p. 137.) maxime conspicuus est. Contrarium autem pallorem habes apud Virg. Aen. XI, 70.: *languentis hyacinthi, Cui neque fulgor adhuc necdum sua forma recessit,* et manifestius etiam apud Calpurnium Ecl. 9, 44.:



in ceteras omnes e sativis quam in luteas cadit, ut quae fulgore quodam auri insignes sint, hasce ipsas interdum de λευκοΐοις excipiunt et in singulare genus secernunt, perinde ac nos Levkojen et Goldlack solemus discernere. Sic de his ipsis sativis Nicander cecinit apud Athen. XV. p. 683 a. vs. 2 seq.: γένη γε μὲν ἰάσι δισσά, Ὠχρόν τε χρυσῷ τε φυὴν εἰς ὦπα προσειδές. Plinius XXI, 19 (76), §. 131.: *et alba autem et lutea* (viola) *extenuat menses* [43]). Denique, ut recte ubique varia apud veteres violarum genera discernamus, spectanda ante omnia sunt opposita, quae illi in violis appellandis secuti esse videantur; deinde vero etiam illud considerandum est, quod monent harum rerum intelligentes, violarum omnium longe frequentissimas in Italia atque in Graecia esse Matthiolae incanae varietates multicolores, easque a Graecis praeter ceteras λευκόϊα vel etiam simpliciter breviterque ἴα et a Romanis *violas albas* vel *violas* appellari [44]). Haec de ge-

*Te sine, vae misero! mihi lilia nigra videntur,*
*Pallentesque rosae nec dulce rubens hyacinthus;*
*Nullos nec myrtus nec laurus spirat odores.*
*At tu si venias, et candida lilia fient*
*Purpureaeque rosae et dulce rubens hyacinthus.*

Ergo *purpureae* quae proprie vocantur violae eaedem sunt quae *nigrae* et opponuntur *pallentibus* sive *albis.*

43) Et sic interdum alibi; notabile vero discrimen, quamquam per se leve est: hic videlicet *lutea viola* (ἴον κρόκεον Theophr. de caus. plant. VI, 14, 11.) per se ipsa efficit genus aliquod quod λευκοΐων generi opponatur, quum quod λευκόϊον μήλινον a Dioscoride III, 128., *viola lutea* a Plinio XXI, 6. appellatur et in λευκοΐων numero ab utroque refertur non tam genus efficiat quam partem generis, ut intelligatur, quoniam pars saepe pro toto genere et rursus genus pro parte aliqua solet poni, interdum etiam λευκόϊον pro λευκοΐῳ μηλίνῳ potuisse dici, velut ab Hippocrate secundum Sprengel h. r. h. p. 45. Qua ipsa re sententia nostra optime comprobatur.

44) Audiamus quo locupletiorem hic audire non possumus auctorem Fraasium p. 116 seq.: „Cruciferae. 1. Matthiola incana R. Br., Levkoje. Λευκόϊον Theophr. h. pl. 6, 7. 6, 8. 7, 13. et alibi passt in den meisten Citaten recht gut hierher, da die Levkoje, namentlich die Stammlevkoje (δενδροειδὲς Theophr.), schon mitten im Winter zu blühen beginnt (ebenso und eher noch früher der im wilden Zustande ganz hellgelb blühende Lack) . . ., βιόλα

neribus violarum; erant autem utriusque generis violae, et sponte nascentes purpureae et sativae multicolores, ut passim iam vidimus, e praestantioribus floribus coronariis, praesertim apud Graecos, tantoque magis placebant, quod non solum primi veris munera *novi*que *flores* sed iidem odoratissimi erant. Theophrastus apud Athen. XV. p. 680 e.: *πρῶτον δὲ τῶν (στεφανωματικῶν) ἀνθέων ἐκφαίνεσθαί φησι τὸ λευκόϊον.* Plinius XXI, 11 (38), §. 64.: *Florum prima ver nuntiantium viola alba, tepidioribus vero locis etiam hieme emicat. Postea quae ion appellatur et purpurea.* Hicesius apud Athen. XV. p. 681 c.: *τὸ λευκόϊον μεσότητά τινα ἔχει ἐν τῷ στύφειν, πολὺ δ' ἀρίστην εὐωδίαν καὶ δυναμένην τέρπειν, ἀλλὰ πρὸς ὀλίγιστον· τὸ δὲ μέλαν τὴν μὲν αὐτὴν θεωρίαν ἔχει, εἰῶδες δ' ἐστὶ πολὺ μᾶλλον.* Itaque Nicander l. c. e coronariis floribus omnibus primas violas albas luteasque, deinde rosas serendas praecipit. Atque apposite Horatius, ubi veris adventum celebrat, his potissimum *novis floribus caput impediri* iubet Od. I, 4, 9.:

*Nunc decet aut viridi nitidum caput impedire myrto*
*Aut flore, terrae quem ferunt solutae;*

nisi forte, ut diximus, rosas potius aut eas cum violis intellexit. Idem Od. IV, 1, 31.:

---

hod., häufig kultivirt, vorzüglich die perennirende Stammlevkoje. Die wilden Arten sehr häufig an allen Küsten (Attika, Argos). — 2. Cheiranthus cheiri, Lackviole, Veil ... *λευκόϊον μήλινον* Diosc. 3, 128. viola lutea Plin. 21, 6. *τὰ κίτρινα* hod., wenig bekannt, wild an den Felsen um Itschkale bei Nauplia, auf Milos, Syra etc. — doch nicht um Athen, wie Sibthorp angibt, nicht einmal kultivirt!" Cfr. eundem de violis purpureis in nota 40. De nomine idem haec addit p. 115.: „Die Alten verstunden sehr häufig unter *ἴον* ohne Zusatz das eigentliche *λευκόϊον* cum varietatibus, Matthiola incana und deren verwandte Arten in den Ebenen und an der Küste wachsend, deren Kultur schon sehr ausgebreitet war. Die Veilchengärten (violaria [*ἰωνιαὶ* Aristoph. Pac. 577.]) beziehen sich auf Levkojen." Quare qui saepe apud Athenienses memorantur *ἴων στέφανοι* fuisse videntur *λευκοΐων στέφανοι*, et ipso nomine inductus est Matthisson:

„Kein Gang der Liebenden im Frühlingshain
An Veilchen reich, wie Attikas Gefilde."



*Nec certare iuvat mero*
*Nec vincire novis tempora floribus.*

Ac Philodemus Epigr. 31. (Anthol. Gr. T. II. p. 79.) in tumulo *τῆς φιλοβάκχου Τρυφέρας* nasci optat:

*Μὴ βάτον, ἀλλ' ἁπαλὰς λευκοΐων κάλυκας* [45]).

Ceterum apud Athenienses Dionysia magna (quae in Martium mensem et Aprilem incidebant) praeter hederam et rosas violis albis celebrari solebant [46]), apud Romanos autem Lares praeter *rorem marinum fragilemque myrtum* (Horat. Od. III, 23, 15.) iisdem violis omnibus coronabantur [47]); et nigrum earum genus Proserpinae, album Joni, quam Juppiter dilexerat, consecratum ferebant [48]).

De violis rosisque abunde dixi: nunc quod tertio denique loco e floribus coronariis proponam lilium tanto brevius enarrare licebit, quanto certius eius genus est Est enim haud dubie album lilium, Lilium candidum L., quem florem vere regium et Junoni reginae sacrum (unde *rosam Junonis* vocabant) [49]) et in hortis ac rosetis et in corollis convi-

---

45) Plura de hoc violarum maximeque *λευκοΐων* inter coronamenta honore Paschalius Cor. III, 3 seq. et Jacobs Anthol. Gr. T. VIII. p. 233.

46) Haec enim coronamenta in Dionysiis nominant Pindarus Fr. 45. B. et Simonides Fr. 131. Schn.; quorum ille etiam Atheniensium urbem eam ob caussam Fr. 46. *ἰοστεφάνους Ἀθάνας* vocat, quo quidem cognomine alias Venus (h. Hom. 6, 18.) et Musae (Theogn. 250. Simon. l. c.) appellari solebant. Cfr. Aristoph. Ach. 637. Eq. 1323.

47) Hi certe sunt illi *verni flores* quos Tibullus II, 1, 59. et Suetonius Aug. c. 31. in hac ipsa re memorant, ut patet ex Juven. Sat. 10, 90.: *Laribusque paternis Tura dabo atque omnes violae iactabo colores.*

48) Ita Dierbach quidem in Flora myth. p. 148. et 152.

49) Diosc. III, 106: *Κρίνον βασιλικόν — ... Ῥωμαῖοι λίλιονμ, οἱ δὲ ῥόσα Ἰουνώνιος ... — · τούτου τὸ ἄνθος στεφανωματικόν ἐστι, καλούμενον ὑπ' ἐνίων λείριον.* ubi Sprengel T. II. p. 541.: „Species ipsa plantae manifesto est *Lilium candidum* L." Fraas Synops. plant. flor. class. p. 286 seq.: „*Lilium candidum* L., weisse Lilie. *Κρίνον λευκὸν* Theocr. idyll. 23. *κρίνον* Dioscr. 3, 106 ... *lilium album* Plin. 21, 5. *κρίνος* [hod.] sec. Sibth., der die Pflanze im thessalischen Tempe wild sah, ich fand sie

valibus rosis miscere amabant. Plinius XXI, 5 (11), §. 22.: *Lilium rosae nobilitate proxumum est ... et interpositum etiam maxume rosas decet, medio proventu earum incipiens.* Ovidius Am. II, 5, 37.: *Quale rosae fulgent inter sua lilia mixtae.* De sertis compotatorum Pseudanacreon 34, 6.:

*Ὅρα κἀν στεφάνοισιν*
*Ὅπως πρέπει τὰ λευκά*
*Ῥόδοις κρίνα πλακέντα.*

Et miscet ea Horatius quoque in corolla convivali, qua ornatus sospitis amici reditum celebraturus est, Od. I, 36, 15.:

*Neu desint epulis rosae*
*Neu vivax apium neu breve lilium.*

Ut enim hic corollam convivalem, non aliud ullum ornamentum conviviis adhibitum intelligamus, suadet et adiecta mentio apii, de quo mox viderimus, et quod ipsum quoque lilium album e praestantioribus floribus cononariis est [50]).

Mitto purpureum hyacinthum et suave olens amaracum serpillumque, praetereo permultos alios flores herbasque coronarias vel celeberrimas [51]), quoniam eae ab Horatio, a quo haec omnis disputatio ducitur, in coronamentorum genere non commemorantur, et propero ad hederam apium populum albam, quae ille sola coronamenta praeter ea quae iam cognovimus carminibus suis inseruit.

In earum igitur plantarum numero quae ‚tantum folio coronabant' (Plin. XXI, 9, §. 51 seqq.) post myrtum secundo

nur in Gärten, die erst kürzlich von Fremden angelegt waren." De nomine Wittstein Lex. etymol.-bot. s. v.: „Vom celtischen li (weiss), in Bezug auf die bekannteste Art." De lilio Junonis flore et spei castitatis pudicitiaeque signo vid. Dierbach Flor. myth. p. 135 seq.

50) Ea de re scriptorum dicta plurima collegit Paschalius Cor. II, 8. p. 164—168.

51) Enumerant eas Voss ad Virg. Ecl. 2, 45—50., Becker in Charicle T. I. p. 181 seq., alii. Subiicio quae breviter complexus est Fraas Synop. pl. flor. class. p. 4.: „Von den plantis coronariis der Alten mögen besonders noch Lilien, Nelken und Klatschnelken, Münze, Anemonen, Thymian, Safran, Hyacinth, Ciströschen, Narzissen, kretischer Süssklee, Mutterkraut, Lavendel, Majoran, Weidenröschen etc. genannt sein."



utique loco ponenda est hedera. Namque primas ei defert Plinius XXI, 9 (28), §. 52.: *Folia in coronamentis smilacis et hederae corymbique earum obtinent principatum.* Et primo inter *φυλλώδη στεφανώματα*, tertio post violas et rosas loco Nicander quoque apud Athen. XV. p. 683 c. *κισσὸν* ponit *χροκώντα κορύμβοις*, hoc est, hederam croceis corymbis insignem. Id ne forte mireris, cogitandum est primum hederam Baccho fuisse sacram, deinde ipsam hederam, qua quidem veteres ad corollas uterentur, longe aliam fuisse ac nobis vulgo cognitam. Est autem haec coronaria atque Bacchica illa hedera, qua etiam ‚doctae frontes' coronabantur, una eademque species eiusdem generis vel potius (ut nunc accuratius loquuntur botanici) una eademque varietas eiusdem speciei, hedera illa croceis corymbis insignis. Audiamus Plinium XVI, 34 (62), §. 145 seqq.: *Species horum generum* (hederae maris atque feminae) *tres; est enim candida aut nigra hedera tertiaque quae vocatur helix. Etiamnum hae species dividuntur in alias, quoniam est aliqua fructu tantum candida, alia et folio, fructum quoque candidum ferentium aliis densus acinus et grandior, racemis in orbem circumactis qui vocantur corymbi, item selenitium cuius* (em. Sillig: *Silenicum cui*) *est minor acinus, sparsior racemus. Simili modo in nigra; alicui et semen nigrum, alii crocatum, cuius coronis poetae utuntur, foliis minus nigris, quam quidam Nysiam, alii Bacchicam vocant, maxumis inter nigras corymbis. Quidam apud Graecos etiamnum duo genera huius faciunt a colore acinorum, erythranum et chrysocarpum* [52]). Ex his enim intelligimus huc

52) Adde Diosc. II, 210.: *Κισσός — ... οἱ δὲ χρυσόκαρπος, οἱ δὲ ποιητική, οἱ δὲ κορυμβήθρα, ἰδιῶται Νύσιον, οἱ δὲ Διονύσιον ... — πολλὰς ἔχει διαφορὰς τὰς κατ' εἶδος, τὰς δὲ γενικωτάτας τρεῖς· λέγεται γὰρ ὁ μέν τις λευκός, ὁ δὲ μέλας, ὁ δὲ ἕλιξ· ὁ μὲν οὖν λευκὸς φέρει τὸν καρπὸν λευκόν, ὁ δὲ μέλας μέλανα ἢ κροκίζοντα, ὃν δὴ καὶ ἰδιῶται Διονύσιον καλοῦσιν· ὁ δὲ ἕλιξ ἄκαρπός τέ ἐστι καὶ λεπτὰ ἔχει τὰ κλήματα καὶ τὰ φύλλα μικρά, γωνιώδη καὶ εὔρυθμα.* ubi Sprengel T. II. p. 486.: „Tres genericas differentias hederae D. enumerat, quae tot varietates unius speciei sunt: albam, quae et maculis foliorum et fructibus albis, nigram, quae fructibus croceis aut nigri-

unam pertinere quam dixi *hederam Bacchicam* eamque esse ex nigra varietate illam *foliis minus nigris* et *semine crocato* seu fructibus aureis, *χροκόεντα* illum sive *χρυσόκαρπον κισσὸν* Graecorum, cuius speciem eximiam fulgoremque aureum poetae veteres non satis possunt laudare [53]). Et ad hunc ipsum aureum fulgorem eius spectat Horatius Od. IV, 11.:

*Est mihi nonum superantis annum*
*Plenus Albani cadus; est in horto,*
*Phylli, nectendis apium coronis;*
*Est hederae vis*
*Multa, qua crines religata fulges.*

cantibus insignis est, et sterilem, quae humi repit et folia habet angulata seu triloba et conformia." Cfr. Voss ad Virg. Ecl. 3, 39. et Fraas Synops. plant. flor. class. p. 150 seq. De hedera chrysocarpo, Baccho sacra et poetica, haec accuratius tradit Dierbach Flor. myth. 64 sq.: „Diese schöne Pflanze ist in Nordindien zu Hause und darf nicht mit unserm gemeinen Epheu, der überall in Wäldern und an alten Mauern wächst, verwechselt werden. Die alten Botaniker unterscheiden sie genau, es ist *Hedera poëtica* C. Bauh. Pint. oder *Hedera Dionysias* des Joh. Bauhin oder *Hedera chrysocarpos* nach Delechamp. Tournefort (Reise in die Levante, II. p. 341) berichtet von dieser interessanten Pflanze folgendes: Da wir in Konstantinopel über den Markt gingen, kauften wir einige Büschel von dem Epheu mit gelber Frucht. Derselbe ist hier so gemein, wie der gewöhnliche in Paris. Ehehin wurde er zu einem sehr edlen Gebrauche angewendet; denn Plinius versichert (Hist. natur. XVI. 34): die Sorte des Epheu mit goldgelber Frucht sei dem Bacchus gewidmet gewesen und dass man die Dichter damit gekrönt habe. Die Blätter, setzt Tournefort hinzu, haben eine viel hellere grüne Farbe, als die des gemeinen Epheu ist, und seine goldfarbigen Bouquets geben ihm einen besonderen Glanz."

53) Cfr. Hom. hymn. 7, 40 seq. cl. Ovid. Met. III, 665., Soph. O. C. 674., Eurip. Phoen. 653., Theocr. Id. 1, 31. 20, 21 seq. Epigr. 3, 3., Nicander ap. Athen. XV. p. 683 c., Philonides ib. p. 675 d., Meleager Epigr. 1, 15. (Anth. Gr. I. p. 1.), Simmias Theb. Ep. 2, 2. (ib. p. 100.), Nicaenetes Ep. 4, 5 seq. (ib. p. 206.), Virg. Ecl. 3, 39. 7, 38. Ge. IV, 124. Cul. 142. 404., Hor. Od. I, 25, 17., Colum X, 301., Stat. Theb. VII, 653., Calpurn. Ecl. 7, 9.: qui omnes una voce folia hederae *virentia* vel e viridi *pallentia* aut *corymbos* eius *croceos* vel *fructus aureos florem*que eius pulcritudinem vel *nitorem* praedicant, ut vix possit dubitari quin Bacchicam illam dixerint.



‚Festus dies,' inquit, ‚tibi mecum agendus est, Phylli; apparata sunt iam omnia splendide: noli tu moram facere in crinibus tarda arte comendis, sed veni propere *simplex munditiis, religata coma;* coronam vero apud me nectes vel ex apio vel potius ex hedera, qua soles *fulgere.*' In quibus v. *fulges*, e quo pendet ablativus *qua*, fere idem esse apparet quod ‚flores, conspicua es,' adiuncta tamen notione fulgoris aurei aut laetae viriditatis, quibus virtutibus insignis est Bacchica illa hedera. Perinde auctor Ciris vs. 121.; *florebant tempora lauro;* Appuleius Met. XI. p. 261.: *coronamine verno florentes mulieres;* Claudianus de r. Pros. I, 17.: *procedit Jacchus Crinali florens hedera;* Lucretius V, 785.: *Florida fulserunt viridanti prata colore* [54]). Primum igitur

54) Interpretor igitur: „cuius hederae fulgore aureo, etiamsi simpliciter religatis crinibus accesseris, nosti tamen te satis conspicuam fore, utpote virentem puellam;" vernacule: „in dessen goldblinkendem Schmuck, (auch) bei schlicht geknotetem Haar, du (gleichwohl) prangst." Nam hac una ratione omnes tolluntur difficultates, quae alioquin satis magnae ac vix superandae esse videantur. Etenim iungenda necessario aut *qua religata* (sicut est apud Senecam Oed. 413.: *Hederave mollem baccifera religare frontem*, et sicut Acron schol. explicavit: „*religata*, id est, coronata") aut *qua fulges;* tertium non datur, esset enim perversum propter obscuritatem. Atqui coniungenda sine dubio sunt *qua fulges* et propter proprietatem dictionis, qua crines dicuntur religari, quum retrorsum aut in verticem undique ‚in unum' vel ‚in comptum nodum colliguntur,' et propterea quod alias puellarum crines auro gemmisque fulgere solent, quibus hic hederae fulgor opponitur. Magister amoris Am. III, 13, 25.: *Virginei crines auro gemmaque premuntur.* Petronius Fragm. 1, 13.: *Guttura nunc aliae magnis monilibus ornent, Aut gemmas aptent capiti: tu sola placere Vel spoliata potes.* Adde Horat. Od. IV, 13, 13. et Tibull. I, 8, 15 seq. cl. vs. 39. De *religatis* autem crinibus cfr. Horat. Od. I, 5, 4. II, 11, 23 seq., Ovid. A. A. I, 530. III, 143., Tacit. Germ. 38, 3. coll. Hor. Od. III, 14, 22.: *Murreum nodo cohibere crinem;* Ovid. Met. III, 169. (de Diana): *sparsos per colla capillos Colligit in nodum;* ib. VIII, 318. (de Atalanta venante): *Crinis erat simplex, nodum collectus in unum;* Senec. Herc. Oet. 1547.: *Et comas nullo cohibente nodo;* ej. Hipp. 402. (de Amazone venatrice): *nodo Comas*

hedera, ut eo redeam unde digressus sum, et ipsa specie commendabatur et quod refrigerandi quandam vim habere putabatur [55]). Deinde vero, quoniam hedera ‚laetitiae datori Baccho' erat sacra, corona hederacea laetitiae convivalis testis esse videbatur. Bacchus enim curas diluit, ut ait Euripides in Bacchis 381.: *κισσοφόροις ἐν θαλίαις*. Pseudanacreon 26, 5.: *Κισσοστεφὴς δὲ κεῖμαι, Πατῶ δ' ἅπαντα θυμῷ*.

Sed haec hactenus de convivali usu coronae hederaceae [56]). Nam ad sacrum vel ad poeticum potius quam ad convivalem eius usum spectat Horatius Epist. II, 1, 110.:

*Fronde comas vincti cenant et carmina dictant.*

---

*coegit Emisitque*; ej. Oed. 414.: *te decet, Bacche, Spargere effusos sine lege crines, Rursus adducto revocare nodo*; Tac. Germ. 38, 2.: *Insigne gentis obliquare crinem nodoque substringere*; Stat. Theb. II, 238.: *Pallas et asperior Phoebi soror, utraque telis, Utraque torva genis flavoque in vertice nodo*. Adde schol. Acron. ad Od. II, 11, 22.: *Festinantes enim mulieres pexum tantum capillum in nodum colligere consueverunt*. Similiterque Graeci *ἀναδεῖσθαι χαίτας* (Apoll. Arg. III, 50.), *ἀνάπτεσθαι ἐθείρας* (ib. 829.), *ἀναπλέκεσθαι τὰς τρίχας* (Paus. X, 25, 4.). *παραμπυκίζειν κόμην* (Aristoph. Lysistr. 1317.). Ac videndi ea de re praeter eos quos iam supra laudavi in nota 14. Spannheim ad Callim. h. in Cer. 5. p. 745 seqq., Winckelmann in Hist. art. V, 1, 14. (Opp. T. IV. p. 82 seqq.) ib. V, 2, 9. (p. 118.) et in Tractatu praevio 4, 66. (Opp. T. VII. p. 129 seq.), Becker Gall. III, 151 seq. Ergo iure optimo mihi videor sic interpretari; vides enim structuram esse legitimam, servatam dictionis proprietatem, sententiam vero optimam, praesertim quum Horatius hic, id quod in ipso inest nomine, virentem *Phyllida* consulto sic *hedera fulgere* dixisse videatur, sicut Od. III, 15, 15. *vetulam Chlorin* negavit *decere florem purpureum rosae*.

55) Philonides medicus apud Athen. XV. p. 675 d.: *καὶ ἐπὶ τὸν κίσσινον στέφανον ἦλθον αὐτόματόν τε καὶ πολὺν ὄντα καὶ κατὰ πάντα τόπον γεννώμενον, ἔχοντα καὶ πρόσοψιν οὐκ ἀτερπῆ, χλωροῖς πετάλοις καὶ κορύμβοις σκιάζοντα τὸ μέτωπον καὶ τοὺς ἐν τῷ σφίγγειν τόνους ὑπομένοντα, προσέτι δὲ ψύχοντα χωρὶς ὀδμῆς καρούσης*. Adde Servium ad Virg. Ecl. 8, 12. et quae supra protuli p. 180.

56) Plura ea de re Paschalius Cor. I, c. 17. p. 57 seqq. Ceterum de hedera ab omni antiquitate Baccho sacra idem I, c. 16. p. 48 seqq.



Ubi hederacea fronde ornati afflatuque quodam divino furoris Bacchici instincti poetae isti ‚sacri hederae cultores' divinos quoque sibi versus fundere videntur [57]), quamquam iidem *cenant*. Erat enim corona hederacea non modo convivalis laetitiae testis sed etiam furoris poetici, cuius auctor vel praecipuus idem Bacchus habebatur [58]). Sed haec in transitu: nunc cetera exsequi pergam.

Non magis mirabimur quod apium a veteribus poetis saepe in coronamentis commemoratur, si modo quale coronarium illud apium fuerit ab ipsis paulo accuratius cognoverimus. Fuit autem e palustri genere *sativum apium* Plinii, *σέλινον κηπαῖον* Graecorum, quod est nostrum *Apium graveolens* L. (Sellerie) ex Umbelliferarum familia [59]); sed idem tamen apii

---

57) Ovid. Trist. V, 3, 15.; eandemque ellipsis elegantiam habes apud eundem Met. III, 542. et alibi, perinde ut rosa saepe in hac re *flos* vocatur. Non erat igitur cur Ritter ad *lauream Apollinarem*, magnam illam poetarum coronam (v. Winckelmann Opp. T. II. p. 302. coll. Paschal. V, 12. p. 320 seqq.), aberraret.

58) Vid. Paschalius Cor. I, c. 17. p. 52 seq , Jacobs Anth. Gr. T. VIII. p. 306., Hertzberg ad Prop. II, 30, 38. p. 206. Servius ad Virg. Ecl. 7, 25.: „Hedera autem ornantur poetae, quasi Libero consecrati, qui et ut Bacchae insaniunt. Sic Horatius [Epist. I, 19, 3.]: *Ut male sanos Ascripsit Liber Satyris Faunisque poetas.*" Plutarchus Quaest. Rom. c. 112.: *λέγοντας, ὅτι (ὁ κιττὸς) καὶ πνεῦμα μανίας ἔχων ἐγερτικὸν καὶ παρακινητικὸν ἐξίστησι καὶ ταράττει κτλ.* Hinc corona hederacea quum communis omnium poetarum corona esset, tum maxime dithyrambico ac lyrico carminum generi, quae quidem carmina praeter cetera e commotiore quodam animi affectu proficisci crederentur, erat apta, ut dictum est ad Carm. I, 1, 29.; v. de ea Paschal. I, 18. p. 59—61. Athenis praeterea propter Dionysia dramatico carminum generi dicata erat; v. Jacobs Anth. Gr. VI. p. 331. VIII. 306. XII. 164.

59) Plinius XIX, §. 123 seq.: *Contra plura genera sunt . . . apio. Id enim quod sponte in umidis nascitur helioselinum vocatur, uno folio nec hirsutum, rursus in siccis hipposelinum, pluribus foliis, simile helioselino; tertium est oreoselinum cicutae foliis, radice tenui, semine aneti, minutiore tantum. Et sativi autem differentiae in folio denso, crispo aut rariore et leviore, item caule tenuiore aut crassiore; et caulis aliorum candidus est, aliorum purpureus, aliorum varius.* Diosc. III, 67.: *Σέλινον κηπαῖον· ἁρμόζει ἡ πόα πρὸς ἃ καὶ τὸ κόριον κτλ.* Idem III, 68.: *Ἐλειοσέλι-*

genus in Italia Graeciaque multo est odoratius multoque ad speciem formae elegantius ac pulcrius [60]). Audiamus iam ipsos scriptores veteres de eo disserentes; saepe enim virtutes eius praedicant. Ac primum quidem paratam semper ac perennem eius copiam laudant. Nicander Ther. 211.: *σέλινον ἀείφυλλον*. Horatius Od. I, 36, 16.: *vivax apium*. Deinde pulcram eius viriditatem praedicant, quam quum diu conservet etiam in coronis, tum singularem refrigerandi vim habet. Theocritus Id. 13, 42.: *θάλλοντα σέλινα*. Moschus Id. 3, 107.: *τὰ χλωρὰ*

*νον — οἱ δὲ πεδινόν, οἱ δὲ ὑδροσέλινον ἄγριον, Ῥωμαῖοι ἄπιονμ ῥοὐστικονμ — γεννώμενον ἐν τοῖς ἐφύδροις τόποις, μεῖζον τοῦ ἡμέρου σελίνου, ποιεῖ δὲ ὅσα καὶ τὸ κηπευτόν.* ubi Sprengel (T. II. p. 523.): „Apium hortense, in omni antiquitate celebratissimum, spontaneum est in locis asperis Graeciae et ad saepes Sardiniae. Plantatum in *περικήποις*, atriis hortorum, fuisse legimus (schol. Aristoph. vesp. v. 478.): unde proverbium de eo qui rem nondum orditus est: *οὐδ' ἐν σελίνοις ἐστίν*. Apium palustre vocatur a Linnaeo *graveolens*, vulgaris notitiae." Fraas Synops. pl. flor. class. p. 146 seq.: „Apium graveolens L., Sellerie. *Ἐλειοσέλινον* (*μονόφυλλον καὶ οὐ δασύ*) Theophr. h. pl. 7, 6 et alibi. *ἑλειοσέλινον* Diosc. 3, 68. helioselinum Plin. 19, 8. 20, 2. *ἀγριοσέλινον* hod., sehr häufig in allen feuchten Meeresniederungen, an Wassergräben (Attika, Argolis, Astros). A. graveolens cult. *Σέλινον* Theophr. h. pl. 7, 6. *σέλινον κηπαῖον* Diosc. 3, 67. *σέλινα* plur. hod., häufig kultivirt und gebraucht, nicht aber die wilde, welche sehr bitter und ungeniessbar ist. Name und Gebrauch bestimmten mich zunächst für diese Annahme. Sellerie ist noch heutzutage bei den Neugriechen eine Glückspflanze und wird nebst Knoblauch und Zwiebel in Zimmern aufgehangen, an Seidenwurmhürden angebunden, den kleinen Kindern beigegeben etc.... Bei den Römern geht apium meist auf Sellerie, da meistens Sumpf oder Ufer damit in Verbindung gebracht wird, wo die Petersilie nicht wächst, die übrigens wohl erst später in die Gärten zur Kultur gekommen ist."

60) Böttiger Sab. I. p. 244.: „Apium, das Gewächs, welches die Alten so gern zu ihren Kränzen nehmen, ist nicht der Bergeppich, sondern der Sumpfeppich, ein Doldengewächs, das vier Fuss in die Höhe schiesst und dessen Blätter dem Riesenfenchel gleichen. S. Forster zu Swineborne's Reise durch beide Sicilien Th. II. S. 305... Man wählte diese Pflanze mit feinem Sinn wegen ihrer zarten, malerisch gekräuselten und fein ausgekerbten Blätter zu Bekränzung des Haupthaars, weil so gleichsam Locke zu Locke kann."



*σέλινα*. Virgilius Ge. IV, 121.: *Et virides apio ripae*. Huc rettulerim Horatii quoque *udum apium* (Od. II, 7, 23.), quod quidem epitheton ab illo non audacter novatum esse arbitror, ut idem esset quod *ὑγρὸν* seu „flexibile" (Orell., Duentz.), sed proprie dictum, ut esset vel „umido gaudens," sicut Plinius XIX, 8 (47), §. 159. de eodem apio, unde etiam nomen traxisse videtur [61]), vel „viride apium," ab interno humore *udum* ei appellatum, *χλωρὸν σέλινον*, quale in Nemeis dabatur, quum Isthmiaca corona *ἀπὸ ξηρῶν σελίνων* esset [62]). Tum suavi odore eius delectantur. Theocritus Id. 3, 23.: *εὐόδμοισι σελίνοις*. Plinius XXI, 7 (18), §. 38.: *Hortensiorum odoratissima quae sicca, ut ruta menta apium*. Saepissime denique in apio crispam foliorum speciem flexilemque eius naturam laudibus efferunt. Theocritus Id. 7, 45.: *πολυγνάμπτῳ τε σελίνῳ*. Idem Id. 20, 23.: *χαῖται δ' οἷα σέλινα περὶ κροτάφοισι κέχυντο*. Philodemus Epigr. 10, 1. (Anth. Gr. T. II. p. 72.): *σελίνων Οὐλοτέρῃ* [63]). Columella XI, 3, 33.: *crispae frondis apium*. Quae quum ita sint, quum multae et apertae conveniant caussae, quamobrem veteres apio in coronamentis usi esse videantur, nihil reconditae caussae quaerendum videtur; nec est profecto, ut frequentem eius in hac re usum explicemus, cur cum Vossio ad lugubrem eiusdem apii usum confugiamus. Voss quidem vult hoc coronae genus ad indi-

61) Ab aqua enim dictum videtur apium. Wittstein Lex. etymol.-bot.: „Apium L. (Umbelliferae). *Ἄπιον* vom celtischen apon (Wasser) wegen des Standorts. Angeblich von apis (Biene), weil die Bienen den Eppich lieben; oder von apex (Spitze, Kopf), weil das Haupt der Sieger in den heiligen Kämpfen damit bekränzt wurde."

62) Schol. Pindari Ol. *γ'*, 27. p. 96 Bkh. Ol. *ιγ'*, 45. p. 274. Bkh. Cfr. Dissen ad Pind. Ol. 2, 73. Isthm. 2, 16. Vossii errorem ad Virg. Ecl. 6, 68. opinantis hoc *ὀρεοσέλινον*, illo *ἑλειοσέλινον* significari, verbo tetigisse sufficiat, quum satis constet palustre genus in utrisque datum esse. Ceterum de persimili anetho similiter alicubi Galenus: *Ὑγρότερον καὶ ἧττον θερμόν ἐστι τὸ χλωρὸν ἔτι καὶ ἔγχυμον... τοῦ ξηροῦ... διὰ τοῦτό μοι δοκοῦσι καὶ οἱ παλαιοὶ ἐξ αὐτοῦ στεφάνοις χρῆσθαι παρὰ τὰ συμπόσια.* Idem videlicet de apio potuit dici.

63) *Σελίνων οὐλότητα* solemnem in crispa coma describenda fuisse similitudinem pluribus ib. demonstrat Jacobs T. VIII. p. 220.

cium vel potius memoriam mortis electum, quo magis incitaretur lactitia[64]); at eam rationem nemo, quod sciam, scriptorum veterum attulit, et contrarium licet colligi e Plinii verbis XX, 11 (44), §. 113. dicentis apium, quod defunctorum epulis feralibus dicatum sit, ideo quorundam sententia ad cibos non admittendum, immo omnino nefas esse: certe idem Plinius coronarii apii mentionem nusquam fecit. Quam frequens tamen hic usus eius apud Graecos quidem fuerit popularis demonstrat cantilena quaedam, quam saltantes decantabant in comissationibus (ἄνθεμα seu flores vocabant), cuius meminit Athenaeus XIV. p. 629 e.:

*Ποῦ μοι τὰ ῥόδα; ποῦ μοι τὰ ἴα;*
*ποῦ μοι τὰ καλὰ σέλινα;*
*Ποῦ μοι ταδὶ τὰ ῥόδα; ταδὶ τὰ ἴα;*
*ταδὶ τὰ καλὰ σέλινα;*

Adde Theocriti Id. 3, 21 seqq.:

*Τὸν στέφανον τίλαί με κατ' αὐτίκα λεπτὰ ποιησεῖς,*
*Τόν τοι ἐγών, Ἀμαρυλλὶ φίλα, κισσοῖο φυλάσσω,*
*Ἐμπλέξας καλύκεσσι καὶ εὐόδμοισι σελίνοις.*

Ubi pastor quidam coronam gestans ex hedera factam, intextis rosis atque apio, decantat *παρακλαυσίθυρον*. Ac Sapphoni Alcaeo Anacreonti apii coronas in frequenti usu fuisse supra vidimus p. 163 seq. Notabile vero scholion Acronis ad Horatii Carm. IV, 11, 3.: *vel quia Alcaeus frequenter se dicit apio coronari ..., vel quia tardius deponatur qui prandet apio coronatus.* Nam e Romanis, nisi me fallit memoria, unus Horatius ‚se dicit apio coronari' Od. I, 36, 15.:

*Neu desint epulis rosae*
*Neu vivax apium neu breve lilium.*

64) Vide ipsum ad Virg. Ecl. 6, 68. cum nota Servii. Ceterum de lugubri apii usu accuratius exposuit Meineke in Analectis Alexandrinis p. 82., qui bene addidit: „At fuisse etiam qui apium victoriae symbolum haberent, docent quae de Danao refert Etymol. M. p. 743, 22. quae ex integrioribus Pindari scholiis ad Pyth. ϑ, 185 ed. Bkh. desumta sunt. Herculis statuas apio coronatas commemorat Tertullianus de Cor. milit. 7." Adde etiam felicitatis et longae vitae coll. quem iam laudavero Acrone scholiasta et quem supra laudavi Fraasio in nota 59.



II, 7, 23.: — — — *Quis udo*
*Deproperare apio coronas*
*Curatve myrto?*

IV, 11, 2.: — — — *est in horto,*
*Phylli, nectendis apium coronis.*

In quibus exemplaria Graeca sua, in primis Alcaeum, secutus videtur. Nam Od. II, 7, 21—25. quidem complura etiam alia imitationis vestigia apparent, quibus ad hunc potissimum deducimur, ut iam supra dictum est p. 169.

Restat ut verbum addam de populo alba ‚Alcidae gratissima'[65]). Populea enim fronde Teucrum coronavit Horatius Od. I, 7, 22.:

— — — — *uda Lyaeo*
*Tempora populea fertur vinxisse corona,*

quum is novam patriam quaerens in itinere quondam libaret τῷ ἡγεμόνι Ἡρακλεῖ, quum praesertim similes tum ipsi quoque labores exanclandi essent, atque ille olim errans exanclaverat. Solebant autem viri fortes et iuvenes palaestrae studiosi Herculea se fronde ornare[66]).

65) Vide Virg. Ecl. 7, 61. Ge. II, 66. Aen. VIII. 276. cum Servii annotationibus, Ovid. Her. 9, 64., Phaedr. III, 17, 4., Senec. Herc. fur. 893 seq. 912. Herc. Oet. 579. 1642. ed. Bothe, Plin. XII, 1 (2), 3., Sil. Pun. X, 530 seq., Macrob. Sat. III, 12. coll. Nic. Heins. Animadv. p. 297. 299 seq., Voss. ad Virg. Ecl. 7, 61., Dierbach. Flor. myth. p. 30 seq.

66) Vide quae ea de re iam supra dicta sunt ad Horat. l. c. p. 29 seq. et de Theocr. Id. 2, 121. p. 171 seqq. coll. Paschal. Cor. IV, 2. p. 204 seq. et Dierbach l. c. p. 31. Cf. etiam Lobeck. Aglaoph. p. 1172.

# Conspectus

## scriptorum Graecorum cum Horatio collatorum.

Antequam ad rem ipsam aggrediar quam proposui, exponam breviter rationem consilii mei. Quandoquidem enim, quemadmodum ratio totius operis descripta mihi in Prooemio est, Horatii Carminum librum primum collatione scriptorum Graecorum illustrare omnino hoc consilio institui, ut eius Graecismum, qui quidquid ille et rerum et verborum imitandi studio e Graecia transtulit suaque fecit complectitur [1]), investigarem atque excuterem: huic me instituto, quo opus hoc omne aggressus sum, ita demum satis facturum existimavi, si ea quae in re dispersa atque infinita viderentur observata esse ratione et distributione sub uno aspectu ponerem. Itaque, quum Graecismi Horatiani partem illam alteram grammaticam, quam nunc proprio ac praecipuo Graecismi nomine appellare consuevimus, alio libro separatim pertractandam mihi proposuissem: hic, quo ad caput imitationis Graecae, sic enim alteram

1) Tam late Graecismi regionem patere vidimus in Prooemio p. VI., quamquam nunc partem dumtaxat eius rei grammaticam rhetoricamque quae in verborum formis et structuris grammaticis omnique dictione Graecanica versatur, Graecismi nomine appellare consuevimus, sed in eo communem potius loquendi consuetudinem quam analogiam verbi ipsamque veritatis regulam secuti. Cfr. notam seq.



Graecismi partem quae res et sententias de Graecia assumtas continet, si est simpliciter breviterque dicendum, solemus dicere [2]), pervenirem, scriptorum Graecorum dicta omnia, quaecunque ab Horatio in illo quidem Carminum libro imitatione expressa esse iudicaveram, sub ipsorum deinceps nominibus sic enumeravi et exposui universa, ut collectis undique unum in locum et tamquam conspectum dissipatae illius imitationis exemplis his omnibus demonstrarem, quaenam potissimum, exemplaria Graeca' ille et imitanda sibi proposuisset et solitus esset imitari. Sed ut id certa quadam ratione et iudicii severitate a me factum esse intelligeretur iustaque fides accederet operi, universum imitationis genus ad tres partes revocavi congestaque omnia, quae quidem tripartitam hanc rationem sequerentur, tripartito ubique ordine sub Graeci cuiusque scriptoris nomine disposui. In unum enim numerum rettuli ea in quibus imitatio genere suo certa, in alterum ea in quibus probabilis illa, in tertium ea in quibus eadem dubia esse videretur: cuius rei rationem accuratius exposui in Prooemio p. XXVII sq.

His partibus distribui congesta omnia: congessi autem, ut dictum est, non alia nisi ea quae rerum et sententiarum similitudinem haberent viderenturque imitatione expressa esse. Nam verborum omnisque dictionis Graecanicae, ut quae Graecismi sic proprie dicti, non huius essent loci, hic nullam rationem habui, nisi quod comprobandi caussa interdum ea conferri iussi, quo magis appareret sententiarum imitationem esse factam. Praeterea complura saepe Graecorum dicta ad unum dictum Horatianum invenies citata, ubi videlicet eadem res vel sententia aut ab eodem scriptore saepius aut a pluribus tractata esset. Quae quidem omnia ne tibi conspectum turbarent, sic studui cavere: si complura omnino idem vel probarent vel significarent aut si quae prorsus similia esse viderentur, quod genus vel plurima apud principes Graecismi Horatiani auctores Homerum et Euripidem reperiuntur, ex iis unum posuisse satis habui, reliqua tamen uncis inclusa adieci aut iis-

2) De hoc discrimine Graecismi et imitationis Graecae et utriusque partibus vide Bernhardyum in Hist. litt. Rom. p. 259. nota 192. edit. 3.

dem uncis usus idem crebro vel alibi apud eundem scriptorem reperiri dixi. Quorum hoc alterum quoque consulto feci. Est enim magno videlicet in hac re ad persuadendum momento idem dictum vel dicendi formam scriptoris alicuius propriam non semel alicubi exstare, quoniam poetam imitatorem, qualis Horatius fuit, probabiliter coniicimus celebratissima quaeque maxime recordatum esse. Atque Horatium quidem certum habeo sic adeo imitari esse solitum. Quamquam enim vix satis potest dici, quam multa omnino ille ‚Graecis suis exemplaribus' debeat, si quidem omnem ornatum orationis spectamus et tot sententias illas ‚ore rotundo' dictas: idem tamen nec usquam solitus est ‚aliena vestigia premere' nec Graecorum exemplaria de scripto fere aut ad verbum imitari, sed memoriter plerumque et libere expressisse videtur ea quae multa lectione, ut ita dicam, in suum sucum et sanguinem converterat, atque hoc denique animo ut ‚vellet agnosci, non surripiendi caussa' aliorum dicta recordatus potius quam imitatus est. [3])

Editiones secutus sum easdem quas indicavi in Prooemio nota 51., in poetis iambicis elegiacis melicis Scheidewini Delectum, cuius numeris nunc uncis inclusos et littera B notatos addidi Bergkianae editionis alterius (a. 1853.) numeros, in Pindaro Boeckhii eandemque fere Bergkii rationem, in dramaticis Dindorfii editionem (Lips. 1830.), in epigrammaticis Iacobsii Anthologiam Graecam (ed. Lips.).

Ceterum hic nonnulla addidi et correxi quae in commentario aut praetermissa erant aut perperam collata, eorumque etiam, sicubi opus esse videbatur, rationem reddidi aut auctores indicavi, velut recentiorem Horatii interpretem Franciscum Ritterum. Ipsum enim opusculum, cuius brevem quandam summam nunc multis partibus auctam atque emendatam hic Conspectus scriptorum Graecorum cum Horatio collatorum continet, aliquamdiu, ut fit, interruptum pependit.

Haec dicenda putavi de instituto meo: cetera iam re ipsa patescent. Imitatione igitur expressi videntur:

3) Vide quae de Horatio Graecorum imitatore exposita sunt in Prooemio p. VIII—X. et XXVI seq. coll. Bernhardyo l. c. p. 520. et 529. in nota 446.



## I. ex epicis poetis antiquioribus

### 1. Homerus ‚Maeonius vates'

certa:

C. I, 2, 31 sq.: Il. XV, 307 sq. (V, 186. XX, 150) cl. Od. XI, 128 (XXIII, 275).
- - 2, 33: Il. III, 424 (V, 375. XIV, 211. XX, 40. Od. VIII, 362).
- - 2, 37: Il. V, 388 (ib. 863. VI, 203) cl. Il. V, 289 (XX, 78. XXII, 267).
- - 3, 3 sq.: Od. X, 20 sq. cl. ib. V, 383—385. et Virg. Aen. I, 51—54. Cfr. ad C. I, 3, 16.
- - 6, 5 sq.: Il. I, 1 sq. Cfr. infra ad C. I, 6, 7. [4])
- - 6, 13: Il. V, 704 (et alibi) cl. Il. I, 371 (IV, 448. alibi).
- 6, 14 sq.: Il. XIII, 249. 295 (328. 528. alibi). Cfr. ad C. I, 15, 26.
- - 6, 15 sq.: Il. V, 330—343. et 846—863. cl. ib. I sq. 124—132. 826—828. 881—884.
- - 7, 9 sq.: Il. IV, 51 sq. cl. ib. II, 287 (et alibi) et, 180 (et alibi).
- - 7, 11: Il. II, 841 (XVII, 301).
- - 10, 13—16: Il. XXIV, 440—467. cl. ib. 232. 336—338. 565 sq.
- - 12, 25—27: Od. XI, 299 sq. (Il. III, 237). Cfr. Hor. Sat. II, 1, 26 sq.
- - 15, 9 sq.: Il. II, 388. 390.
- - 15, 16—18: Il. III, 380—382. cl. Il. V, 745 sq. (XVI, 140 sq. alibi) et II, 645 sq. et VII, 117 (XI, 364. alibi).
- - 15, 18 sq.: Il. XIV, 520 sq. (II, 527. X, 110. alibi).
- - 15, 22: Il. I, 247 sq. (II, 54. alibi).
- - 15, 23 sq.: Il. VIII, 266—272 (XII, 349 sq. XIII, 313 sq. alibi).

4) Bene animadvertit Ritterus in Horatii verbis *stomachum* et *duplicis* inesse ταπείνωσιν Homericorum argumentorum Il. I, 1 sq. et Od. I, 1 sq. Charisius ab illo citatus IV, 3, 9 p. 242: *Ταπείνωσις est rei magnae humilis expositio, ut apud Horatium Flaccum ‚Pelidae stomachum cedere nescii'.*

C. I, 15, 24—26: Il. IV, 367 sqq. (V, 108 sqq. ib. 241 sqq. IX, 48 sq. alibi) cl. II, 823. (V, 11. al.) et Od. IX, 50.
- - 15, 26 sq.: Il. VII, 165 sq. (VIII, 263 sq. XIII, 328 sqq. alibi) cl. ib. XVIII, 269 sq. Cfr. ad C. I, 6, 14.
- - 15, 27 sq.: Il. IV, 405. cl. ib. II, 863 (V, 301. 852. crebro) et VI, 97. 100 sq.
- - 15, 32: Il. III, 430 sq.
- - 28, 9: Od. XIX, 178 sq. Cfr. Plat. Min. p. 318. E. Legg. I. p. 624. A.
- - 28, 10 sq.: Il. XVI, 808 sq. XVII, 59 sq. cl. ib. I, 3 (V, 190. al.) et Virg. Aen. II, 398 (IX, 527).

probabili:

C. I, 1, 3—5: Il. XXIII, 340. 364—371. cl. Theocr. Id. 24, 117—119. et Virg. Ge. III, 103—112.
- - 1, 15: Il. II, 144—146. Cfr. ad C. I, 3, 13. et 9, 10.
- - 3, 13: Il. XVI. 765. cl. Virg. Aen. II, 416—418 (X, 356 sq. al.). Cfr. ad C. I, 1, 15. et 9, 10.
- - 3, 16: Od. X, 21. cl. ib. V, 384 sq. et Virg. I, 66. Cfr. ad C. I, 3, 3.
- - 4, 17: Il. III, 322 (XI, 263. XIV, 457. XXII, 482 sq. XXIV, 246. Od. X, 174 sq. 490 sq. 512. XI, 627. XII, 21) cl. Od. X, 495. et 521 (ib. 536. XI, 475 sq. XXIV, 14. alibi) et ib. XI, 219 (393) et Virg. Aen. VI, 269. Cfr. etiam infra sub Sappho et ad C. I, 24. 15. [5])

5) Ritterus haec adnotavit: „*Plutonia domus* est Orcus ... Ea domus *exilis* appellatur, quod angusto spatio ingens multitudo inanium umbrarum stipata est. Poetae obversata est descriptio Homerica Odyss. ω, 6 sqq.“ At ‚angusti spatii‘ mentio hic nihil facit ad rem nec ista notio rei ex Homerica illa descriptione evincitur. Imo vero Horatius per elegantem traiectionem epitheti, quo quidem nos rei ex Homero notissimae admonitos voluit, tenuem exilemque ipsorum mortuorum in Orco condicionem, cui mox hanc copiam et abundantiam vitae oppositurus erat, significavit, sicut Virgilius l. c.: *Perque domos Ditis vacuas et*



C. I, 6, 7: Od. I, 1 sq. cl. ib XIII, 291—295. et Hor. Epl. I, 2, 19—22 (A. P. 141 sq.). Cfr. ad C. I, 6, 5.
- - 7, 30: Od. XX, 18. cl. ib. XII, 208 sq. et Virg. Aen. I, 198 sq.
- - 9, 10 sq.: Il. XVI, 765. Cfr. ad C. I, 3, 13.
- - 10, 17—19: Od. XXIV, 1—5. cl. ib. V, 47 sq. (Il. XXIV, 343 sq.) et Virg. Aen. IV, 242—244 (Ovid. Met. I, 671 sq. II, 735 sq. al.). Cfr. ad C. I, 24, 16. et 18 [6]).
- - 15, 5—36: Od. IV, 472—569. cl. Virg. Ge. IV, 387—528.
- - 15, 11 sq.: Il. V, 738. 743. 745. cl. ib. II, 446 sq.
- - 15, 13—15: Il. III. 54 sq.
- - 15, 20: Il. III, 55. cl. ib. XVI, 795 sq. et Virg. Aen. XII, 99 [7]).
- - 15, 21 sq.: Il. II, 278 (Od. IX, 504. alibi) cl. Od. I, 2 (IV, 271 sqq. VIII, 492 sqq. XXII, 230) et Hor. Epl. I, 2, 19 (Cic. ad Fam. X, 13).
- - 15, 29—31: Il. XIII, 101—104. cl. Hor. C. IV, 4, 50.
- - 15, 33: Il. IV, 164 (VI, 448) cl. ib. XX, 315 (XXI, 374) et Virg. Aen. II, 324. Cfr. ad C. I, 15, 35.

*inania regna*. Ita iam optime interpretatus est Lambinus, atque hanc interpretationem confirmat etiam persimile illud Sapphus dictum, quod Horatio simul obversatum esse videtur.

6) Probabiliter Ritterus: „Horatius duas Mercurii *ψυχοπομποῦ* partes discrevit, primum eius munus qui *pias animas laetis reposuit sedibus*, tum eius qui *levem turbam*, h. e. animas nullius numeri et pretii, in tenebricosa loca deducit, in hoc altero secutus Homerum Odyss. ω, 1—14.“

7) Rittero hoc ab Horatio ad fidem Iliadis Parvae traditum videtur, e qua haec rettulit memoriaeque prodidit Proculus (editus a Gaisfordio post Hephaestionem p. 531): *Φιλοκτήτης — μονομαχήσας Ἀλεξάνδρῳ κτείνει· καὶ τὸν νεκρὸν ὑπὸ Μενελάου καταικισθέντα ἀνελόμενοι θάπτουσιν οἱ Τρῶες.* Coniunxerit sane Horatius cum Homerica imitatione sua quod fortasse a posterioribus poetis traditum atque affictum reperisset, nisi forte hoc ipse affinxit, ut solent poetae.

C. I, 15, 35 sq.: Il. XX, 316 sq. (XXI, 375 sq.) cl. Virg. Aen. II, 327.

- - 16, 22: Il. IX, 255 sq. cl. ib. XVIII, 120 (XIX, 134. Od. VII, 219. alibi) et Horat. C. I, 28, 21. Cfr. infra sub Theognide.

- - 18, 7—9: Od. XXI, 293—304. Cfr. infra sub Theogn.

- - 23, 8—10: Il. XI, 113—117 (ib. vs. 175 sq. V, 161 sq. XVII, 63 sq.) cl. ib. X, 390 (Od. XI, 527).

- - 24, 15: Od. XI, 83 (ib. vs. 213. 476. 602. Il. XXIII, 72. 104. alibi) cl. Od. XI, 207. et Virg. Aen. II, 793 sq. (Ge. IV, 472. Aen. VI, 292 sq. Ovid. F. V, 463. alibi).

- - 24, 17: Il. IX, 158. cl. Virg. Ge. IV, 470. et Horat. C. II, 3, 24.

- - 28, 1—36[8]): Od. XI, 51—80. cl. Virg. Aen. VI, 337—371.

- - 28, 7—10. 19—22: Il. XVIII, 117—121 (XXI, 107—110.) cl. Od. X, 491 (ib. 534. XI, 47. al.). Cfr. etiam ad C. I, 16, 22.

8) Quoniam Ritterus, ut mihi quidem videtur, nunc planius rectiusque quam superiores interpretes de tota ratione huius carminis exposuit probabiliterque hoc demonstravit, non Archytae umbram et nautam inter se colloqui, sed per totum carmen ad illius tumulum hominis alicuius umbram loqui naufragio exstincti et inhumati; nunc meam quoque sententiam quam de dialogi forma ab Homerici Ulixis et Elpenoris colloquio repetita suscepissem et quae inde penderet nonnullorum versuum (nominatim vs. 2—4.) interpretationem retractandam esse intellexi. Verum etiam sic satis multa et manifesta imitationis vestigia relicta esse arbitror. Abundat enim totum hoc carmen, perinde ut similia I, 6. et I, 15., non modo verbis et dicendi quasi formis Homericis sed etiam argumentis atque exemplis ab eodem Homero repetitis, ut non improbabile sit, quod statui, Homericum Elpenorem Horatio, quum suum carmen componeret, omnino tamquam exemplum, in quod ipse respiceret, ante oculos obversatum, sed expressum ab eo esse libera illa a proposito exemplari imitatione, quam saepissime in eius scriptis agnoscimus. Cfr. Prooemium p. XIII seq. et quae dicta sunt ad C. I, 3. I, 6. I, 15.



C. I, 28, 13: Od. XI, 218 sq. cl. Il. II, 834 (Od. XII, 92. alibi).

- - 28, 30—34: Od. XI, 66—73. Cfr. infra sub Aeschylo.

- - 32, 13 sq.: Il. I, 602 sq.

dubia:

C. I, 3, 12: Il. II, 148 (Od. XV, 293).

- - 3, 19: Il. XXIII, 230. cl. Hes. The. 109 (131). Cfr. sub Aeschylo.

C. I, 7, 15 sq.: Il. XI, 305 sq. (XXI, 334 sq.).

- - 12, 22 sq.: Il. V, 51—53 (ib. vs. 447. XXI, 470. 485 sq. alibi).

- - 12, 23 sq.: Il. IV, 101 (et crebro) cl. ib. I, 14 (et crebro) et I, 147 (et crebro).

- - 12, 45: Il. XVIII, 56 sq. (ib. vs. 437 sq. XVII, 53 sq.). At cfr. infra sub Pindaro.

- - 16, 18—20: Il. XIII, 772 sq. (XV, 557 sq. XXII, 410 sq. XXIV, 728 sq.) cl. Virg. Aen. II, 290. 603. et Hor. C. IV, 6, 3.

- - 24, 3 sq.: Od. XXIV, 62 (Hom. hymn. 17, 1). At cfr. infra sub Stesichoro.

- - 24, 5 sq.: Il. XI, 241. cl. Od. XIII, 79 sq. et Virg. Aen. X, 745. Cfr. infra sub Moscho.

- - 24, 16. 18: Od. XXIV, 1 - 5. cl. Hor. C. I, 10, 17 sqq. At cfr. etiam infra sub Pindaro.

- - 28, 19: Il. I, 52. cl. ib. vs. 382 sq.

## 2. Homerici hymni

probabili:

C. I, 28, 8: hymn. in Ven. (4. Frke) 218 sq. cl. ib. vss. 220—238. cum Hor. C. II, 16, 30. Cfr. infra sub Euripide.

dubia:

C. I, 10, 6: hymn. in Merc. (3. Frke). 24 sqq. Cfr. infra ad C. I, 10, 9.

- - 10, 9—12: hymn. in Merc. (3. Frke) 69—86. 254—259. 281. 514 sq. At cfr. infra sub Alcaeo.

- - 12, 27—32: hymn. in Diosc. (33. Frke) 12—16. At cfr. infra sub Theocrito.

### 3. Hesiodus Ascraeus

probabili:

C. I, 3, 27—31: Opp. 50—52. 100—104. Cfr. sub Sappho.
- - 34, 12—14: Opp. 5—8. Cfr. infra sub Archilocho Aristophane Euripide.

dubia:

C. I, 2, 34: Theo. 201. Cfr. sub Sappho.
- - 31, 15 sq.: Opp. 41 cl. Aristoph. Plut. 543 sq. Cfr. sub Eurip.
- - 35, 21 sq.: Opp. 196. ed. Dind. (198. ed. Goettl.). At cfr. Servium ad Virg. Aen. I, 292. et Dionysium Halic. A. R. II, 75.

## II. ex iamborum scriptoribus

### Archilochus Parius

dubia:

C. I, 9, 9: fragm. 49, 1 (58, 1. B.). At cfr. sub Euripide.
- - 16, 22—25: fragm. 65 (75. B.). Cfr. sub Stesichoro.
- - 34, 12—24: fragm. 49, 1—4 (58, 1—4. B.). At cfr. sub Hesiodo Euripide Aristophane.

## III. ex elegiacis poetis antiquioribus

### 1. Solo Atheniensis

dubia:

C. I, 1, 11 sq.: Eleg. fr. 11, 47 sq. (13, 47 sq. B.).
- - 1, 29 sq.: Eleg. fr. 11, 51 sq. (13, 51 sq. B.).

### 2. Theognis Megarensis

dubia:

C. I, 4, 17—20: Eleg. 973—978. At cfr. sub Homero et Sappho.
- - 9, 9: Eleg. 1047 sq. At cfr. sub Archilocho atque Euripide.
- - 16, 22: Eleg. 365. At cfr. sub Homero.
- - 18, 5: Eleg. 1129. At cfr. sub Euripide.
- - 18, 7 sq.: Eleg. 479 sq. At cfr. sub Homero.
- - 31, 18—20: Eleg. 789—792. At cfr. sub Euripide.



## IV. e melicis poetis

### 1. Alcman Mesotas

probabili:

C. I, 19, 1—5: fragm. 17 (28 A. B.). Cfr. sub Sappho et Ibyco et ad C. I, 19, 9.
- - 19, 9: fr. 19 (18. B.) cl. Hor. C. I, 30, 1 sq. Cfr. sub Eurip.
- - 30, 1 sq: fr. 19 (18. B.) cl. Hor. C. I, 19, 9. Cfr. sub Sappho.

### 2. Alcaeus Mytilenaeus

certa:

C. I, 9, 1—9: fr. 27 (34. B.). cl. eiusdem fr. 28 (35. B.) et Hor. Epod. 13, 1—10 [9]).
- - 18, 1: fr. 36 (44. B.).
- - 32, 5—12: e carminibus nunc deperditis, sed teste ipso Horatio l. c. Cfr. C. II, 13, 26 sqq.
- - 37, 1 sq.: fr. 12 (20. B.). Cfr. infra ad C. I, 18, 11. et 36, 12. cl. Exc. ad C. I, 37, 1. p. 159 sqq.

probabili:

C. I, 3, 9—12: e carmine deperdito, quo referendum videtur fr. 79 (79. B.); vide ibi Schneidew.

---

9) Initium quidem huius alterius carminis: *Horrida tempestas caelum contraxit, et imbres Nivesque deducunt Iovem* magis etiam convenit cum Anacreontis fr. 6, 2 sqq. B. (6, 2 sqq. Schn): — *νεφέλαι δ' ὕδωρ Βρύουσιν, Δία δ' ἄγριοι Χειμῶνες καταγουσιν*, unde aperte sumptum illud putant Bergkius (l. c. p. 776.) et Meinekius in Praefatione Hor. ed. alt. pag. XXII sq.; sed solet Horatius non omnia ubique ab eodem quem forte imitatur scriptore repetere, sed saepe duorum aut etiam complurium dicta simul recordatus coniungit ea et in unum quodammodo conflat. Atque hic quidem exordium ab Anacreonte duxit, cetera Alcaico spiritu pertractavit. Confer persimilem Od. II, 7, 21—25. locum, quem cum Alcaei verbis (fr. 41, 3 sq. et 42. B.) iam supra comparavimus p. 169. Et ab eodem Alcaeo, nisi egregie fallor, principalem utriusque de quo agitur carminis sententiam sumpsit, quam ille sic scripserat fr. 35, 1. B.: *Οὐ χρὴ κάκοισι θῦμον ἐπιτρέπην*, quamquam ne eam quidem ipsius Alcaei sed aliorum potius verbis sic reddidit: *Permitte divis cetera* et *Cetera mitte loqui.*

C. I, 10, 9—12: e deperdito „hymno in Mercurium“ teste Porphyrione ad Hor. vs. 9. cl. Pausan. VII, 20. et schol. ad Hom. Il. IX, 256. Cfr. sub Hom. hymnis et infra ad C. I, 10, 1.
- - 14, 3—9: fr. 10 (18. B.).
- - 36, 12: fr. 12 (20. B.) cl. Hor. C. I, 37, 1 sq., ubi v. Exc. p. 160.

dubia:

C. I, 10, 1 sqq.: e deperdito „hymno in Mercurium“ teste quidem Porphyrione ad Hor. vs. 1 [10]).

---

10) Ritterus haec adnotavit: „Hoc carmen Horatius videtur fecisse, quum primum ad lyram animum appulit: Alcaeum enim pressius sequitur, quam alias ferax ingenii vena passa est.“ Putat igitur ille quoque, ut superiores aliquot interpretes, totum hoc carmen ab Alcaeo expressum esse; verumtamen magna est quaestio, num quod ille pro certo posuit, Porphyrionis, ut opinor, auctoritate fretus, id liceat ex huius verbis ceterorumque veterum testimoniis confici. Nam Porphyrio quidem, quum ad vs. 1. adnotaret: „Hymnus in Mercurium ab Alcaeo lyrico poeta“, plus ibi videtur dixisse, quam voluit; voluit enim videlicet nihil aliud nisi quod ipse deinceps subiecit ad vs. 9: „Fabula haec ab Alcaeo facta“. Atque ut hoc probabile est, ita initium carminis Alcaici, quod nunc sic restitutum a Bergkio legitur in Gaisfordii ed. altera Hephaestionis c. 14. a. p. 79:

*Χαῖρε Κυλλάνας ὁ μέδεις· σὲ γάρ μοι*
*Θῦμος ὑμνῆν, τὸν κορύφας ἐν αὔγαις*
*Μαῖα γέννατο Κρονίδᾳ μιγεῖσα,*

et quae de reliquo argumento eius carminis memoriae sunt prodita a veteribus (v. in Commentario p. 34.), ea praeter hymni formam metrumque Sapphicum et fabulam illam de Apollinis bobus a Mercurio subductis cum Horatiano nihil commune habent. Denique si totum carmen Horatii ‚ab Alcaeo esset‘, unum hoc plenae atque integrae imitationis exemplum extaret: quod ipsum quam sit improbabile quivis intelligit. Quae vero de raptu boum Apollinearum ab eo qui Homericum hymnum in Mercurium composuit (v. sub Hom. hymn. ad C. I, 10, 9.) et ab Homeri scholiasta ad Il. IX, 256. narrantur, haec tam plane cum Horatianis conveniunt, ut ex uno eodemque fonte fluxisse videantur. Ac facile credimus quod suspicantur, communem hunc fontem fuisse Alcaei hymnum: unde Horatius quum sua hauriret, summa dicendi brevitate usus est, ut in re nota ne diutius immorari neve ‚vestigia aliena suo premere pede‘ videretur. Cfr. Breitenbacchii recensionem in Diario antiquitatis 1857. nr. 14. p. 109 sq.



C. I, 18, 3 sq.: fr. 33, 3 sq. (41, 3 sq. B.) cl. Hor. C. II, 7, 21. At cfr. sub Euripide.
- - 18, 11 sq.: fr. 12 (20. B.) cl. Hor. C. I, 37, 1 sq. Cfr. tamen sub Anacreonte.
- 18, 16: fr. 44 (53. B.) cl. fr. 47 (57. B.) [11]).
- - 36, 15 sq.: e deperdito aliquo carmine teste Acrone scholiasta ad Hor. C. IV, 11, 3. Cfr. sub Anacreonte.

### 3. Sappho Mytilenaea

certa:

C. I, 22, 23 sq.: fr. 2, 3—5 (2, 3—5. B.). Cfr. Prooem. p. VII sq. et infra ad C. I, 13, 5.

probabili:

C. I, 12, 46—48: fr. 3 (3. B.). Cfr. sub Pindaro.
- - 13, 5—8: fr. 2, 5—15 (2, 5—15. B.) cl. Hor. C. I, 22, 23 sq. Cfr. sub Theocrito [12]).
- - 32, 3 sq.: fr. 63 (45. B.) cl. Hor. C. III, 11, 3—7.

dubia:

C. I, 1, 36: fr. 9. Neue (37. B.).
- - 2, 34: fr. 33 (74. B.). Cfr. sub Hesiodo.
- - 3, 29—31: e carmine deperdito, sed testante Servio ad Virg. Ecl. 6, 41. Cfr. tamen sub Hesiodo ad C. I, 3, 27.
- - 4, 16—19: fr. 69 (68. B.). Cfr. sub Homero et Theognide.
- 13, 15 sq.: fr. 5 (5. B.) [13]).

---

11) Haec propter proverbialem sententiam multi saepe recordati sunt, in quibus Aeschylus fr. 274. et Theocritus Id. 29, 1.

12) Vide in Prooem. p. VIII. E verbis Sapphus, quae pulcherrimis versibus zelotypiam amantis accuratius describit quam Horatius, huc maxime faciunt vs. 14 sq.: *χλωροτέρα δὲ ποίας ἔμμι* et vs. 5 sq.: *τό μοι μὰν Καρδίαν ἐν στήθεσιν ἐπτόασεν*, coll. Horatii verbis: *Tum nec mens mihi nec color Certa sede manent.* Duentzer.

13) Contulit Ritterus, qui haec *oscula Veneris nectare imbuta,* nisi me fallit opinio, a poetria Lesbia potissimum repetenda esse censens haec adnotavit: „Vis sententiae inest in pronomine *sui* (ihres eigenen): componitur enim dulcedo oris puellae et Veneris

C. I, 19, 1—5: fr. 20, 1 sq. (40. B.). Cfr. sub Alcmane et Ibyco.
- - 25, 11—15: fr. 21 (42. B.). Cfr. sub Ibyco.
- - 30, 1 sq.: fr. 6 (6. B.). Cfr. sub Alcmane.

### 4. Stesichorus Himerensis

probabili:

C. I, 24, 2—4: fr. 17 (44. B.) cl. eiusdem fr. 18 (45. B.) cum Hor. C. III, 4, 1 sq. Cfr. sub Homero nr. 3.

dubia:

C. I, 16, 1: e deperdita palinodia Helena. Cfr. sub Archilocho ad C. I, 16, 22 [14]).

---

sic, ut quinta pars nectaris quod Venus habet tribuatur osculis puellae mortalis. Sappho Athenaei XI. p. 463 E. (Bergk. u. 5.):

. . . . *Ἔλθε Κύπρι*
*χρυσίαισιν ἐν κυλίκεσσιν ἄβρως*
*συμμεμιγμένον θαλίαισι νέκταρ*
*οἰνοχοεῦσα*".

Verum ex his Sapphus versiculis nihil aliud edocemur nisi commune illud quod iam cognovimus in Commentario (p. 44.), amorem a poetis Graecis et Orientalibus saepe cum potu comparari Veneremque quodammodo nectar ministrare amantibus ad bibendum: quod ipsum quum in re communi versetur, non potest praestare id quod quaerimus, imitationem certi alicuius dicti ab Horatio esse factam; sed interpretationem praestat optimam atque eam quam supra proposui. Neque enim putaverim *quintam partem nectaris* ab eo simpliciter pro aliqua parte positam esse, quum decumanus certe numerus in hoc suavitatis genere proprius ac legitimus fuisse videatur. Quare haec nolui omittere, quamquam de imitatione nihil ausus sum affirmare.

14) Nam valde dubium est quod statuit Ritterus: „Stesichorus quum scripsit *παλινῳδίαν*, allocutus est Helenam pulcherrimam feminam eandemque filiam Ledae, quae ipsa perpulchra fuit et Iovis desiderio expetita est. Hinc prima Horatii verba ad exemplum Stesichori expressa existimo." Respexerit sane Horatius ad celeberrimum illud palinodiae exemplum, cuius et Acron scholiastes meminit et ipse Horatius Epod. 17, 42—44. et Ovidius A. A. III, 49 sq. multique alii mentionem faciunt; sed nunc nihil ultra licet affirmari. Quum enim Horatius exordia carminum a Graecis suis exemplaribus repetere atque iisdem fere non modo sententiis sed etiam verbis Latine reddere soleat (v. ad C. I, 18, 1.), hic Stesichorei carminis initium, quod servatum nobis



### 5. Ibycus Rheginus

probabili:

C. I, 25, 11—15: fr. 1, 6—10 (1, 6—11. B.). Cfr. sub Sappho.

dubia:

C. I, 19, 1—4: fr. 2, 1—3 (2, 1 sq. B.) cl. Hor. C. IV, 1, 1—7. cum eodem hoc toto fr. et Epl. I, 1, 8 (Ennio Ciceronis de sen. 5, 14., Tibull. I, 4, 31 sq.) cum eiusdem fr. vs. 3 sq. Cfr. sub Alcmane et Sappho.

### 6. Anacreon Teius

certa:

C. I, 23, 1—4: fr. 31 (52. B.).
- - 27, 1—8: fr. 40, 5—11 (64, 5 sqq. B.). cl. Hor. C. I, 18, 11 sq. et III, 19, 10—12 [15]).

probabili:

C. I, 18, 11 sq.: fr. 40, 5 sq. (64, 5 sq. B.) cl. Hor. C. I, 27, 3 sq. Cfr. sub Alcaeo.

dubia:

C. I, 19, 16: fr. 2, 6 sq. (2, 6 sq. B.).
- - 36, 15 sq.: fr. 34 (55. B.). Cfr. sub Alcaeo [16]).

---

est (fr. 11. Schn., 26. B.), nihil quidquam commune cum Horatiano habet praeter palinodiae formam, quam ipsam scholiastes dicebat ab illo acceptam.

15) Quod Ritterus Anacreontis versus „ab Horatianis dissimiles" esse iudicat, quod „Anacreon suos potores cantu leuire voluerit, Horatius alloquio et artibus a tumultu et rixa revocaverit," id si ideo adnotavit, ut imitationem factam esse negaret, aperte falsus est. Solet enim Horatius splendida exordia et illustres sententias fere iisdem verbis convertere, cetera autem Graecorum dicta sic solet imitari, ut, quum genus omnium verborumque vim respiciat et sequatur, singula suo modo dicat et ad suum consilium accommodet. Itaque pro consilio suo multa saepe immutavit etiam in iis quae apertissimo imitandi studio amplexus est. Atque hic quidem tam manifestam et verborum et sententiarum similitudinem servavit, ut, quamquam in singulis nonnulla immutavit, summam tamen imitationem nemini ‚docto sermones utriusque linguae' ambiguam reliquerit.

16) Quin Horatius in apii corollis celebrandis Graecum aliquem poetam secutus sit vix potest dubitari, sed dubium est quemnam

### 7. Pseudanacreon sive Anacreontea

dubia:

C. I, 6, 5—12. 17—20: 1, 1—4. 10—12. ed. vulg. Fisch. (23, 1—4. 10—12. B.) cl. Hor. C. IV, 15, 1—4.
- - 19, 12: 36, 3 sq. ed. vulg. Fisch. (50, 3 sq. B.).
- - 26, 1—3: fr. 2, 9—12. p. 259. ed. vulg. Fisch. (57, 9—12. B.).

### 8. Simonides Ceus

dubia:

C. I, 4, 13—15: fr. 34 (39. B.). Cfr. tamen sub Pindaro ad C. I, 4, 13. et sub Euripide ad C. I, 4, 15.
- - 28, 15: fr. 105, 2 (125, 2. B.) cl. Hor. A. P. 63. Cfr. sub Euripide et Menandro.

### 9. Pindarus Thebanus

certa:

C. I, 1, 3 sq.: fr. 242, 1 sq. (206, 1 sq. Bg.) [17]). Cfr. sub Homero.
- - 12, 1—3: Ol. 2, 8 sq.

probabili:

C. I, 7, 15—17: Pyth. 3, 104 sq.
- - 10, 3 sq.: Ol. 6, 79. cl. Pyth. 2, 10 (Isth. 1, 60) et Ol. 6, 69 (alibi).
- - 12, 45 sq.: Nem. 8, 40 sq. Cfr. sub Homero.

---

potissimum. Anacreontis versiculos cum Horatianis iam comparavit Muretus V. L. XVI, 18., qui bene animadverterat Graecis, non Romanis in more fuisse, ut in conviviis hilarioribus coronas ex apio necterent; Alcaeum nominavit Acron scholiastes ad C. IV, 11, 3. Cfr. in Excursu ad C. I, 38, 2. p. 163 sq. 169. 206.

17) Secus statuit Ritterus: „Consimiles sententias apud Graecos poetas legi, veluti apud Pindarum . . ., in eiusmodi argumento non mirum est: Flaccus tamen a servili imitatione ubique abhorrens et fecunda ingenii sui vena adiutus poema vere Romanum et omnibus partibus novum fecit.“ At fugit eum manifestum Horatii consilium, de quo dictum est ad h. l. et C. I, 18, 1.



C. I, 12, 46—48: Isth. 3, 41 sq. (4, 23 sq. Bgk.). Cfr. sub Sappho [18]).
- - 31, 1—15: Nem. 8, 37—39. Cfr. ad C. I, 12, 45.
- - 32, 14 sq.: Isth. 7, 1 sq. (8, 1 sq. Bgk.) cl. Pyth. 5, 106 sq. (5, 113 sq. Bgk.) (et alibi).
- - 34, 7 sq.: Ol. 4, 1. Cfr. sub Aeschylo [19]).

dubia:

C. I, 1, 4—6: Nem. 5, 41 sq. Cfr. supra ad C. I, 1, 3.
- - 2, 2 sq.: Ol. 9, 6. cl. vs. 45 sqq. (42 sqq. Bgk.) cum Hor. vs. 5 sqq.
- - 3, 25 sq.: fr. 5, 4 (6, 4. Bgk.). Cfr. sub Aeschylo.
- - 4, 13 sq.: Nem. 7, 19 sq. et 30 sq. cl. Hor. C. II, 18, 32—34. Cfr. sub Simonide ad C. I, 4, 13. et sub Menandro ad C. I, 28, 15.
- - 8, 15 sq.: Nem. 3, 57—59 (3, 59—61 Bgk.).
- - 9, 15 sq.: fr. 88, 1 (100, 1. Bgk.). At cfr. sub Euripide ad C. I, 9, 13.
- - 12, 13 sq.: Nem. 2, 1—3. cl. Ol. 2, 3. cum Hor. vs. 1 sqq. At cfr. etiam sub Arato.
- - 12, 19 sq.: fr. 112, 2 sq. (123, 2 sq. Bgk.).
- - 17, 1—14: ad exemplum hymni in Pana deperditi cl. fr. 63 (72. Bgk.).
- - 24, 16—18: Ol. 9, 33—35. Ad Hor. vs. 17. cfr. sub Homero et Euripide.
- - 26, 8: Pyth. 12, 5 (Ol. 6, 86. alibi). Cfr. sub Euripide ad C. I, 26, 6.

---

18) Quoniam totum hoc carmen Horatii Pindaricum quiddam sonat atque Pindaricae imitationis plenum est, probabiliter sane Dissenius p. 552. hanc Pindari potius comparationem a lucifero quam Sapphus illam a plena luna ductam Horatii animo obversatam esse statuit; sed fortasse Horatius ab hac comparationem ipsam, ab illo formam eius (λάμπει . . . θαητὸς ὡς ἄστροις ἐν ἄλλοις) mutuatus est, ut solet duorum dicta in unum conflare. Simili modo in C. I, 7, 15—19. formam sententiae ab eodem Pindaro, cui omnino plurima in ornatu orationis debet, ipsam autem sententiam ab Euripide repetiisse videtur. Complura alia id genus exempla vide in Commentario p. 112 sq. ad C. I, 28, 30. collecta. Cfr. etiam quae supra adnotavi not. 9.

19) Iterum duorum dicta in unum conflasse videtur.

C. I, 26, 9 sq.: Nem. 9, 10 sq. (et crebro).
- - 32, 2 sq.: Nem. 4, 6 sq. Cfr. sub Callimacho.
- - 35, 6: Ol. 12, 2 sq. Cfr. sub Aeschylo.
- - 35, 17: fr. 13 (17. Bgk.) cl. Eurip. Hel. 513 sq.

### 10. Bacchylides Ceus

dubia:

C. I, 15, 1 sq.: e carmine deperdito cl. fr. 23 (29. B.) teste quidem Porphyrione ad Hor. vs. 1., at cfr. sub Homero ad C. I, 15, 4—36.

## V. e tragicis poetis

### 1. Aeschylus Eleusinius

probabili:

C. I, 3, 18: Sept. 696.
- - 28, 30—33: Suppl. 433—437. Cfr. sub Homero.
- - 35, 11—14: Pers. 163 sq. cl. ib. vs. 159.

dubia:

C. I, 3, 19: Pers. 110 sq. Cfr. sub Homero.
- - 3, 25: Ag. 221. Cfr. sub Pindaro.
- - 22, 6 sq.: Prom. 20. cl. Hor. Epod. 1, 12.
- - 24, 19 sq.: Prom. 103—105. At cfr. sub Euripide.
- - 28, 16: e Telepho fr. 222 (252. Herm.) cl. Sept. 335. Cfr. sub Antipatro.
- - 34, 3 sq.: Ag. 219 (206. Herm.).
- - 35, 6: Ag. 664. Cfr. sub Pindaro.
- - 35, 18 sq.: Suppl. 440 sq. cl. ib. vs. 945 sq.
- - 35, 39 sq.: Choeph. 647.

### 2. Sophocles Coloneus

probabili:

C. I, 21, 1—12: Trach. 205—215.

dubia:

C. I. 7, 21—32: e Teucro tragoedia deperdita. Cfr. sub Euripide ad C. I, 7, 28 [20]).

20) Totus enim hic de Teucro locus e cognomini Sophoclis tragoedia, quam Pacuvius Latinam fecerat, probabiliter sane repetitus videtur Ritterο, qui haec adnotavit: „Teucrum Troia revertentem a patre Telamone male acceptum et exilio multatum



C. I, 8, 13—16: e *Σκυρίαις* fabula deperdita cl. fr. 497. et schol. ad Hom. Il. XIX, 326 (ed. Bekker. p. 526). Cfr. sub Euripide et Bione.
- - 24, 19 sq.: e Tereo fr. 521. At cfr. sub Euripide.

### 3. Euripides Salaminius

certa:

C. I, 29, 11 sq.: Med. 411. cl. Hesychio sub v. *ἄνω ποταμῶν* (Cic. ad Attic. XV, 4.) et Diogene Laert. VI. 36.
- - 34, 1—3: Bacch. 393 sq. cl. ib. vs. 1005—1009 (Heracl. 901—904). Cfr. Prooem. p. XV.
- - 34, 14—16: Herc. fur. 509—519. (Andromedae fr. 23, 3 sq. alibi) cl. Hor. C. III, 29, 49—54. Cfr. etiam infra ad C. I, 35, 2.

probabili:

C. I, 2, 41 sq.: Bacch. 4.
- - 4, 15: Alc. 799 (Bacch. 395., fr. inc. 45.) cl. Hor. C. I, 11, 6 sq. et IV, 7, 7. Cfr. sub Simonide.
- - 9, 9: Alc. 792 (Cress. fr. 12.). Cfr. sub Theognide et Archilocho.
- - 9, 13—16: Alc. 788—791. cl. Hor. Sat. II, 6, 93—97. cum Eur. l. c. vs. 782—789. Cfr. etiam ad C. I, 11, 7.
- - 11, 1—3: Heracl. 615—620 (Herc. fur. 1227 sq. alibi).
- - 11, 6 sq.: Alc. 799. Cfr. ad C. I, 4, 15.

Sophocles tragoedia nobilitaverat, Pacuvius Latine converterat; ex ea fabula locum singularem Horatius delegit ac pro suo consilio exornavit;“ sed e paucissimis Sophoclei Teucri reliquiis (fr. 506—508. D.) nunc nihil licet confici, videturque Horatius sua e Pacuviana potius quam e Sophoclea fabula hausisse. Namque illam Romanis multo notiorem fuisse colligimus e Ciceronis verbis de Orat. II, 46, 195. ‚cotidie eam agi‘ affirmantis. Quare, quum eadem res cum vaticinio Apollinis memoretur etiam ab Euripide in Helena vs. 86 sqq. et 148 sqq., plus quam dubium est num hunc ducem hic secutus sit Horatius. Ceterum cur Teucri potissimum exemplo tristem amicum consolari atque erigere studuerit, nunc idem Ritterus bene explicavit. Cfr. Breitenbachii recensionem in Diario antiquitatis 1857. nr. 14. p. 105.

C. I, 11, 7 sq.: Alc. 788 sq. Cfr. Hor. C. I, 9, 13 sqq. et quae alia similia utriusque dicta collecta sunt in Prooemio p. XVIII.
- - 18, 3—6: Bacch. 278—283 (ib. 337—384. 772.) cl. Hor. C. II, 11, 17 sq. Cfr. sub Alcaeo et infra ad C. I, 7, 17. et I, 18, 6.
- - 18, 6: Bacch. 773 sq. Cfr. ad Hor. C. I, 18, 3.
- - 19, 9: Hippol. 443. Cfr. sub Alcmane.
- - 24, 9 sq.: Alc. 263 sq. Cfr. infra ad Hor. vs. 13. et 17.
- - 24, 13 sq.: Alc. 357—360 (Iph. A. 1211—1214. Bacch. 551 sq. Med. 543.) cl. Virg. Ge. IV, 454 sqq. Cfr. ad Hor. vs. 9. et 17.
- - 24, 17: Alc. 259 sq. et fr. inc. 108, 4. cl. Hor. C. II, 17, 24. et II, 18, 30. Cfr. sub Homero.
- - 24, 19 sq.: Hel. 252 sq. (ib. 268 sq. Orest. 1023 sq. Phoen. 1762 sq. Andr. 1269 sq.) cl. Virg. Aen. V, 709 sq. et Donat. Vita Virg. c. 18. Cfr. sub Aeschylo et Sophocle.
- - 26, 6—8: Hipp. 73—77. cl. Lucret. I, 917—921 (IV, 1—5., Virg. Ge. IV, 291—293. al.). Cfr. sub Pindaro ad C. I, 26, 8.
- - 31, 17 sq.: Alc. 788 sq. (Bacch. 910 sq. crebro). Cfr. Prooem. p. XVII sq et sub Menandro.
- - 31, 19 sq.: Herc. fur. 676—679 (Erechth. fr. 13, 2—5.).
- - 35, 2—4: Inonis fr. 23, 2 sq. Cfr. infra ad C. I, 34, 12. et 14.

dubia:

C. I, 7, 17—19: Alc. 794—798 (Bacch. 280—282. alibi). Cfr. ad C. I, 4, 15. et I, 18, 3.
- - 7, 28 sq.: Hel. 148—150. At v. sub Soph. ad C. I, 28, 21.
- - 8, 13—16: e *Σκυρίαις* fabula deperdita cl. Andr. 108 (Iph. A. 836. alibi). Cfr. sub Soph. et Bione.
- - 12, 7—12: Bacch. 560—564. Cfr. sub Apollonio.
- - 15, 6—8: Iph. A. 58—65. cl. schol. Hom. Il. II, 339. et Virg. Aen. IV, 425 sq.
- - 27, 11 sq. 17. 21 sq.: Hippol. 392. 440. 507. 509 sq.



C. I, 28, 7: Orest. 8 sq.
- - 28, 8: Troad. 855 sq. Cfr. sub Hom. hymn.
- - 28, 15: Alc. 419 (782. Andr. 1272. Aeg. fr. 6, 1.) cl. Sat. II, 6, 94 sq. et A. P. 63. Cfr. sub Simonide et Menandro.
- - 28, 19 sq.: Alc. 74—76. cl. Virg. Aen. IV, 698 sq. Cfr. sub Homero ad C. I, 28, 7. et sub Apollonio ad C. I, 28, 19.
- - 31, 15 sq.: fr. inc. 111, 1. Cfr. sub Hesiodo.
- - 34, 12—14: Telephi fr. 25, 3 sq. (Hel. 712 sq. Andromedae fr. 23, 1 sq. alibi) cl. Hor. C. I, 35, 2 sq. At cfr. sub Hesiodo.

## VI. e comicis poetis

### 1. Aristophanes Atheniensis

probabili:

C. I, 33, 7 sq.: Pac. 1076.

dubia:

C. I, 34, 12 sq.: Lysistr. 772 sq. Cfr. sub Hesiodo et Euripide.

### 2. Anaxilas Atheniensis

probabili:

C. I, 27, 19. 23 sq.: Neottidis fr. 21, 1—9. 18 sq. Mein. ed. min. p. 670 sq. (ed. mai. 3, 347 sq.) cl. Lucilii Epigr. 88. in Anth. Gr. III. p. 47.

### 3. Menander Atheniensis

dubia:

C. I, 28, 15: fr. 525, 8. Mein. ed. min. p. 971. (ed. mai. 4, 233.) cl. Hor. C. I, 4, 13 sq. II, 18, 32—34. Cfr. sub Simonide et Euripide ad C. I, 28, 15. et sub Pindaro ad C. I, 4, 13.
- - 31, 17 sq.: Colacis fr. 287, 5—7. Mein. ed. min. p. 923 (4, 153. ed. mai.). At cfr. sub Euripide.

## VII. ex epicis elegiacis bucolicis epigrammaticis poetis Alexandrinis

### 1. Apollonius Rhodius

probabili:

C. I, 4, 7 sq.: Arg. III, 41 sq. Cfr. Meinekium ad Hor. l. c. in Praef. ed. alt. p. IV.

dubia:

C. I, 12, 7—12: Arg. I, 26—31. Cfr. sub Euripide.
- - 24, 2 sq.: Arg. I, 22. cl. Catull. 68 (66), 41—46.
- - 28, 19 sq.: Arg. I, 689. At cfr. sub Homero ad C. I, 28, 7. et sub Euripide ad C. I, 28, 19.

### 2. Aratus Soleus

probabili:

C. I, 12, 13—16: Phaenom. 1—18 [21]). Cfr. sub Pindaro.

### 3. Callimachus Cyrenaicus

probabili:

C. I, 3, 5—8: fr. 114. Blomf. cl. eiusdem Epigr. 4, 1. in Anth. Gr. I. p. 212 (Meleagr. Ep. 7, 2. ib. p. 5., Theocr. Id. 29, 5.).
- - 31, 8 sq.: Epigr. 46, 3 sq. Bentl. (6, 2 sq. in Anth. Gr. I. p. 213).

dubia:

C. I, 4, 7: hymn. in Del. 306. At vide Exc. ad Hor. C. I, 37, 1. p. 161.
- - 4, 13: hymn. in Apoll. 3. cl. Ovid. Met. II, 767 sq. Her. 21, 46.
- - 32, 2 sq.: fr. 121, 2. Bentl. Cfr. sub Pindaro.
- - 36, 13 sq.: fr. 109, 1 sq. Bentl.

### 4. Theocritus Syracusanus

probabili:

C. I, 12, 27—32: Id. 22, 17—20. cl. Hor. C. IV, 8, 31 sq. cum Theocr. vs. 17 sq. Cfr. sub Hom. hymn.

21) Comparat Ritterus, Horatium breviter complexum esse censens quae copiose exsequatur Aratus. Adde Meinekium in Praef. p. XVI. ad Hor. C. III, 1, 5—9.



dubia:

C. I, 7, 23: Id. 2, 121. Cfr. in Prooemio not. 15.
- - 13, 5—8: Id. 2, 82 sq. cl. Virg. Ecl. 8, 41. At cfr. sub Sappho.
- - 25, 9 sq. 13. 14.: Id. 23, 33 sq. [22])

### 5. Bion Smyrnaeus

probabili:

C. I, 15, 1 sq.: Id. 7, 10. Cfr. infra ad C I, 8, 13.

dubia:

C. I, 8, 13—16: Id. 7, 15—17. Cfr. sub Sophocle et Euripide.

### 6. Moschus Syracusanus

probabili:

C. I, 33, 5—9: Id. 6, 1—4 [23]).

dubia:

C. I, 1, 21 sq.: Id. 5, 11 sq. cl. Hor. l. c. vs. 30. C. IV, 3, 10 sq. Epl. II, 2, 77 sq.
- - 24, 5 sq.: Id. 3, 110 sq. cl. Hor. C. III, 11, 38. Cfr. sub Homero nr. 3.

### 7. Archelaus Chaeronensis

probabili:

C. I, 12, 57 sq.: Epigr. I, 4 (Anth. Gr. II. p. 57.) [24]).

### 8. Antipater Sidonius

dubia:

C. I, 28, 16: Epigr. 1, 3 (Anth. Gr. II. p. 5.). Cfr. sub Aeschylo.

22) Verba sunt sane simillima; verum haec trita fuit exclusorum amatorum imprecatio, cuius complura etiam alia exempla iisdem fere verbis vide in Anth. Gr. T. VII. p. 37. et T. X. p. 83. collecta a Iacobsio ad Asclepiadae Epigr. 18, 4. et Stratonis 35, 5. coll. Horat. Epod. 15, 23 sq., Propert. III, 15 sq. ed. Hertzb., Ovid. A. A. III, 69 sq.

23) Ritterus: „Exempla longe artificiosius ab Horatio iuncta quam a Moscho Idyll. 6, 1 sqq.“ Nempe hoc imitatoris est et saepe factum ab Horatio.

24) Similiter Virgilius Donati §. 69: *Divisum imperium cum Iove Caesar habet*, et Ovidius Met. XV, 858 – 860.

9. Diodorus Zonas Sardianus

dubia:

C. I, 28, 23—25: Epigr. 9, 1 sq. 7 sq. (Anth. Gr. II. p. 69 sq.) cl. Hor. vs. 3.

10. Philodemus Gadarenus

dubia:

C. I, 19, 1: Epigr. 24, 2 (Anth. Gr. II. p. 77.) cl. Hor. C. IV, 1, 5.

## VIII. ex historicis

### Herodotus Halicarnassensis

dubia:

C I, 22, 17—22: I, 142. init. cl. eiusdem II, 32. med. cum Hor. vs. 5. et Virg. Aen. IV, 41 sq. Adde Hor. C. III, 3, 55 sq. 24, 36—40. et Virg. Ge. I, 233—236.

## IX. e philosophis Socraticis

### Plato Aeginensis

probabili:

C. I, 34, 7 sq.: Phaedr. c. 56. p. 246. E. Cfr. sub Pindaro.

dubia:

C. I, 16, 13—16: Protag. p. 320. C. — 321 E. [25]).

- - 19, 3: Phaedr. c. 30 extr. p. 238. A. (ib. c. 66. p. 250. E, Xenoph. Mem. II, 1, 30 extr. alibi) cl. Cic. de Legg. II, 17, 42. Cfr. infra ad Hor. vs. 8.

- - 19, 8: Phaedr. c. 67. p. 251. B. cl. Hor. vs. 3.

25) Comparant Orellius et Duentzerus, sed vide quae dicta sunt in Commentario p. 56.

# Index Adnotationis.


Acinaces, ἀκινάκης 101.
acris militia, ὀξὺς Ἄρης 113., tibia, αὐλὸς λιγυηχής 39.
acutum gelu, ὀξὺ κρύος 32.
adventus veris 79.
aestuosus, αὐχμώδης 77.
albus Notus, Λευκόνοτος 28 sq.
ales, κύκνος = poeta 22.
amare, φιλεῖν = tenaciter servare 92.
amystis, ἄμυστις, πρόποσις 147.
apium ab aqua dictum 205., coronarium 203 sqq., crispum, σῦλλον σέλινον 205., lugubre 205 sq., udum, χλωρὸν σέλινον 205., victoriae ac felicitatis symbolum 206.; apii genera 203 sq. Cfr. sub v. σέλινον.
Apium graveolens 203 sq., hortense 204.
Apollo augur, Ἀπόλλων ὁ μάντις, Διὸς ὑποφήτης 7., insignis humerum pharetra, Ἀ. κλυτότοξος, εὐφαρέτρης 73., intonsus, Φοῖβος ἀκερσεκόμης 70., singularis Augusti custos ib. et 74.
arbor occulto aevo crescens 40 sq.
arena numero caret, ψάμμος ἀριθμὸν περιφεύγει 105.
Argos aptum equis, Ἄργος ἱππόβοτον 28.
aridae frondes = vieta senectus 94.
Atlanteus finis, τέρμονες Ἀτλαντικοί 134.
aula mortuorum, νεκύων αὐλή 88.
aurea, χρυσίον 21.
avis, ὄρνις, οἰωνός = omen 49.
Bacchus Amoris comes et adiutor 65 sq., curas dissipans, ὁ λυσιμελὴς Βάκχος 61., laetitiae dator, ὁ ἀγαθὸς δαίμων 170., poetici furoris auctor 203.; Bacchi sacra trieterica 63.
barbitos, ἡ βάρβιτος, τὸ βάρβιτον 122.
Bassareus Bacchi nomen 62.
bellum lacrimosum, πόλεμος δακρυόεις 74.
bibere amorem, ἔρωτα πίνειν 44. Adde Κύπριν νέκταρ οἰνοχοεῦσαν e Sapphus fr. 5. B.
candentes humeri, φαίδιμοι ὦμοι 7.
candida dies, λευκὴ ἡμέρα, λευκὸν ἦμαρ 150 sqq.; candidus calculus, lapillus 150. 153.
carpere, δρέπειν 38.
carum caput, φίλη κεφαλή 82.
cervae cornugerae, ἔλαφοι κερόεσσαι 78.
Charybdis = amor puellae rapacis 103.
Cheiranthus cheiri 192 sq. 196.
Chimaera = amor perniciosus 103 sq.
Chloë a v. χλόη dicta 79.
Chloris a v. χλωρὸς dicta 34.
clavo trabali figere 143 sq.; clavos adamantinos figit Necessitas ib.

cohibet pulvis, κατέχει κόνις 106.
cohors febrium, σμῆνος vel ἐσμὸς νόσων 14.
columna stans = imperii vel regiae felicitatis fastigium 142.
coma, κόμη vel φόβη = frons arborum 71.
confundere proelia, ταράσσειν πόλεμον 59.
Corinthus Graeciae lumen 24.
cornu copiae, κέρος Ἀμαλθείας 58.
corona laetitiae testis 170.; coronam nectere, στεφάνωμα πλέκειν, de carmine 98 sq.; coronae rosaceae 191.; coronarum mercatus ib.; coronarum convivalium origo 165. et usus 178 sq. 180.
coronamentum quid sit 179 sq.; coronamentorum genera praecipua 180 sq. 198.; coronamenta sacra 182.
coronariae 181. 191.
Corybantes 35.
crepare aliquid, λάσκειν τι 61.
crinem auferre vertice mortui, κατάρχεσθαι τριχός, ἀγνίζειν τρίχα 110.
crispum apium, οὖλον σέλινον 205.
cubare, ἧσθαι vel καθῆσθαι = leniter declivem esse 58.
cumque, ἀεί ποτε cum Partic. 125.
Cyrus = ὁ κύριός τινος ὤν 131.
Cytherea Venus 16.

dare alicuius, ἐγχεῖν τινος 102.
Daunia an Daunias 76.
debere ludibrium, ὀφλισκάνειν γέλωτα 47.
decumanus numerus in suavitatum descriptione 43.
defluere alicui, καταρρεῖν εἴς τινα 58.
Diana et Apollo coniunctis sacris culti 69., dii averrunci 69. 74.
Diana laeta fluviis, Ἄρτεμις ποταμία 71.
dicere, ᾄδειν, de epico carmine 21.; dicit barbitos, φθέγγεται ἡ φόρμιγξ 121.
dies candida, pulcra, λευκὴ ἡμέρα 146. 150 sqq.
Diespiter quasi Ζεὺς ὑψιβρεμέτης 133.
Dindymene 55.
Dioscuri tutelares, Διόσκοροι σωτῆρες vel ἄνακτες 9 sq.
diota, δίωτος στάμνος 33.
diis carus ipsis, φίλοις μακάρεσσι θεοῖσιν 117.
dividere carmen, μελίζειν ᾆσμα 50.
doctus, σοφός, de poetis 5., sagittas tendere, τόξων εὖ εἰδώς 114.
domus Plutonia, δόμος Ἄϊδος, δῶμ' Ἀΐδαο 18 sq.
dulcis amor, γλυκὺς ἔρως 33.; dulce ridere, γελᾶν ἱμερόεν 77.
duplex homo, διπλοῦς ἀνήρ 23.
durant carmina, μένει, βιοτεύει ποιήματα 120.

ebrius amore, μεθέων ἔρωτι 44.
eous, ἠῷος vel ἑῷος 145.
Ephesus Asiae lumen 24.
Evius Bacchi nomen 62.
examen, τὸ σμῆνος sive ὁ ἐσμός, nove dictum 145.

fabulae, μῦθοι, ἀνθρώπων φάτεις 18.
fames pestisque, λιμὸς καὶ λοιμός 74.
fata recludere 88 sq.
Faunus velox, Πὰν ὀρειβάτης 58.
ferreus somnus, χάλκεος ὕπνος = mors 85.
fervidus Amor, ὁ δριμὺς Ἔρως 115.
findere sarculo, τέμνειν ἀρότρῳ 3.
finis destinata Orci, ὅρος κείμενος = mors 89.
flava coma, ξανθὴ κόμη 20 sq.
flebilis mihi occidis, οἰκτρότατος ἔμοιγ' ἀπόλλυσαι 86.
flos, ἄνθος = rosa 187.



folia rosae, τὰ φύλλα τῶν ῥόδων, quid sint 168.
fores pulsare pede, θύρετρα ποδὶ ἀράσσειν 17.
Fortuna clavum tenet 141., cum Iove copulari solita 136., Iovis filia 137 sq., Iovis πλουτοδότου ministra 141., Iovis trutina utitur 138., Parcarum potentissima 143., volucris 136.; Fortunae gaudium et lusus 136 sq., Fortunae quasi annuae commutationes 139.
fragrantia oscula 44.
fraus, ἄγος 111., natis nocitura ib.
frons pro hederacea fronde 203.
frons libri 26.
fruendi ars Euripidea est 117.
furiari, ἱππομανεῖν 93.

genibus tremit, ὑποτρέμει γυῖα 79 sq.
genus, γένος = filius 13.
Glycera = γλυκὺς ἔρως 64.
gradus mortis 11.
Graecus bibendi mos 101 sq.
grandes poetae qui 21.
grata compes 131. Adde δίκτυα Κύπριδος ex Ibyci fr. 2, 2.
Gratiae iunctae, Χάριτες συζύγιαι 16., solutis Zonis, Χάριτες ἀχίτωνες 115.
grex niger, ἔθνεα νεκρῶν, ἀμαυροὶ νέκυες 89.

habent Tartara, κατέχει γαῖά τινα 107.
hedera chrysocarpus 199 sq., coronaria 199 sq. 202., poetica 200., poetarum praemium 203.; hederae genera 199 sq., pulcritudo 200.; hederis ambitiosior 149. Cfr. sub v. κισσός.
hederacea corona lyrico carminum generi apta 5. 203.
Hercules, ὁ σωτὴρ Ἀλκείδης 40., vagus 29.
Herculea frons 207.; Herculeus labor 14.
honores, τιμαί = carmina 99.

ianua leti, i. nigra 89.
iecur, ἧπαρ, affectuum sedes 42.
imago = ἠχώ 39.
immane quantum, οὐράνιον ὅσον 101.
immitis Glycera, πικρὸν Γλυκέριον 128.
impedire caput floribus, πυκάζεσθαι στεφάνῳ 17.
incola Pythius 55.
Indicae coronae 167.
inebriatus fortuna, μεθύων τῇ τύχῃ 157.
infandum caput, μιαρὰ κεφαλή 82.
infula sacerdotum quid 175.
inhospita Syrtis 77.
inhospitalis, ἄξενος, ἀπάνθρωπος 75.
insaniens sapientia, τὸ σοφὸν = ἡ ἄσοφος σοφία 131 sqq.
iugum amantium, ζεῦγος ἐρωτικόν 130., pariter ferre, ἴσῳ φέρειν ζυγῷ 144 sq.
iunctae Gratiae, συζύγιαι Χάριτες 16.
Iuppiter alato curru vehens 133., = coelum, aether 4. 139., Musarum principium 39., supremus, Ζεὺς ὕπατος, ὕψιστος 70., tremendo ruens tumultu, Ζεὺς καταιβάτης 55.
Iuventas Veneris comes 115 sq.

labor Herculeus, βίη Ἡρακληείη 14.
Lacedaemon patiens 28.
lacrimosa funera 31.
lapillus candidus 150. 153.
Larissa opima, Λάρισσα ἐριβῶλαξ 28.
lasciva Licentia, ὕβρις 66.
Latous, Λατῶος 118.
laurea magna poetarum corona 203.
lemnisci coronarnm 174 sqq.
lenimen laborum, λύτρον καμάτων, de carmine 124 sq.

leves poetae qui 21.
lilium coronarium 197 sq., Iunonis flos 197.
Lilium candidum 197.
liquescere de amantibus 148 sq.
liquida vox Musarum, *Μοῦσα λιγεῖα* 83 sq.; liquidum citharae carmen, *λιγυρὰ ἀοιδή* 85.
loquax testudo, *ἡ λάλος φόρμιγξ* 121.
lubrica vis venustatis, *τοῦ κάλλους ἡ ἀπορροή* 67 sq. 148 sq.; lubricus voltus 67.
ludere, *παίζειν*, de quovis carmine 119 sq.
lymphaticus pavor, *δεῖμα Πανικόν* 157 sq.
lymphatus, *νυμφόληπτος* 157.

mala frans, *κακὴ ἀπάτη* 13.
manare alicui, *ἐπιρρεῖν τινι* 58.
marmoreus, *λύγδινος* 67.
Matthiola incana 192 sq. 195 sq.
matura viro, *πέπειρος* 80.
mel decima pars nectaris 43.
Mercurius deorum nuncius, *Ἑρμῆς ὁ θεῶν κῆρυξ* '35., facundus, *Ἑ. λόγιος* 34 sq., lyrae parens 35., palaestrae inventor, *Ἑ. ἐναγώνιος* 35., Veneris comes 116. Cfr. sub. v. *Ἑρμῆς*.
morbus, *νόσος* sive *πάθος* 156.
mordaces sollicitudines, *θυμοδακεῖς μελεδῶνες* 61.
mordet amnis, *ὑποτρώγει ποταμός* 116.
mors atra, *μέλας θάνατος* 108., in undis illata atrocissima 106.; mortis gradus 11.
mortale corpus 140.
movere arcana, *κινεῖν ταπόρρητα* 62., deum, *κινεῖν θεόν* ib., sacra, *κινεῖν τὰ ἱερά* ib.
multi meri, *πολυπότης* 146 sq.
Mycenae dites, *πολύχρυσος Μυκήνη* 28.
myrtea corona amatorio carminum generi apta 185.
myrtus coniugula 184., coronaria 182 sqq., cum rosis saepe coniuncta 185., frons Veneris 184., latifolia ib., *μυρσίνη* a v. *μύρον* vel *μύρρα* dicta 183., Paphia 184., poetarum veterum 183 sq., viriditatis ac venustatis symbolum 183.; myrtorum mercatus, *αἱ μύρριναι* 182.
Myrtus communis 184.
Musae *ἀρχεσίμολποι* 83 sq.; Musarum hortus, *Μουσῶν κῆπος* 96 sq., fontes integri 98.; Musis amicus, *φίλος Μούσαις* 95.
multus fluens, *πολὺς ῥέων* 26 sq.
Mytilenae exulantium eruditorum sedes 24.

Naucratica corona, *ὁ Ναυκρατίτης στέφανος* 164. 185.
nefas = quod vetant leges Iovis 91.
Nereus senex marinus et fatidicus 48.
niger calculus, lapillus 153.
nitere forma, *κάλλει στίλβειν, λάμπειν* 21.
nodus crinium 201 sq.
non alius = idem 146.
nonne vides, *οὐχ ὁράᾳς*, increpandi formula 47.
nunc tempus erat, *νῦν ἄρα καιρὸς ἦν* 155 sq.
nutrix leonum, *μητὴρ θηρῶν, θρέπτειρα λεόντων* 76.

obruere otio, *καταβρέχειν σιγῇ* 49.
oculus amoris via 67 sq.
Orco demittere, *Ἅιδι προϊάπτειν* 107.
oxymora, quale est *insaniens sapientia* 132 sq.

pactilis corona 166.
Pallas a Iove proxima 39.
pallor in floribus quid 194 sq.
Pario marmore purius, *Παρίου λίθου λευκότερον* 67.
paupertas industriae ac virtutis parens 40.
peccare, *ἁμαρτάνειν*, de amoris culpa 102., alicui, *ἁμαρτάνειν τινί* 130.
pellere pede terram, *πλήσσειν ποδὶ οὖδας* = saltare 161.
penitus diligere, *περὶ κῆρι φιλεῖν* 70.
percutere carmen, *ἀράσσειν, κρέκειν μέλος* 50.
perpetuus sopor, *ἀτέρμων ὕπνος* = mors 85.
Persarum vinolentia 101.
philyra nexae coronae, *φιλύρας στέφανοι* 162. 167 sq.
Pimplea = Musa 99.
plectilis corona 166.
plurimus legor 26 sq.
poetae graudes, leves 21.
ponere freta, *παύειν τὰ κύματα* 11.
populea frons virorum fortium coronamentum 207.
populus alba Herculi sacra 207.
portentum, *πέλωρον, τέρας* = *μέγα χρῆμα θηρός* 76.
poscor, poscimur 119.
praeceps Africus, *Ζέφυρος λάβρος ἐπαιγίζων* 11.
praecipere cantum 83.
praeponere fronti 25 sq.
pratum poesis sive Musarum, *λειμὼν Μουσῶν* 26. 96 sq.
proferre diem Ilio 52.
profugi Scythae, *Σκυθῶν οἱ νομάδες* 141.
protervitas, *λαμυρία* 67.
pulcra dies, *λευκὴ ἡμέρα* 146. 152 sq.
pulsare pede tellurem, *πλήσσειν ποδὶ οἶδας* = saltare 154. 161.
purpureus fulgor in floribus quid 194 sq.
putres oculi, *ὑγρὰ* vel *ταχερὰ ὄμματα* 148.
quatere deum = quatiendo thyrso colere, *ἀναβασσαρεῖν* 62 sq. 100., pede terram, *ῥήσσειν πόδεσσι πέδον* = saltare 161., thyrsum, *ἀνατινάσσειν θύρσον* 63.
quid si cum Conj. 86 sq.
quinta pars Nectaris 42 sqq.

regina, *ἄνασσα, δέσποινα*, de diis *ἐγχωρίοις* 115.
religare crines, *ἀναδεῖσθαι χαίτας, παραμπυκίζειν κόμην* 171. 201 sq.
rex pueritiae = paedagogus 145.
Rhode a v. *ῥόδον* dicta 80.
Rhodus exulantium eruditorum sedes 24.
ridens Erycina, *φιλομμειδὴς Ἀφροδίτη* 7.
rosa coronaria 185 sqq., Cupidini sacra 185 sq., laetitiae ac voluptatis signum 186 sq., rex florum 185., veterum poetarum 189.; rosae laudes 185. 189. 194., nomen 186., regnum inter bibendum 187.; rosae autumnales 190., festinatae 190 sq., hibernae 182. 190., praecoces 189., serae 190., sutiles 168 sq., vernae 189.; rosarum genera 188 sq.; rosas spargere 177.; in rosa, *ἐν ῥοδοπνόοις στρώμασιν* 20., in rosa iacere, *κοιμηθῆναι ἐπὶ ῥόδων* ib., in rosa potare, *ἐν ῥόδῳ πίνειν* ib. et 177., in aeterna rosa vivere 187.; sub rosa dicere 186.
Rosa autumnalis odorata 190., centifolia 188 sq., Damascena 190., Gallica 188 sq, moschata 189., pallida 190.
rosaria 188., biferi rosaria Paesti ib.
rosarii 190.

saeva Necessitas, *δεινὴ Ἀνάγκη* 40. 143., s. Proserpina, *ἐπαινὴ Περσεφόνεια* 110.
salve mihi, *χαῖρέ μοι*, sollemnis in hymnis perorandi forma 126 sq
saucia navis, *ναῦς τετρωμένη* 47.
scolia quid sint 122.
Scythae profugi, *Σκυθῶν οἱ νομάδες* 141.
secare mare, *τέμνειν πέλαγος, θάλασσαν* 3.
si, *εἰ, εἴποτε*, in precationibus 119.
sic, *οὕτως*, in obtestationibus 9.; sic placitum, visum superis, *τοῦτο φίλον μακάρεσσι θεοῖσιν* 130.
sicci oculi, *ξηρὰ ὄμματα* 12.
sodalis (hiemis), *ἑταῖρος, συνήορος* 94.
Spes Fortunae comes, *Ἐλπὶς Τύχης ἑταίρα* 144.
spes longa, *εὐρεῖαι, μακραὶ ἐλπίδες* 18.
sublimis, *μετέωρος* = elatus gloria 5 sq.; sublimi anhelitu, *μετεώρῳ πνεύματι* 52. Adde *τὸ πνεῦμ' ἄνω ἔχειν* cl. Meinekio ed. alt. Praef. p. VII.
sumere cyathum alicuius, *λαμβάνειν ἐπίχυσίν τινος* 102.
sutilis corona, *ῥαπτὸς στέφανος* 166.; sutiles rosae 167 sqq
Syrtes aestuosae, *χωρία αὐχμώδη* 77.

taeniae coronarum 172 sq. 175.
Telephus, *Τήλεφος* = pulcritudine late splendens 42.
Tempe amoenissima 24.
tempestiva viro, *ἀνδρὸς ὡραία* 80.
tepere viro, *ἐνθάλπεσθαι ἔρωτι* 19.
ter quaterque beati, *τρὶς μάκαρες καὶ τετράκις* 45.
Terpander barbiti inventor 122.
testudo grata dapibus, *φόρμιγξ δαιτὸς ἑταίρη* 124.
Thaliarchi nomen 34.
Thebani agri viriditas 24.
Thracum compotatio 100 sq.
Threicius, *Θρηίκιος* 87.; Threicia amystis, *Θρᾳκία ἄμυστις, πρόποσις* 147.
Thyoneus, *Θυωνεύς*, Bacchi cognomen 59.
torret amor, *ὀπτᾷ ἔρως* 129.
torvus Mars, *βλοσυρώπης Ἄρης* 109.
trahere navem, *καθέλκειν ναῦν* = deducere 15.
tundere pede terram, *πλήσσειν ποδὶ οὖδας* = saltare 161.
tunica, *χιτών* = ferrea tunica 23.

udum apinm, *χλωρὸν σέλινον* 205., u. litus, *ὑγρὰ ἀκτή* = *ἁλίκλυστος* 123.
Ulixes domitor Troiae, *Ὀδυσσεὺς πτολιπόρθιος* 51.
urere, *φλέγειν* = flammis replere 16 sq.; urit amor, *ἐκκαίει ὁ ἔρως* 66.
urgere (puellam), *ἐρείδειν, θλίβειν* 20., (regionem), *πιέζειν* 77.
uva immitis, *ὄμφαξ* = immatura puella 80.; uvis passis aridior, *ἀσταφὶς* = vetula ib.

vacuus aër, *ἐρήμη αἰθήρ* 14.
vana imago, *εἴδωλον καμόντος* 87.
vela retrorsum dare, *παλινδρομεῖν, ἀνατρέχειν* = sententiam mutare 133.
ventis portandum trado, *αὔραις φέρειν δίδωμι, ἀνέμοις φέρεσθαι παραδίδωμι* 95 sq.; ventorum pugna 3 sq. 11. 33.
Venus marina, *Εὔπλοια, Ποντία* 9.
via leti, *οἶμος, ἀτραπὸς Ἄιδου* 108 sq.
vices = poenae 112.
vinum mentis speculum, *οἶνος κάτοπτρον νοῦ* 63 sq.
viola alba, *λευκόιον* 193., lutea, *ἴον κρόκεον* 194 sq., nigra, *ἴον μέλαν* 192 sq. 195., pallens, *λευκὸν ἴον* 193 sq., purpurea, *ἴον πορφυροῦν* 192.; viola, *ἴον* simpliciter = alba viola, *λευκόιον* 195 sq.; unde alba seu pallens dicta sit 194.; alba v. Ioni, nigra Proserpinae consecrata 197.; violae coronariae ib.; violarum genera 191 sqq.; violis Dionysia celebrati et Lares coronati 197.
Viola odorata 192.
violaceus color 193.
violaria, *ἰωνιαί* 188. 193. 196.
virens, *χλωρός*, de homine 33 sq.
virgo saevis inimica beluis, *Ἄρτεμις ἰοχέαιρα, θηροκτόνος* 40.
virtutes sorores, *καοίγνηται* 85.
vitreus, *ὑάλινος* 59.
vivunt (carmina), *βιοτεύει, ζῇ* 120 sq
volucre Fatum, *πτερωτὸς Ἄιδης* 88.
vulnus habere, *τραῦμα ἔχειν*, de amantibus 102.

---

*Ἀγαθὸς δαίμων* = *ὁ Διόνυσος* 170.
*αἴσακος* quid 171.
*ἀκεροσεκόμης Φοῖβος* 70.
*Ἀλκείδης ὁ σωτὴρ* 40
*Ἀμαλθείας κέρας*, copiae cornu 58.
*ἁμαρτάνειν τινί*, peccare alicui 130.
*ἄμυστις* 147.
*ἀναδεῖσθαι χαίτας*, religare crines 202.
*ἄνακτες* = *Διόσκοροι* 9.
*ἀναπλέκεσθαι τὰς τρίχας*, substringere crines 202.
*ἀνάπτεσθαι ἐθείρας*, religare crines 202.
*ἀνατρέχειν*, consilium mutare 133.
*ἀνέμοις φέρεσθαι παραδίδωμι*, ventis trado portare 96.
*ἄνθεμα*, flores, cantilena popularis 206.
*ἄνω ποταμῶν* proverbium 114.
*ἀποδρέπειν ἥβης καρπόν* 38.
*ἀπορροὴ κάλλους* 68.
*ἀράσσειν μέλος*, percutere carmen 50.
*ἀργυρότοξος Ἀπόλλων* 73.
*Ἄρτεμις Ὀρτυγία* 72 sq.
*ἄσταφις*. puella exsuca 80.
*αὔραις φέρειν δίδωμι*, ventis trado portare 95.
*Ἀφροδίτη Εὔπλοια, Ποντία* 9.
*Ἀχελῴου κέρας*, cornu copiae 58.

*Βάκχος ὁ λυσιμελής* 61.
*βασιλίνδα παίζειν* 146.
*βασσάραι* 62.
*βιοτεύει ῥῆμα* 120.

*γελᾶν ἱμερόεν, λιαρόν* 77 sq.
*γλυκὺς ἔρως, ἵμερος* 64.

*δεικνύναι τὰ ἱερά*, sacra in profanorum conspectum proferre 62.
*Διόσκοροι ἄνακτες, σωτῆρες* 9 sq.
*διπλοῦς ἀνήρ* 23.
*δρέπειν ἥβην* 38.

*ἑκηβόλος Ἀπόλλων* 73.
*ἕλαφοι κερόεσσαι* 78.
*ἑλειοσέλινον* 203 sq.
*ἐνθάλπεσθαι ἔρωτι*. tepere viro 9.
*ἐπαιγίζειν* de vento desuper irruente 11.
*Ἐπικούριοι* = Apollo et Diana 69. 74
*ἐπιρρεῖ* (*ὄλβος τινί*), defluit, manat 58.
*ἐπιφλέγειν*, urere = flammis replere 16 sq.
*ἐπίχυδίν τινος λαμβάνειν* = sumere cyathum alicuius 102.
*Ἑρμῆς Διὸς ἄγγελος* 35., *ἐναγώνιος* ib., *θεῶν κῆρυξ* ib., *κλέπτης* ib., *λίγιος* 34 sq., *ποικιλομήτης* 35., *χθόνιος* 36., *χρυσόῤῥαπις* 37., *ψυχοπομπός* 36.
*Ἔρωτες τοξόται* 102.
*ἑσμὸς νόσων*, agmen morborum 14.

*ζεῦγος ἐρωτικόν, φίλιον* 130.
*Ζεύς* = *ἀὴρ δῖος, αἰθήρ* 4. 139., *ὁ*

*κτήσιος* 111., *ὁ πλουτοδότης* ib., *ὁ ὑέτιος καὶ αἴθριος* 4.

*Ἡρακλῆς ὁ ἡγεμών* 29.
*ἧσθαι*, cubare, de declivi regionum situ 58.

*θάλπεσθαι ἔρωτι*, tepere viro 19.
*θεοείκελος* 23.
*θύρετρα ποδὶ ἀράσσειν*, fores pede pulsare 17.
*Θυωνεὺς* Bacchi nomen 59.

*ἴον*, vide sub v. viola.
*ἰοστέφανοι Ἀθῆναι* 197.
*ἰωνιαί*, violaria 188. 193. 196.

*καθῆσθαι*, cubare = leniter declivem esse 58.
*καταβρέχειν σιγῇ*, obruere silentio 49.
*καταιγίζειν* de ventis 11.
*καταρρεῖν εἴς τινα*, defluere alicui 58.
*κατέχει, κέκευθε κόνις τινά*, cohibet pulvis, de mortuo ac sepulto 106.
*κινεῖν θεόν*, movere deum 62., *τὰ πόρρητα*, arcana movere ib., *τὰ ἱερά, τὰ μυστήρια* ib.
*κισσὸς Διονύσιος* 199., *κροκόεις* 199 sq., *πνεῖμα μανίας ἔχων* 203., *χρυσόκαρπος* 199 sq. Cfr. sub v. hedera.
*κίσσινος στέφανος* 202.
*κοινὸς Ἅιδης, θάνατος* 17.
*Κυθέρεια Ἀφροδίτη* 16.
*κύκνος*, ales = poeta 22.; *κύκνου ἀοιδότερος* ib.

*λάλος φόρμιγξ*, loquax testudo 121.
*λευκόιον = λευκόιον μήλινον* 195.; unde dictum sit 192. Cfr. sub v. viola.
*λίγειαι* Musarum cognomen 83 sq.
*λίνος* carmen lugubre 84.
*λίγδινος*, marmoreus 67.

*μεθύειν ἔρωτι*, ebrium esse amore 44.
*μελίζειν ᾄσμα*, dividere carmen 50.
*μένει ποίημα*, durat carmen 120.
*μετέωρος*, sublimis = elatus gloria 5 sq.; *μετεώρῳ πνεύματι = τὸ πνεῦμ' ἄνω ἔχων* 52. cl. Meinekio in Praefat. ed. alt. p. VII.
*Μοῖσα λίγεια*, arguta 83 sq., *Μουσῶν κῆπος, λειμών* 97.; *Μούσαις φίλος* 95.
*μῦθοι*, fabulae = res fabulosae 18.
*μυρσίνη* a. v. *μύρον* vel *μύρρα* dicta. Cfr. sub v. myrtus.

*ξαίνει ποταμός*, radit vel stringit amnis 116.
*ξηρὰ ὄμματα*, sicci oculi 12.

*ὄμφαξ*, puella immatura 80.
*ὀπτᾶν*, torrere, de amoris desiderio 129.
*ὅρος κείμενος*, finis destinata = mors 37. 88 sq.
*οὐχ ὁράᾳς*, nonne vides, in increpationibus 47.
*ὀφλισκάνειν γέλωτα*, debere ludibrium 47.

*παλινδρομεῖν* de consilii mutatione 133.
*παρακλανσίθυρον* quid 92.
*παραμπυκίζειν κόμην*, in comptum nodum religare comam 171. 202.
*περὶ κῆρι φιλεῖν*, penitus diligere 70 sq.
*περιδέραιοι στέφανοι = ὑποθυμίδες* 165.
*περιθέσθαι στέφανον* 26.
*πιέζειν*, urgere, de regionibus 77.
*πίνειν ἔρωτα*, bibere amorem 44., *πρὸς βίαν*, invitum bibere 160.
*πλήσσειν ποδὶ οὖδας*, pulsare pede terram = saltare 161.
*πολὺς λέγω, ῥέω, ὑμνοῦμαι* 26 sq.
*πονεῖν πρὸς βίαν* 160 sq.
*Προστατήριοι* = Apollo et Diana 69.
*πτερωτὸς Ἅιδης*, volucre Fatum 88.
*πυκάζεσθαι στεφάνοις* 17.

*ῥήσσειν πέδον πόδεσσι*, pulsare, quatere pede terram = saltare 161.
*ῥέδον* unde dictum sit 186.; *ἐν ῥόδῳ πίνειν*, potare in rosa 20. 177.; *ἐπὶ ῥόδων κοιμηθῆναι*, in rosa esse, iacere 20. Cfr. sub v. rosa.
*ῥοδόπνοα στρώματα* 20.

*σέλινον*, apium 203 sqq., *ἀείφυλλον* 204., *εὔοδμον* 205., *θάλλον* 204, *καλὸν* 206., *κηπαῖον* 203 sq., *ξηρόν* 205., *οὖλον* ib., *πολύγναμπτον* ib., *χλωρόν* 204 sq.; *σελίνων οὐλότερον* 205.; *οὐδ' ἐν σελίνοις εἰσί*, proverbium 204. Cfr. sub v. apium.
*σιδηρόφρων ἀνήρ* 10.
*σμῆνος κακῶν*, agmen malorum 14.
*σοφός*, doctus = poeta 5.
*στέφανος Ναυκρατίτης* 164. 185., *φιλύρινος* 167 sq.; *στέφανον περιθέσθαι* 26.; *στέφανοι περιδέραιοι* 165.; *στεφάνοις πυκάζεσθαι* 17., *ἐν στεφάνοις εἶναι* 20. Cfr. sub v. corona.
*στεφάνωμα* = carmen 98.; *στεφανώματα φυλλώδη καὶ ποιώδη*, coronamenta folio et herba 180.
*στεφανωματικὰ ἄνθη*, flores coronarii 180.
*στυγερὸς σκότος*, mortis umbra 88.; *στυγερὰ ὁδός*, via leti ib.
*συμπιεῖν κναθιζομένους* Graecus bibendi mos 101 sq.
*συνταράττειν τὰ ἱερά*, disturbare sacra 62.
*ταράττειν πόλεμον*, confundere proelia 59.
*τέμνειν ἀρότρῳ*, findere sarculo 3., *θάλασσαν, πέλαγος*, secare mare ib.
*τιμαί*, honores = carmina 99.
*Τύχη σώτειρα* 141.; *Τύχης παίγνιον, τέρψις* 136. Cfr. sub v. Fortuna.

*ὕβρις*, lasciva licentia 66.; *ὕβρει προσομιλεῖν*, in venerem effusum esse ib.
*ὑβρίζειν*, in venerem ruere 66.
*ὑδροσέλινον* 204.
*ὑποθυμίδες* vel *ὑποθυμιάδες* coronarum genus 166 sqq.
*ὑποξύει ποταμός*, radit amnis 116.
*ὑποτρώγει ποταμός*, mordet amnis 116.

*φθέγγεται μέλος ἡ φόρμιγξ*, barbitos dicit carmen 121.
*φιλεῖν*, amare = tenaciter servare 92.
*φλέγειν*, urere = flammis replere 16.
*φόρμιγξ ἑπτάγλωσσος* 122.
*φύλλα ῥόδων*, folia rosae, quid sint 168.

*χαῖρε*, salve mihi, sollemnis in hymnis peroratio 126 sq.
*χαλκεοκάρδιος ἀνήρ* 10.
*χαλκοχίτων*, tunica tectus 23.
*Χάριτες ἀχίτωνες*, solutis Gratiae zonis 115., *συζύγιαι*, iunctae Gratiae 19.

*ὡραία ἀνδρός, γάμου*, tempestiva viro 80.

# Errata.

Pag. XVII. vs. 15. lege Eurip. fr. Alcm. 7. pro Eurip. Alcm. 8 sq.
„ 3. vs. 29. lege ad vs. 29. pro ad vs. 22.
„ 5. vs. 9 sq. lege Simonid. fr. 131, 4. pro Id. ep. 50, 4.
„ 7. vs. 36. lege 289 pro 283.
„ 10. vs. 22 sq. lege Il. II, 490. XXII, 357. pro Il. X, 357. XXIII, 357.
„ 11. „ 15 sq. lege ab Homero pro ex Homero.
„ 12. „ 17. lege Hesiod. Th. 109 pro Hesiod. Th. 106.
„ 20. „ 24. lege ap. Ovid. pro ad Ovid.
„ 22. „ 18. lege ἀοιδότερος pro ὠδικότερος.
„ 22. „ 37. lege C. II, 12, 10 pro C. , 12, 10.
„ 30. „ 13. lege XX, 18 pro XX, 21.
„ 34. „ 15. lege facta pro ficta.
„ 36. „ 31. lege 566 pro 563.
„ 40. „ 24. lege vs. 31 pro vs. 32.
„ 52. „ 9. lege Meinekius pro Meineckius.
„ 65. „ 26. lege comissationes pro commissationes.
„ 66. „ 16. lege 250. e. pro 250. c.
„ 68. „ 6. lege ἀπορροὴν pro ἀπορρόην.
„ 77. „ 9. lege αὐχμωδες pro αὐχμῶδες.
„ 83. „ 10. lege erui pro grui.
„ 84. „ 27. lege obversatum pro observatum.
„ 88. „ 16. lege occubat pro occupat.
„ 99. „ 33. lege ab Anacreonte ex pro ex Anacreonte in.
„ 109. „ 10. lege Epigr. 1, 3 pro Epigr. 1, 2.
„ 109. „ 16. lege Minoem citius pro Mino acitus.
„ 109. „ 38. lege Propert. II, 22, 30 pro Propert. II, 18, 30.
„ 110. „ 4. lege Aen. IV, 698 pro Aen. VI, 698.
„ 110. „ 5. lege illi pro iili.
„ 121. „ 15. lege cantavi pro cartavi.
„ 126. „ 5. lege consuetudine pro consuetudinem.
„ 131. „ 8. lege Cyri pro Cypri.
„ 133. „ 35. lege ὡς pro ὢν.
„ 142. „ 22. lege Fortuna pro Fortunae.
„ 165. „ 25. lege μηχανησάμενοι pro μηχανησάμετοι.
„ 166. „ 4. lege περιδεραίους pro περιδεραίας.
„ 171. „ 35. lege not. 29. pro not. 27.
„ 177. „ 6. lege ἄμαρ pro ἦμαρ.
„ 177. „ 14. lege Anacreonteis pro Anacreontis.

---


Im Verlage der **Buchhandlung des Waisenhauses** erschienen früher:

Bibliotheca Scriptor. Latinor., curis virorum doctorum emendata et commentariis instructa, consil. G. Bernhardy instituta. Pars I. M. Tullii Ciceronis libri. Tom. I. Brutum contin. gr. 8. 838. 1 Thlr.

Auch u. d. Titel:

Ciceronis, M. Tullii, Brutus. Emendavit et commentariis instruxit Henr. Meyer.

— — Pars V. C. Cornelii Taciti opera. Tom. I. II. gr. 8. 841—47. 4 Thlr. $7^1/_2$ Sgr.

Auch u. d. Titel:

Taciti, C. Cornelii, opera. Emendavit et commentariis instruxit Lud. Doederlein. 2 Tomi.

Caesaris Commentarii de bello Gallico. Recensuit et illustravit C. E. Ch. Schneider. P. I. II. fasc. 1. 2. 3. C. J. Caesaris commentariorum de bello Gallico libr. I.—VII. continens. gr. 8. 840. 52. 4 Thlr. 15 Sgr.

Ciceronis, M. Tullii, Opera omnia, ex recensione J. A. Ernesti, cum varietate lectionis Gruterianae et clave Ciceroniana. Accedit praeter fragmenta nuper in Italia reperta editionum Oxoniensis et Neapolitanae codicumque ad has collatorum lectionis diversitas. Ed. nov. V Tomi. 8. ($363^7/_8$ Bogen nebst 3 Kupfertafeln.) 820—824.
Ladenpreis . . . 7 Thlr.
Herabgesetzter Preis 4 „

— — Cato maior s. de senectute dialogus. Sprachlich und sachlich erläutert von Gust. Tischer. gr. 8. 847. $17^1/_2$ Sgr.

— — orationes selectae XIII. Editio XIX. emendatior. (Edid. Dr. F. A. Eckstein.) 8. 849. 15 Sgr.

Eckstein, F. A., Prolegomena in Taciti, qui vulgo fertur, dialogum de oratoribus. Subiiciuntur Annales scholae latinae Halensis. 4. 835. 15 Sgr.

Göttling, K. W., Geschichte der Römischen Staatsverfassung, von Erbauung der Stadt bis zu Cäsars Tod. Mit einer lithograph. Tafel. gr. 8. 840. 3 Thlr. 15 Sgr.

— — Funfzehn Römische Urkunden auf Erz und Stein, nach den Originalen neu verglichen und herausgegeben. gr. 4. 845. 2 Thlr.

— — gesammelte Abhandlungen aus dem classischen Alterthume. Nebst drei lithogr. Tafeln. Erster Band gr. 8. 851. broch. 2 Thlr. 20 Sgr.

25 Wtl. Mai 61

Gratii Falisci et Olympii Nemesiani carmina venatica cum duobus fragmentis de aucupio. Cum scripturae varietate et aliorum suisque commentationibus edid. R. Stern. 8 maj. 832. 1 Thlr. 10 Sgr.

Juvenalis, Satiren. Uebersetzt und erläutert von Dr. W. E. Weber. gr. 8. 838. 2 Thlr. 10 Sgr.

Lectiones variae ex M. T. Ciceronis editt. Oxoniensi et Neapolitana descriptae. Edit. Ernestianae minor. supplement. Pars. I. II. Vol. I. II. III. 8. 825 — 830.
Ladenpreis . . . 9 Thlr. 15 Sgr.
Herabgesetzter Preis . . 4 Thlr.
(Einzeln: Pars I. 2 Thlr. 15 Sgr. Pars II. Vol. I. 2 Thlr. Pars II. Vol. II. III. 5 Thlr.)

Lycurgi deperditarum orationum Fragmenta. Collegit, disposuit, illustrav. Fr. Gust. Kiessling. Praemissa est tum vita Lycurgi quae Plutarcho tribuitur tum M. H. E. Meieri commentatio de vita illa Lycurgi et de orationum eius reliquiis. gr. 8. 847. geh. 2 Thlr. 5 Sgr.

Peter, C., Zeittafeln der griech. Geschichte, als Grundlage des Vortrags in höhern Gymnasialklassen mit beständiger Beziehung auf die Quellen. gr. 4. 2. Aufl. 858. 1 Thlr.

— — Zeittafeln der Römischen Geschichte zum Handgebrauch und als Grundlage des Vortrags in höheren Gymnasialklassen mit fortlaufenden Belegen urd Auszügen aus den Quellen. gr. 4. 841. 1 Thlr. 22½ Sgr.

— — Dieselben. Neue, für den Gebrauch der Schüler eingerichtete Ausgabe. gr. 4. 854. 25 Sgr.

— — Geschichte Roms. In drei Bänden. Erster Band. gr. 8. 853. broch. 2 Thlr. 25 Sgr.

— — Zweiter Band. gr. 8. 854. broch. 2 Thlr. 20 Sgr.

Plauti, M. A., Bacchides. Ad codicum Palatinorum fidem, cum integra scripturae discrepantia reliquorum librorum edidit Fr. Ritschelius. 8 maj. 835. 1 Thlr.

— — Bacchides. Ad codicum Palatinorum fidem cum numerorum notatione edid. Fr. Ritschelius. 8 maj. 835. 10 Sgr.

Theocriti, Bionis et Moschi, quae supersunt, graece, cum scholis graecis. Textum ad optimas Edd. et ad Codd. Mss. fidem quam diligentissime exprimi curavit, carminum argumenta indicavit, varias Codd. Mss. et Edd. vett. lectiones conjecturasque virorum doctor. subiunxit, indices locupletiss. adjecit Dr. J. A. Jacobs. Tom. I. 8 maj. 824.
Ladenpreis . . . . . 3 Thlr.
Herabgesetzter Preis 1 Thlr. 15 Sgr.

Wolfii, F. A, prolegomena ad Homerum. fasc. I. ed. 2. 1859. 1 Thlr.

87HN IEGO
Garcke.